
37
26 B
23

RELIGIONIS NATURALIS ET REVELATÆ PRINCIPIA

METHODO SCHOLASTICA DIGESTA,

IN USUM ACADEMICÆ JUVENTUTIS

A D. D. JO. HOOKE

SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCT. THEOLOGO,

SOCIO SORBONICO,

NECNON SACRÆ THEOLOGIÆ SORBONÆ PROFESSORE.

TOMUS PRIMUS.

THEOLOGIAM NATURALEM, ATQUE ETHICES AC JURISPRUDENTIÆ ELEMENTA CONTINENS.









VENETIIS

MDCCLXIII.

APUD JO. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Finem dicendi pariter omnes audiamus : Deum time & mandata ejus obſerva : hoc eſt enim omnis homo .
Solomon in fine Eccleſiaſtis.

114

JOANNES BAPTISTA PASQUALI
LECTORI BENEVOLO S. P.

OPeris hujusce editio, mea prorsus a me voluntate suscepta, eam rationem, quam mihi semper in libris posteritati mandandis proponendam existimavi, ut maximum videlicet utilitatis fontem inter hominum societatem elicere valeam, adeo complectitur, ut quamvis in immensa librorum copia typis commissa hoc mihi nunquam potuisset usuvenire, ut vel levissime saltem prodessem, hoc tempore tantum munus tam optatum, tam singulare me divinitus adsequuturum sperem. Nondum enim post hominum memoriam (absit dicto invidia) ex Italiæ nostræ prælis ejusmodi Librum adeo præstantem, ut perfectissimus videatur, prodiisse vidimus. Et quidem mea ex hac vehementi aliquantulum oratione nimiam animi elationem in me conferri minime vereor: viri enim in hisce studiis præstantissimi, nostrisque temporibus omnium maxime ingenio, doctrinaque florentes sic senserunt; & quisquis ad hoc scribendi genus se se convertendum putavit, Operis hujusce decus, pondus, & venustatem ex tenuissimo libello confestim dignoscet. Vobis itaque exiguam saltem tradam hujusce rei cognitionem: omnes enim istius argumenti dotes, non perbrevem oratiunculam, quam est in animo conscribere, sed amplissimum volumen complecterentur.

Duas omnino in partes, quæ duobus haud ita magnis continentur voluminibus, idem argumentum dividit Auctor sapientissimus; in primo *Universæ Religionis Naturalis Principia*, in secundo *Principia Religionis Revelatæ* pertractat. In prima quoque parte vim omnem Theologiæ Naturalis explicat tanta brevitate, perspicuitate, prudentia, ut nihil in dubium possit revocari: eumque strictim, at luce quidem clarius meridiana quasi dialectico more disserentem audimus. Primam vero primi voluminis partem in tria veluti segmenta orationis distribuendam putavit, de *Dei* scilicet *Existentia*, *Natura*, & *Providentia*; nullumque ex antiqua, recentique Philosophorum Familia potest existere, cujus sententias non excutiat, eumque, aut ab intima rerum, aut a Divinorum veritate Attributorum recedentem, incredibili quadam perspicuitate, atque efficacitate refellat. Baylium, Hobbesium, Spinosam, aliosque hujus furfuris magni nominis Scriptores, qui in manibus, oculisque complurium Sapientum hujus ætatis quotidie versantur, ita refutat, ut falsa, atque scelerosa plerumque horum dogmata diruat, occultioremque proferat impietatem. Ethicem vero Spinosæ ita vir doctissimus perscrutatur, ut nihil attenta animi meditatione censum emittat; pene dixerim, nullum a Catholicis opus fuisse conscriptum, cui, quam huic potius Catholica debeat Religio. Eadem porro ratione summus Auctor in altero primæ partis segmento, *de Natura Dei* disserens, omnem hujusce argumenti, quod totum in Divinis Attributis continetur, mirabili brevitate, & intima orationis vi particulatim exponit materiem. Omnem in eo veterum Scientiam adeo explicatam habemus, ut novis quoque cognitionibus animum imbuere possimus. Itaque cum Operis hujusce hunc vere Auctorem appellare debeamus in eo conferri non potest, quod in complures, qui de argumentis iisdem agentes, id tantummodo, quod a priscis, recentioribusve Auctoribus relictum fuit, quacumque ratione connectunt; iique prudentem interdum, sæpissime incompositam rerum conjunctionem in lucem emittunt. Vereque de illis dici potest, quod olim Apollodorus Atheniensis de Chrysippo Philosopho: *Si quis*, ille, *de Chrysippi libris tollat quæ aliena sunt, vacua papyrus relinquetur*.

Præclare autem tertium primæ partis segmentum, in quo *de Divina Providentia* habetur sermo, exponit; ibique de creatione rerum, earumque conservatione disserit. In hoc Sanctorum Patrum doctrinam jactantem se se, ut ita dicam, & dominantem videmus; & in veteres, recentesque Philosophiæ cultores, si quid a recto tra-

mite

mite, aberrant, acutissima verborum, rationumque tela conjiciuntur.

Pars autem altera Voluminis primi Religionis Naturalis exhibet Principia. Eximie quoque *de natura hominis*, de *Actibus humanis*, de *Actionum humanarum fine*, *proposito*, de *qualitate*, de *aestimatione*, aliisque id genus, agitur a praestantissimo Auctore: & primo quidem hujusce partis segmento hunc finem imponit. Quoniam vero in altero, qui gravissimam de Regulis humanarum actionum doctrinam continet, evolvitur universa de Jure Naturali Scientia; ita Hobbesii, & Spinosae, qui graviori sane impietate Hobbesii vestigia est persequutus, argumentorum pondere, & vi concussae proruunt sententiae. At vero in immensum Scientiarum omnium pelagus praestantissimum Auctorem hoc loco provehi cernimus, qui placita singula, & sententias veterum Sapientum explicans, qua necessitas postulat, geometrica argumentorum evidentia errores detegit, veramque doctrinam confirmat. Omnem denique Jurisprudentiae Naturalis, seu Officiorum vim, atque intimam exponendo naturam, tertiam conficit primi voluminis partem. In hac primum *de Officiis erga Deum* differit; & cum omnem veterum doctrinam exposuerit, ac firmiora jecerit Catholicae Religionis fundamenta, de *hominis erga seipsum*, *deque hominum erga se mutuo Officiis*, quasi praestantissimus Theologiae, & Philosophiae Doctor pertractat. Hac igitur de re jam abunde satisfactum Juris Naturalis cultoribus videtur, eosque non parum in admirationem prolapsos, hunc hominem quasi Jurisconsultum, Philosophum omnino doctissimum, ac Divinarum rerum praeceptorem sapientissimum esse judicaturos, arbitror.

Neque vero in incredibilem doctissimi quique admirationem non incident, cum modum inspiciant, quo hic vir sapientissimus utitur, *de domestica Jurisprudentia*, de Officiis scilicet eorum, qui Familiam constituunt, atque *de Civili Officiorum Politia*, disputando: qua doctrina primum volumen absolvit.

Sed quoniam eo argumento, in quo *Religionis Revelatae Principia*, alterum efficientia volumen, continentur, amplissimum Procemium, quod nos ea re minutatim informat Auctor praeponendum putavit, operam sane, oleumque perderem, si, quae inde facillime hauriuntur, percenserem: non enim Auctori ipsi praestarem. Eum vero communi doctissimorum virorum sententia nihil deerrasse quisque fatetur, quum sibi hujusmodi argumentum pertractandum susceperit; quod his praecipue temporibus, quae maximos, si Diis placet, eosque eruditissimos ubique terrarum viros genuerunt, prorsus mirandum: neque vero de iis loquor, qui doctrinam profitentes pravam, officia sibi, suisque affectis utilia magis, & accepta sequuntur; sed de iis, qui Religioni illudentes, nihil curant, nihil optant, nihil expetunt, nisi, ut eorum nomen in aeternitatis arce per summam impudentiam collocetur, ipsique in toto terrarum orbe disseminentur: iique magna cum existimatione in hemicyclis recipiuntur, qui sane honos illis deberetur, qui turpi superstitionis jugo mentes hominum liberarint, viamque rationis, veritatisque libertati aperverint. Saepissime autem, & multa meditatione *Monitum* illud esset oculis perlegendum, quod a praestantissimo Auctore statim alterius Voluminis procemio locatum, praeter utilia cetera, quibus nos erudit, a se adhibitam scribendi rationem tutatur.

Nunc meritissimi hujusce Scriptoris Joannis Hookii Sacrae Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, nec non Socii Sorbonici, & Sacrae Theologiae in Sorbona Professoris laudes essent attexendae. Sed, quoniam in iis, quae diligentius, atque enucleatius de hoc Opere exposuimus, plura de Operis Autore, ejusque in Scientiis omnibus praestantia jam innuimus, satius existimamus praelectioni nostrae finem imponere; illud monentes, duxisse nos maxime necessarium, atque utile, si ad calcem tabulam rerum omnium diligentissime elaboratam apponeremus ita, ut uno adspectu totius Operis decus pateret. In eam autem spem adducimur, doctos homines laborem hunc nostrum aequi bonique facturos: etenim nec utilius quidquam, nec praestantius in lucem edi posse putamus.

IN-

INDEX
CAPITUM PRIMI VOLUMINIS.

PARS PRIMA
THEOLOGIA NATURALIS.

SECTIO I.

De exiſtentia Dei.

ARGUMENTA PHYSICA.

THEO-

THEOLOGIA NATURALIS

De Natura Dei.

b 2 PRO-

THEOLOGIA NATURALIS

De Providentia Dei.

RELIGIONIS NATURALIS PRINCIPIA.

PRO-

PROBATIO.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO III.

ARGUMENTUM I.

ARGUMENTUM II.

ARGUMENTUM III.

ARGUMENTUM IV.

PARS III.

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

CAPUT I.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI.

CAPUT II.

CAPUT III.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

SECTIO IV.

ARTICULUS I.

PROPOSITIO I.

PROBATIO.

PROPOSITIO. II.

PROBATIO.

PROPOSITIO III.

PROBATIO.

ARTICULUS II.


PROPOSITIO.

PRO-

Finis Indicis Capitum, quæ continentur in primo hujus Operis Volumine.



RELI-



RELIGIONIS NATURALIS PRINCIPIA.





Er Religionem naturalem intelligimus collectionem officiorum omnium, sive erga Deum, sive erga se ipsum & alios homines, quæ ex divinæ naturæ & conditionis humanæ consideratione ratione investigari & concludi possunt. Oportet itaque in hoc opere de Religionis naturalis principiis 1.° Dei naturam & ejus nobiscum relationes explicare. 2.° Hominis dotes, vires & conditionem naturalem exponere. 3.° Officia ex hominis cum Deo, seipso & aliis hominibus naturali necessitudine profluentia evolvere. Prima pars *Theologiam naturalem*, secunda *moralem Philosophiam*, tertia *universi Juris naturalis elementa* continebit.

PARS PRIMA.

THEOLOGIA NATURALIS.

HÆc de Deo disquisitio tota tribus quæstionibus continetur; an sit? quis sit? quid agat? Quas tribus sectionibus de Dei existentia, natura, & providentia explicabimus.

SECTIO PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.

Expositio Atheismi.

COmmune est hoc omnium Atheorum principium, universitatem rerum, sensum quoque, & intelligendi vim, non a provida quadam natura profectam, sed per naturalem commotionem, seu efficientiam æternæ & ratione carentis materiæ generatam fuisse. Verum in materiæ natura, & rerum originibus explicandis magna inter illos dissensio est.

1. Anaximander Philosophorum, qui Deum sustulere, forsan antiquissimus materiam æternam & infinitam esse statuebat, atque in se spectatam, nec generationi, nec corruptioni obnoxiam: partes quidem ejus mutari, totum esse immutabile. Ex hujus vero materiæ naturali *motu* & *qualitatibus* nimirum, *frigore*, *calore*, *humiditate*, *siccitate*, *&c.* quas & gigni posse & destrui docebat, cuncta, quæ conspicimus aut experimur, prognata affirmabat. Istas autem *formas* seu *qualitates*, entia realia esse docebat, a ma-

a magnitudine, *figura*, *situ*, *motu*, *quiete*, aliisque, materiæ primariis affectionibus realiter diversa; atque ad harum formarum classem, *vitam* quoque *animalem*, *sensum* atque *rationem* referebat: & eam ob causam ab Aristotele notatus est, quod contraria ex eodem principio derivaret. Infinitos asserebat generari mundos, qui corrupti in *infinitatem naturæ* redeunt.

2. Leucippus vero & Democritus, cum intelligerent Anaximandri philosophiam de formis substantialibus nascentibus & intereuntibus nullo modo posse consistere cum isto principio, Atheorum omnium arce, *ex nihilo nihil fit*, & *in nihilum nil potest reverti:* sustulerunt prædictas formas substantiales, & materiam in *figuras* atque *atomos* omnis generis, angulares, rotundas, læves, asperas, hamatas, curvatas, aduncas secuerunt; quas ex infinito tempore in immenso & inani spatio volitasse & concursasse asserebant: ex quo factum est, ut multiplici ratione cohæserint inter se, & post varios impetus, facta quasi conspiratione, in unum aut plures vortices coiverint. Postremò, post infinitas complicationes & explicationes, molitiones & periclitationes; cum mille formas & figuras nunc induissent, nunc exuissent atomi, illum rerum complexum extitisse, quem hodie conspicimus. (*Lucr. l.* 5. *v.* 417.).

Epicurus, qui Democriti philosophiam suis inventis auxit, in atomis primis rerum principiis duplicem motum inesse voluit. Alium *perpendicularem*, ortum a naturali pondere corpusculorum; alium *declinationis* in aliquibus. Quippe, si atomi omnes linea recta deorsum semper caderent, fieri nullo modo potuisset, ut in infinito spatio atomus una aliam unquam attingeret; sed ut guttæ imbris secundum lineas parallelas decidentes, nunquam in moles majores concrevissent. At atomi a motu perpendiculari paululum declinantes & in vicinas incidentes, cum illis coalescere, variisque concretionibus originem præbere poterant: (*Lucr. lib.* 2. *v.* 217.) ex hac etiam atomorum quarumdam declinatione ortam docebat *libertatem*.

Hi Philosophi, communi consensu, mundum ortum habuisse, & habiturum interitum statuebant.

Tertia Sententia est, quam Strato olim invenisse dicitur. Ille cum nullo modo intelligeret, qui ex motu oriri sensus & intelligentia possint, materiam omnem naturaliter, & *vita* & naturali *efficientia* præditam asseruit; & habere quædam *initia* motus, sensus, rationis & consilii: etiamsi motum, sensum, rationem & consilium non semper & naturaliter habeat. Ista ergo vita materiæ insita, non animalis est, quæ adjunctam habeat conscientiam: sed *genitrix* & hanc habet virtutem, ut quælibet materiæ portio, vel in ipsa procreare, vel ex alterius materiæ actione varias animorum dotes accipere valeat, tametsi rationem & consilium nunquam adhibeat.

In hac opinione, ut in superioribus, quoniam non est communis quædam vita, quæ toti universitati leges ferat, *fortuna* seu *casus* multum valet. Nam illæ materiæ particulæ insitam vim haud exerunt nisi occasione variarum concursationum & implicationum, quæ fortuito contingunt. In hoc vero differt a præcedentibus, quod præter casum, etiam vim genitricem a motu diversam adhibeat. Hi Philosophi vulgo cum Stratone mundi tenebant æternitatem; sed illum maximis conversionibus obnoxium faciebant.

4. Denique Stoici quidam, cum ex fortuita atomorum concursione, aut vi materiæ particulis insita & comuni lege soluta, oriri mundi speciem tantam minime potuisse putarent, toti huic universitati rerum inesse voluerunt naturam quamdam artificiose omnia disponentem, at ratione sensuque vacuam: mundum porro non dissimilem esse plantarum atque arborum, quem *natura communis* quædam incolat *fictrix* & *genitrix*, quæ *via* atque *ordine*, quamvis

nec

nec sensum nec intelligentiam habeat, cuncta explicet & generet: partes suas ita nunc disponat, ut sensus ex illarum coagmentatione nascatur, qualis in brutis est animantibus: nunc eo modo, ut ratio & judicium, quibus valent homines, existant. (*Cic. de Nat. Deor. l. 2. c. 32.*) In hac opinione omnis tollitur casus, & *mechanismi* immutabilis legi cuncta subjiciuntur.

Qui hanc tenebant sententiam, alii mundum æternum & corruptibilem; alii in tempore ortum & interiturum statuebant: ut patet ex his verbis Senecæ. *Nam si vel certum sit planta similem esse hunc mundum, sive a natura quadam consilii experte, at augendi & procreandi potentia instructa regi atque gubernari; id tamen non impedit, ne ortu quodam generatus & exitio obnoxius habeatur: nec idem obstat quominus certa quadam & constanti lege ab ortu ejus ad interitum administrari omnia putentur, ipsæque illæ eluviones & exustiones terrarum, quæ nonnunquam evenerint, vel eventuræ sint in posterum, a natura ejus moderatione & gubernatione proficisci judicentur.*

Diversam, ab his quatuor, Atheismi formam nec in scriptis Philosophorum reperias, nec per mentem fingere possis. Nam si quis Deum tollere velit, necesse est doceat nullam naturam intelligentem universitati rerum præesse, atque quidquid sensus & rationis est, id nihil esse nisi materiæ affectionem. Jam vero qui materiam intelligentia carentem unicum statuit principium, istam materiam aut prorsus mortuam & inertem credere debet; aut ei aliquam vitæ formam tribuere. Prius si probet, iterum vel ad formas substantiales, vel ad figuras & atomos confugiat necesse est. Sin posterius eligat, aut unam tantum ejusmodi vitam per totam materiæ molem fusam esse defendere debet, aut ponere omnem materiam per se vitam quamdam continere, ita ut nulla particula propria vita careat.

Inter Atheos nullo modo numerandi sunt illi Stoici, qui universitatem rerum *animal* esse dixerunt, in qua sicut & nostris corporibus, sensus insit, consilium, ratio & anima quædam moderatrix rerum omnium: quam opinionem exposuit Cicero l. 2. *de Nat. Deorum*, & Virg. *Georg.* l. 4. v. 219. & *Æn.* l. 6. Seneca *in qu. nat.* l. 2. cap. 45. Hi enim Philosophi, etsi hac universitate rerum omnia contineri, Deumque igneum mundi hujus partem finxerint; attamen cum illum ignem omnia permeantem perfectissima ratione præditum, & ab eo cuncta primum constituta cum consilio & ejus providentia eadem constanter administrari docuerint, potius naturam Dei male intellexisse, quam Deum sustulisse dicendi sunt. *Jovem intelligebant antiqui, eumdem quem nos, inquit Seneca, custodem rectoremque universi animum ac spiritum, mundani hujus operis dominum & artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconsultus eat & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua. Qu. Nat. l. 3.*

Nec sunt etiam inter Atheos numerandi ii omnes, qui mundi æternitatem tuentur: plerique enim eorum, quibus hoc dogma placuit, non modo esse Deum confitebantur, sed argumentis ex divina natura sumptis hanc opinionem confirmabant: ut Aristoteles & Platonici recentiores. Ut enim Atheisticæ impietatis reus quis sit, necesse est, ut statuat mundi, non tantum originem æternam esse, sed necessariam quoque & independentem ab intelligente aliqua natura.

Verum ad Atheorum classem illi omnino pertinent, qui nomine reliquerunt Deos, divinas perfectiones sustulerunt.

Nempe qui naturas præstantiores hominibus existere fatebantur, sed illas cum tota universitate rerum ex *oceano* vel ex *chao* prodiisse in initio asserebant ; ex quo consequitur interire eosdem posse, etsi Poetæ genitos illos Deos immortalitate donare consueverint. *Vide Cudworthi Syst. intell. Stanleu. hist. Phil.*

In refellendis sigillatim variis illis Atheorum hypothesibus haud immorabimur, quod in probanda divini numinis existentia, ista omnia eorum principia plena esse vanitatis simus ostensuri: solius Spinosæ systema, cui quamdam dedit auctoritatem novitas & forma geometrice elaborata, curiosius expendemus & directe confutabimus, in fine hujus disputationis.

CONFUTATIO ATHEISMI.

Triplicis generis argumenta hoc loco vulgo distinguuntur. Alia *moralia* dicuntur, ex hominum utilitatibus, consensione, sensibus interioribus, & historia petita. Alia *Physica* nuncupantur, quæ arripimus ex rerum, quibus constat mundus, naturis, operationibus, dispositione & constantia. Alia denique *metaphysica* vocantur, sumpta nempe ex nostræ mentis conceptibus & ideis. Nos eamdem divisionem sequemur sumpto initio ab illis rationibus, quæ sunt minus a vulgi intelligentia sensuque disjunctæ.

ARGUMENTA MORALIA.

PRIMUM.

Ab utilitate Religionis, seu agnitionis existentiæ & providentiæ Dei.

Quamvis hoc argumentum ab utili ductum non conficeret *directe* Deum existere : valet certe ad alienandos ab Atheismo animos, & impiorum hominum revincendam perversitatem, qui nullis nixi rationibus homines summis commodis, quæ habet adjuncta Religio seu agnitio numinis, spoliare contendunt. Valebit etiam ad confirmandam Dei existentiæ suspicionem, naturaliter ipsis fatentibus Atheis, mentibus inditam ; nam sicut bene concluditur ex supposita existentia Dei, ejus agnitionem utilem hominibus esse oportere, quia sub imperio justissimi & sanctissimi numinis, *utilitas* & *pietas* divisæ esse non possunt ; sic vice versa ex pietatis manifesta utilitate Dei existentiæ augurium legitimum capimus: sub Dei imperio rem ita esse necesse est, tolle Deum & nullam causam habes, cur agnitio numinis tantarum utilitatum causa existat.

Præterea absurdum maxime videtur, homines per hoc esse felices, vel feliciores, quod errent ; per hoc esse miseros, quod sapiant: nam non est probabile natura indigere, ut beata sit, aliquo sibi contrario & repugnante qualis est error : aut miseram effici ex eo, quod est maxime secundum appetitum, qualis est veritas. Attamen, si agnitio numinis ad hominum utilitatem, tum privatam, tum publicam, conferat ; si sit necessaria ad salutem societatis civilis ; hæc omnia tam absurda ab Atheis admittenda sunt : errorque, qui est ægritudo quædam animi, ad hominis felicitatem plus quam aliud quidquam conferet, immo ad optimum ejus statum erit necessarius. Neque dixerint Athei, multoties contingere, ut errores habeant utilitatem sibi adjunctam, & regna falsis religionibus consistere: nam apud eos, qui falsis religionibus vivunt & conservantur, est non solum falsa religio, sed est aliud simul verissimum naturæ dictamen, a quo falsa religio totam vim suam salutarem accipit, vid. *vivendum esse cum religione ;* quod si abesset, nec ipsæ falsæ religiones, neque regna consisterent aut perdurarent.

Homo in vario vitæ statu considerari potest, vel in conditione privata divisus a cæteris hominibus, vel in societate naturali sorte nascendi cum aliis conjunctus, vel in confœderatione civili : interesse hominis Deum existere in quolibet statu triplici propositione conficiamus, contra *Cardanum*, *Hobbium*

bium & Baylum, quorum duo priores Religionem, hominibus noxiam, tertius inutilem, seu non necessariam scripsit.

PROPOSITIO PRIMA.

Interest hominis esse Deum.

PROBATIO.

NAm 1°. agnitio numinis nobis aperit ordinem rerum maxime cupiendum, Atheismus vero in scenam immittit tristitia & horrore plenam. Quippe Theismus nobis exhibet in rerum universitate rectorem sapientem, benevolum, beneficum, propter infinitas virtutes summe amabilem, cujus optimis & sanctissimis decretis cuncta primum constituta, perpetuo ordine decurrunt. Atheismus vero statuit tenere principatum vim quamdam infinitam sine ratione, sine consilio, sine benevolentia, temere & sine lege cientem motus necessarios. Quanto ergo præstat sapientia cæcitati, benignitas & beneficentia temeritati, ordo confusioni, gratissima concordia tristissimæ anarchiæ: tanto gratior est aspectus religionis.

2. Theismus amplificat naturam hominis & auget ejus dignitatem; Atheismus vilissimam & abjectam efficit. Si quidem ille suadet nos divinam sortitos originem cum optimo parente Deo, cum ente infinite perfecto habere quamdam similitudinem & cognationem; atque esse quædam illius simulachra: quo nihil potest esse illustrius. In Atheismo originem vilem & fortuitam habemus; nihilque sumus, nisi acervus atomorum, quarum si commissuræ dissolvantur, tum vitam nostram omnem interire necesse est.

3. Theismus adjunctam habet securitatem, summam spem atque solidam felicitatem; quæ omnia tollit Atheismus. Ille quidem securitatem affert, quia docet optimi parentibus ditione cuncta contineri, ejusque beneficam erga bonos voluntatem, propter infinitam sapientiam atque potentiam nunquam suis finibus frustrari. In Atheismo, ubi tenet imperium fortuna, securitas nulla esse potest: hanc habes perpetuam expectationem juxta Lucretium (*L.* 5. *v.* 105.

dictis dabit ipsa fidem res.
Forsitan & graviter terrarum motibus orbis
Omnia conquassari in parvo tempore cernes.

Deinde in Religione, etiamsi adversa utamur fortuna, habemus in spe divini præsidii maxima fortitudinis & constantiæ adminicula, quia, ut ait vetus Poeta, (*Linus apud Jamb. de* 5. *Pyth. cap.* 28.

Omnia sunt speranda, nec insuperabile quidquam.
Cuncta Deus peragit facile & nil impedit ipsum.

In Atheismo omne bonum nostrum in illis rebus situm est, quæ nec in nostra sunt posita potestate, nec nos ullo modo curant, & tantum homines in ærumnis & hujus vitæ casibus ab atomis auxilii & opis sperare possunt; quantum quis solatii a sæva quadam procella & turbine expectaverit, aut a commoto quodam mari, cujus nequeunt violenti fluctus exorari: præfocanda est illa naturæ Deum sponte in ærumnis advocantis vox,

Di prohibete minas; Di, talem avertite casum. (*Virg. Æn. l.* 3. *v.* 265.)

A qua ipse Lucretius, vi naturæ domitus, temperare loco laudato non potuit,

Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans,
Et ratio potius, quam res persuadeat ipsa,
Succidere horrisono posse omnia victa fragore.

Affert denique agnitio numinis solidam felicitatem, quia spem injicit non esse hujus mortalis ævi limitibus finitam vitam hominum; extremum diem nostrum, non extinctionem, quam refugit natura, sed commutationem tantum loci afferre æternique natalem esse. Atheis e contrario horrenda mortis expectatio esse debet, & omnes eorum lætitias.

tias inficere, qui in ea putant omnia interire, atque post exantlatos vitæ labores nihil homines manere præter extinctionis malum sempiternum.

4. Tandem agnitio Dei excitat ad omnes virtutes: Atheismus vitiorum laxat habenas. Sed virtutis infinita sunt commoda; exornat mentem, pacem & tranquillitatem animis ingenerat, ad ungit nobis alios homines. Vitiorum infinita incommoda sunt, mentis, corporisque habitum corrumpunt, animum ægritudinibus elidunt, alios homines a nobis alienos efficiunt, & naturali efficientia eorum contemptum atque odia excitant, ut alio loco infra exponemus. Habet ergo agnitio numinis hæc omnia commoda; Atheismo adhærent illa incommoda.

Objicies. Nihil magis hominum interest, quam habere animum metu vacuum, & plenissima frui libertate: hæc hominum summa felicitas est. Atqui agnitio numinis metum injicit hominibus & libertatem tollit. *Quis enim ferat ut ait Velleius apud Ciceronem, impositum cervicibus suis sempiternum dominum, quem dies & noctes timeat. Omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum.*

Respondeo 1. N. maj. Nam societatem civilem hominibus utilem esse & necessariam fatentur Athei; at per leges civiles metus hominibus injicitur, & minuitur libertas. Non omnis ergo metus aut libertatis imminutio malum est. Tunc profecto metus malum non est, ubi est salutaris & frænum quod injicit voluntati est necessarium; ubi illa molestia, quam affert metus, suspenditur aliis multis & magnis ultilitatibus. Atqui ille metus, quem habet Religio adjunctum, salutaris est: avocat voluntatem a vitiis, quorum maxime noxia est natura, excitat ad omnes virtutes, quarum infinita sunt commoda, ut *Epicurus* & *Lucretius* confessi sunt. Et illa molestia, quam affert, bene suspenditur & vincitur illis omnibus utilitatibus, quas in conclusione enumeravimus.

Respondeo 2. Neg. min. 1. Quia non est proprius effectus agnitionis Dei, metus turbulentus, uti supponunt Athei, sed potius suavem jucundamque spem mentibus ingenerat. Si quidem Deus non est formidolosum numen abutens, more arbitrario vel ex necessitate, infinita potentia. Sed natura est sapiens & benefica, infinita potentia utens ad benefaciendum, quantum patitur ordo æternus rerum, seu incommutabiles earum rationes. E contrario Atheismus horrorem habet adjunctum, quia fortuna atheistica potentia est infinita, ciens motus necessarios, sine lege & sine benignitate, quæ hunc admirabilem conspectum rerum convertere in tenebrosa Tartara unico momento poterit, & intolerabilia mala inopinato nobis omnibus procreare. Si ab hoc metu immunes sunt Athei, id habent ex insita naturis hominum fiducia erga mundi rectorem, & ex experientia benevolorum ejus consiliorum, quam naturæ totius vocem tacite sequuntur, dum dictis abjurant.

2. Quia metus ille turbulentus ægritudines pariens, non omnes, sed improbos tantum afficit, confitentibus Epicuro & Lucretio, qui exinde conclusere, *non posse jucunde vivi, nisi honeste vivatur*. At hujus, ut alterius omnis rei, *judicium a natura præstantissima sumendum est*, hoc est, a bonis. His sponte enascitur ex sensu numinis jucunda, beatæ æternæque vitæ expectatio; Atheismus improborum & sceleratorum hominum perfugium est.

PROPOSITIO SECUNDA.

Agnitio numinis societatis naturalis vinculum necessarium est.

PROBATIO.

NAm, 1. sine Deo nulla sunt hominum adversum se mutuo *officia* naturalia. 2. Nulla saltem ad ea, quæ vocamus officia, præstanda *obligatio* perfecta esse potest.

1. Atheistica impietas tollit mutua hominum erga se officia: nam hæc officia

cia fundantur, vel in naturali & immutabili boni atque mali moralis discrimine, vel in ista lege insita naturæ hominum & in omnes diffusa, cujus inventorem & latorem Deum, natura monente, omnes putamus. Sed sublato Deo tollitur essentiale discrimen inter bonum & malum morale, uti confessi sunt veteres Athei, *Protagoras*, (*Vide Plat. in Theæt.*) *Heraclitus*, & inter recentiores, *Hobbius & Spinosa*: quodque modo conficiemus in argumentis metaphysicis. Tollitur etiam cum legislatore Deo lex naturæ & nulla vitæ regula relinquitur præter cujusque libidinem, quam belli facem, non pacis vinculum esse experimur, & docent *Hobbius* (*L. de cive & Leviathan.*) & *Spinosa*, (*Tract. Theol. pol. c.16.*) quorum doctrina moralis ad hæc principia revocatur. *Nullam esse in animis nostris æquitatem aut benevolentiam erga alios; sed libidinem dominandi & cupiditatem esse unicam hominum regulam ... Jus omne situm esse in potentia, obligationem in imbecillitate: & cuique licere facere quodcumque & in quoscumque libuerit; adeoque nihil injustum fieri, nullam injuriam inferri posse. Virtutem idcirco omnem rem vanam esse, nec præcellere fidem perfidiæ, clementiam crudelitati, gratum animum ignavo & ingrato, modestiam impudentiæ: uno verbo nihil esse quod laudi vel vitio verti possit ... Immo voluntatem lædendi omnibus inesse in statu naturæ, securitatis viam meliorem scire neminem anticipatione, idcirco in statu naturæ homines intentos esse in se mutuo præoccupandis, vel vi, vel fraude. Hinc sequi hominem non esse natum ad societatem, sed naturaliter existere inter homines bellum omnium adversus omnes*. En nativa Atheismi principia, ab omnibus Atheis ferme, sive veteribus, sive recentibus confessa; quæ sane nullam relinquunt hominum societatem naturalem.

2. Etiamsi Atheismus relinqueret discrimen inter bonum & malum, notionem aliquam officiorum, certe tolleret omnem *obligationem* perfectam ad præstanda illa officia. Nam obligatio quatenus distinguitur ab ipso sensu officii sui, est necessitas quædam moralis bene agendi orta ex consideratione nostræ utilitatis quam cum honestate conjunctam credimus; & præsertim ex metu numinis, cui placere necesse judicamus, quia maximis nos præmiis remunerari, & pœnis plectere valet. Sed Atheistica impietas tollit illam necessitatem bene agendi ortam ex consideratione numinis sanctissimi omniscientis & omnipotentis. Tollit omnem spem præmiorum, omnem metum suppliciorum; sicque honestatis & felicitatis conjunctionem dirimit; quibus omnibus sublatis, quam vim servare poterit sensus justi & injusti ad jubendum vel vitandum, ad invitandum vel terrendum, ad suspendendam vim immoderatam appetitus? Aut quæ alia necessitas existet, quam contendendi ad utilitates suas & felicitatem, honestate contempta?

Objicies 1. cum Baylio (*a*). Athei iisdem afficiuntur sensibus, iisdem utuntur rationis principiis, ac Theistæ: & ideo, negata Dei existentia, possunt servare, & revera servant sensum justi & injusti, & rerum constantes & immutabiles differentias percipiunt. Atqui in isto sensu justi & injusti, & perceptione discriminis inter bonum & malum morale posita est natura & vis officiorum.

Respondeo: Atheos, si sibi non constent, & ex suis principiis sensus interiores non informent, posse servare sensum justi & injusti, rerumque differentias morales percipere. Quia sublato uno sensu naturali, non continuo tolluntur omnes alii. Sed manifestum est hos Atheos sibi non constare: nam nulla actionum humanarum moralitas concipi potest, sine his duobus, vid. *libertate*, & sensu *obligationis*, qui habeat hanc vim ut nos conscientia delicti afficiat, ubi rationem non sequimur. Jam vero in Atheorum hypothesi, omni, sive ea, quæ fortunam mundi reginam statuit; sive illa, quæ fato rerum administrationem committit, nulla libertas esse

(*a*) *Pensées diverses sur la Comete c.* 178. *& suiv. L'addition à ces pensées, c.* 4. *Reponse a la dixieme & treizieme object. La continuation des pensées div. c.* 143.

ſe poteſt. Nulla etiam obligatio proprie dicta exiſtit; quæ ſine ſuperiore obligante, & ſine lege jubente & vetante, vix intelligi poteſt: aut ſaltem non eſt perfecta. Dictata rationis reſpectu Atheorum conſilia potius ſunt quæ invitant, vel motiva naturalia ad agendum impellentia, quam *officia*, quæ proprie devinciant. (*Vide infra ubi de lege naturali.*)

Sed demus Atheos cernere poſſe rerum morales differentias & ſervare ſenſum internum juſti & injuſti, atque ex illis motivis moveri ad exercitationem virtutum: negamus illa motiva ullam vim ſervatura reſpectu vulgi Atheorum, qui non fuerunt ingenue educati, aut quorum exculta ratio non fuit. Atque id exponere verbis *Pomponatii* Philoſophi abs re non erit, quod fuerit ille merito Atheiſmi ſuſpectus, ſed falſo tamen a Baylio in patrocinium ſuæ ſententiæ, de Religionis ad ſocietatem inutilitate, adductus. *Aliqui ſunt homines ingenui & bene inſtitutæ naturæ, adeo quod ad virtutem inducuntur ex ſola virtutis nobilitate & a vitio retrahuntur ex ſola ejus fœditate: & hi optime diſpoſiti ſunt, licet perpauci ſint. Aliqui vero ſunt minus bene diſpoſiti; & hi, præter nobilitatem virtutis & fœditatem vitii, ex præmiis, laudibus & honoribus, ex pœnis, vituperiis & infamia, ſtudioſa operantur & vitia fugiunt; & in ſecundo gradu ſunt. Aliqui vero propter ſpem alicujus boni & timore pœnæ corporalis ſtudioſi efficiuntur: quare ut tales virtutem conſequantur, ſtatuunt Politici vel aurum, vel dignitatem, vel aliquid tale; ut vitia vero fugiant, ſtatuunt, vel in pecunia, vel in honore, vel in corpore ſeu mutilando membrum ſeu occidendo, puniri. Quidam vero ex ferocitate & perverſitate naturæ, nullo horum moventur, ut quotidiana docet experientia; ideo poſuerunt virtuoſis in alia vita præmia æterna, vitioſis vero æterna damna, quæ maxime terrerent... Et quoniam hoc ultimum ingenium omnibus hominibus poteſt prodeſſe, cujuſcumque gradus ſint, reſpiciens legiſlator pronitatem viarum ad malum, intendens communi bono, ſanxit animam eſſe immortalem, non curans de veritate, ſed tantum de probitate, ut inducat homines ad virtutem. Neque accuſandus eſt Politicus: ſicut namque Medicus multa fingit, ut ægro ſanitatem reſtituat; ſic Politicus apologos format, ut cives rectificet. Si omnes homines eſſent in illo primo gradu enumerato, ſtante etiam animorum mortalitate, ſtudioſi fierent, ſed quaſi nulli ſunt iſtius diſpoſitionis, quare aliis ingeniis incedere neceſſe fuit.* (*De immortal. anima pag.* 123.)

Objicies 2. cum eodem. (*Penſ. div. c.* 179.) Animis Atheorum, ut aliorum hominum, inſitus eſt laudis appetitus & gloriæ cupiditas. Atqui hæc ſufficienter moventi in ſtatu naturæ ad præſtanda mutua vitæ officia.

Reſpondeo, nego minorem. 1. Etſi aliquis inſit omnium hominum animis laudis appetitus, tamen apud vulgus minimam vim habere experientia docet: nec ullo modo ſuſpendere vim cupiditatis, qua in præſentia commoda ferri ſolet.

2. Quia, cum favor popularis auræ ſemper adjunctus ſit divitiis & potentiæ, appetitus laudis & gloriæ magis ſtimulat ad has comparandas, quam ad virtutis exercitium; præſertim cum præterea potentia & divitiæ cupiditatum omnium explendarum media ſint.

3. Quia illæ affectiones non veram ſinceramque virtutem, ſed hypocriſim tantum valent procreare; a publicis avocant ſceleribus, privatis laxant habenas. Quod vero reponit Baylius poſt Lucretium, metuere debere hominem gloriæ cupidum, ne admiſſa privatim ſcelera in ſomno vel febris æſtu patefaciat, nimium abſurdum eſt & deſperatæ cauſæ argumentum. Quem unquam talis metus cohibuit aut unquam cohibeat, ne libidinem expleat?

Objicies 3. cum eodem. (*Penſ. div. c.* 136. 167. *contin. des penſ. div* 149.) Experientia habemus compertum homines in vita inſtituenda parum ſequi philoſophica principia: v.g. Stoici, qui fato cuncta conſtricta eſſe dicebant, tollebantque humanam libertatem, omnium Philoſophorum uti minime debebant exhortationibus ad virtutem, &

tamen

tamen nulla secta extitit, a qua tot præcepta profluxere. Sic etiam quotidie non sine admiratione cernimus eos, qui tenent fidem christianam de æternis post mortem cruciatibus, neque carent quotidianis admonitionibus, tamen in vita agenda istorum principiorum parum memores esse. Ergo concludi potest vix ullam esse Religionis vim ad promovendam, aut Atheismi ad minuendam virtutem.

Respondeo, distinguo ant. Experientia habemus compertum homines in vita instituenda parum sequi philosophica principia; ubi sunt contraria vel sensibus internis, quos exuere non possunt; vel opposita cupiditatibus, quarum vi abripiuntur. C. Ubi sunt cupiditatibus consentientia. N. Haud mirum sane est, Stoicos qui fatum defendebant in agendo, non esse secutos principia sua, quia illa vis est naturæ liberos nos esse perpetuo declarantis, ut ad illius vocem obsurdescere non possimus, & cogat nos quodammodo invitos ad assensum. Neque etiam mirum est, quod illa principia non inclinent semper animos, quæ habent sibi contrariam vim appetitus; quia tanta hominum imbecillitas, tanta levitas est, ut abrepti æstu cupiditatis, etsi videant meliora, probentque, deteriora tamen sequantur. Sed sane res esset admiratione dignissima, si vis appetitus aucta auctoritate principiorum, ut est in Atheismo, non inclinaret voluntatem; cum plerumque habeat illam vim, etiam renitente ratione & terrente conscientia; immo sub æternorum suppliciorum comminatione, uti observatur in objectione.

Objicies 4. cum eodem. (*Pens. div. c.* 174. *& contin. des pens. div.* 144.) Atheismum non habere illam pravam efficientiam in vitam hominum, certos nos faciunt mores eorum qui Deum olim & nostris temporibus sustulere; Diagoræ, Theodori, Evemeri, Nicanoris, Hipponis, quorum conspicuam virtutem fuisse memoriæ proditum est: quibus adjungi etiam possunt Epicurus ipse & apud Romanos Cassius, Atticus, Plinius antiquior; inter recentiores, Vanini & Spinosa. Probant etiam exempla gentium multarum, quæ sine religione concordem vitam a multis seculis in separatis familiis egerunt.

Respondeo 1. Ex paucorum hominum vita nihil confici in hac re posse; quia, ut supra diximus, in illis hominibus, qui ingenue fuerunt educati, qui excultam rationem habuerunt, & qui se totos dederunt Philosophiæ studio, servare vim magnam potuit sensus justi & injusti, atque nota rerum discrimina; *naturæ excultæ bonitate victi sunt*. Cumque etiam singularitate doctrinæ oculos in se omnium convertissent, non parum eos afficiebat publica existimatio. Denique necesse quoque ipsis fuit, ut bona vita amoverent publicam invidiam, quam ipsis conflabat philosophandi ratio abhorrens a vulgi opinionibus. Sed hæc motiva in vulgus rude & incultum, gentemque Atheorum vim aliquam nullatenus servarent.

2. Dicimus nullas gentes existere aut extitisse olim sine notitia Dei, quod sequenti argumento demonstraturi sumus.

PROPOSITIO TERTIA.

Agnitio Numinis status civilis præcipuum fundamentum est.

PROBATIO.

1. IN republica Atheorum nulla esset vera & propria magistratuum & legum civilium auctoritas. Nam auctoritas proprie dicta, est facultas non tantum vi cogendi, sed ita *jure* imperandi, ut subditi, nulla vi interveniente, agnoscant se vere obstrictos esse ad parendum; idque semper etiam in secretis locis, ubi nulli testes: & proinde *obligatio*, quam parit auctoritas, supponit tales causas, quæ interius hominis conscientiam ita afficiant, ut ex propriæ rationis consilio agat & judicet se non recte seu non jure posse resistere. (*Vid. infra ubi de lege natur.*) Atqui tolle Deum, legem naturalem &

conscientiam, auctoritas hujusmodi in civitate nulla esse potest: sed omnis auctoritas, ut posuerunt Hobbius & Spinosa, est potestas cogendi, ac *viribus*, non *jure* determinatur; ita ut si civis aliquis magistratibus resistere possit *impune*, & *jure* poterit resistere.

Vel sic idem confici potest: auctoritas magistratuum & jura omnia civilia ponuntur in *bona fide*, seu obligatione ad servanda fœdera inter magistratus & plebem inita. Atqui in hypothesi Atheorum fides bona, ut omnis alia virtus, res ludicra est, nec est ulla obligatio ad servanda ista fœdera, præter coactionem: quisque naturali inclinatione & lege propriis studet ante omnia utilitatibus. Ergo 1. nulla est vera & proprie dicta in civitate Atheorum magistratus & legum auctoritas.

2. In republica Atheorum, valde imperfecta est legum civilium *sanctio*, (*a*) cui perfectionem suam sola tribuere potest Religio. Nam perfecta legum sanctio, cum *præmio*, tum *pœna* continetur. Sed politica potestas separata a Religione pœnis tantum leges suas sancire potest, præmiis nullo modo: deterrere potest a violanda lege, ad eandem servandam invitare non potest. Idque ob duplicem rationem hanc: primum quod magistratus non habeat sufficientem bonorum seu præmiorum supellectilem, ut dividere unicuique possit pro meritis: deinde, quod, etiamsi sufficientem bonorum haberet copiam ad remunerandos bonos omnes, tamen qui essent boni, nunquam scire posset, cum id pendeat ex interno hominis in agendo consilio. Huic vero defectui medetur Religio, dum in bonarum omnium actionum remunerationem præmia maxima pollicetur ab eo, qui omnibus nostris non tantum actionibus præsens est, sed ipsis etiam intervenit cogitationibus: & sic efficit ut excitemur ad bene agendum spe præmiorum, quæ homines non possunt concedere.

3. Potestas civilis quædam tantum officia jubere potest, non omnia: cogit tantum ad ea quæ Jurisconsulti vocant, *perfectæ obligationis*, & justitiæ stricte sumptæ, quæ necessaria sunt ad ipsam societatis existentiam, nequaquam vero ad officia benevolentiæ & charitatis, seu, ut vocantur *imperfectæ obligationis*, quæ necessaria sunt, ut societas læta sit & jucunda (*Vid. infra ubi de Jurisprud. nat.*). Neque illa priora omnia justitiæ jubere potest, aut illa aliter confirmare quam *jurejurando* in multis casibus, ut cuique attendenti patebit. Hinc pulchre scripsit Seneca l. 2 *de ira*, c. 27. *Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse! Quanto latius officiorum patet, quam juris regula! Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt: quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* Sensus vero numinis, quod bonorum & malorum habeat rationem, ad omnes excitat virtutes, & ab omnibus avocat peccatis.

4. Civilis potestatis defectus in hoc maxime apparet, quod publica tantum delicta attingat, *quatenus manu*, ut ait Tullius, *tenere potest*, privata vero ignoret. Et præterea humana judicia vitandi spes affulgere solet, quia sæpissime nulla sunt, sæpe etiam falsa: immo vero ex ipsis facinoribus, quandoque impunitas oritur, cum magnam quis scelere sibi conciliat potentiam. Sensus vero divinæ providentiæ seu Religio, dum nobis exhibet Deum supra & circa nos stantem; factorum, dictorum, cogitationumque censorem; qui habiturus sit bonorum & malorum rationem, homines in omnimoda constituit necessitate legibus parendi, etiam in secretissimis locis, omnem tollendo spem fugiendi supplicii. Hæc omnia complexus est Cicero de leg. *Quis non videat, quam multa firmentur jurejurando? Quantæ salutis sint fœderum religiones? Quam multos divini supplicii timor a scelere revocat? Quam sancta sit, civium inter ipsos societas,*

(*a*) Sanctio est ea pars legis, qua imponitur obligatio ad parendum præcepto, vel per pollicitationem præmiorum, vel per comminationem pœnarum.

tietas, Deo immortali interposito, tum judice, tum teste?

Hanc Religionis vim ad cives continendos adeo intellexerunt Legislatores omnes, ut studiose quisque populorum animis inculcaverit esse Deos, & ad eorum tribunalia cujusque hominis vitam expendi: ex quorum omnium mente præcipit Tullius de leg. *Sit hoc a principio persuasum civibus dominos esse omnium rerum & moderatores Deos; eaque quæ geruntur, eorum geri vi, ditione & numine, eos denique optime de genere humano mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat; qua mente, qua pietate colat religiones, intueri; piorum & impiorum habere rationem.* Immo omnes ad unum philosophi, etsi ex illis plures in philosophicis disputationibus Deum sustulerint aut futuram vitam; hanc tamen opinionem Deorum & immortalium animorum servandam, tanquam legibus præsidium firmissimum, putaverunt. Athei etiam, hac manifestissima utilitate Religionis permoti, in omni ævo decreveverunt, illam a Legislatoribus inventam fuisse ad salutem & incolumitatem Reipublicæ.

Hobbii & Cardani adversus hanc partem objectionibus infra respondebimus, ubi de lege naturali. Vide de toto hoc argumento *Cudw. syst. intell. Warburton. div. leg. Moysis.*

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex consensu Nationum.

ARgumentum hoc ab auctoritate humani generis quibusdam etiam Christianis scriptoribus parum firmum visum est; illo tamen cum eo majore utemur fidentia & securitate, quod nullum fuerit, quod sæpius veteres sapientes contra Atheos adhibuerint; nullum in quo Athei majores invenerint difficultates: adeo ut Democritus ad *idola* quædam Deorum tenuissima in aere volitantia atque in sensus irruentia confugere necesse judicaverit; & Epicurus qui cæteras omnes rationes nostras refellere conatus est, hac adductum se esse diceret ad credendum quamdam impressam esse a natura animis omnium *anticipatam Dei notitiam* (*De Nat. Deor. l. 1.*).

PROPOSITIO.

Communis omnium hominum in omni ætate & in omni loco constans & perpetua vox atque sententia fuit, esse Deum; atque hujus tam communis opinionis summa auctoritas est. In Atheorum vero hypothesi universa gens humana vanitatis & stultitiæ incredibilis condemnatur, quod summæ est arrogantiæ & intolerabilis impudentiæ.

PROBATIO.

DUæ partes sunt: 1. est, nullam fuisse usquam vel nunc esse gentem Atheam. 2. Humani generis consensionem summam habere auctoritatem.

PARS PRIMA.

Hæc pars, quæ circa factum versatur, confici aliter non potest, quam ex variarum gentium historiis; ex gravissimorum Authorum testimoniis; & ex primorum Legislatorum, quorum aliqua est memoria, agendi ratione.

1. Nationum omnium historiæ fidem numinis ubique propagatam exhibent. Uti primum possumus authoribus antiquissimis populis, *Hebræis*, *Chaldæis*, *Ægyptiis*, *Indis*, *Persis*, *Arabibus*, *Getis*, *Gallis*, *Germanis*, *Græcis*, *Romanis*, & omni retro antiquitate; in qua nullum exemplum habemus gentis Atheæ. Cotta quidem apud Ciceronem Velleio Epicureo ex consensu gentium argumentanti respondet. (*ibid.*) *Unde notæ tibi sunt opiniones nationum? Equidem arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* Sed ipsa hæc forma loquendi satis indicat nullam gentem ad civilem cultum deductam sine Deo fuisse; neque ullum etiam apud barbaros repertum exemplum.

Veteribus populis consentiunt omnes, qui hodie sunt terræ incolæ, etiam ma-

ximè inculti, *Mexicani*, *Peruviani*, *Brasilienses*, *Canadienses*, aliique barbari, uti constat ex optimis peregrinatorum & navigatorum relationibus, tum antiquioribus, tum recentioribus.

2. Hominum gravissimorum testimonia confirmant gentem nullam fuisse sine notitia Dei: ita *Plato*, (*De leg. l.* 10.) ita *Aristoteles*, (*Ad Nicom. l.* 10. *c.* 11.) ita *Epicurus*, (*Apud Cic. l. de Nat. Deor.* *Cicero*, (*Prim. Tuscul.*) *Seneca*, (*Ep.* 117.) *Artemidorus*, (*L.* 1. *c.* 9.) *Ælianus*, (*Var. hist. l.* 2. *c.* 13.) *Maximus Tyrius*, (*Diss. prim.*) *Sextus Empiricus* (*l.* 1. *contra Physicos*, *c.* 61.) *Dion Prusaensis*, (*Or.* 45.) *&c.* Laudabimus solummodo *Plutarchum* & *Julianum*. *Si terras obeas*, *ait prior*, (*Contra Coloten. Epic. p.* 1125.) *invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes... Urbem vero templis diisque destitutam, quæ precibus jurejurando, oraculo non utatur; non bonorum causa sacrificet; non mala sacris avertere nitatur; nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata civitatem coire aut constare.* Julianus autem scribit: (*Ep. ad Heracl.*) *Omnes ante doctrinam numen esse aliquod persuasi sumus, eo respiciendum, ad eum properandum: credoque sic animos nostros se habere ad Deum, ut visu prædita ad lucem.*

38. Certissimum est apud nullum populum fidem numinis Legislatorum institutis introductam fuisse; e contrario videmus Legislatores omnes, quorum aliqua est memoria, suis legibus præsidium quæsivisse in populorum religionibus. Si quidem omnes ferme finxere se a Diis *gentilitiis & tutelaribus*, qui maxime a populo colebantur, legatos esse: sic *Amasis* & *Mnevis* apud Ægyptios leges ab *Herma* sibi datas commenti sunt. *Zoroaster* apud Bactrianos, & *Zamolxis* apud Getas, a Dea *Vesta*; *Zathraustes* apud Arimaspos, a dæmone, seu bono genio; *Rhadamanthus* & *Minos* Cretensium Reges, a *Jove Cretensi*; *Triptolemus* apud Athenienses, a *Cerere*, gentilitia Dea; *Pythagoras* & *Zaleucus* apud Crotoniatas & Locrenses a *Minerva*; *Lycurgus* apud Lacedæmonios, *ab Apolline*; *Romulus a Deo Conso*, *Numa* a Nympha *Ægeria*, suas leges sibi traditas gloriabantur. Inter omnes hos nullus invenitur, qui prima apud populum aliquem posuerit religionis fundamenta, aut qui in suis institutis populorum opinionibus & religionibus morem non gesserit.

Objicies cum Baylio. (*Contin. des pens. div.*) Ut confici possit certo existentia Dei ex consensu populorum, consensus ille debet esse omnino generalis sine exceptione ulla. Atqui res ita non est. Nam,

1. Testantur quamplures Historici gentes olim fuisse Atheas, tales erant *Thoes*, extremæ Thraciæ populus, ut refert Porphyrius (*L.* 2. *de abstin. ab anim. p.* 132.) ex Theophrasto. Tales *Nasamones*, narrante Dionysio Periegete (*Perieg. vers.* 210.) Tales *Gigantes*, de quibus Macrobius sic scribit (*L.* 1. *Satur. c.* 20.). *Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quandam impiam gentem Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti solo voluisse.* Tales Phlegyes, *qui ab Homero* (*Hym. in Apol. v.* 279.) *dicuntur Jovem non curare*: & in scholiis ad Iliadem, (*N.* 302.) *Athei vocantur.* Tales *Atlantes*, genus quoddam Ethiopum, qui *Athei* dicuntur a Strabone (*L.* 17. *p.* 823.) & Mela (*L.* 1. *c.* 8.). Tales *Callaici* seu Lusitani, referente Strabone (*L.* 3. *p.* 164.). Tales *Galli*, authore Cicerone (*Orat. pro Fonteio c.* 9.) Tales erant *Arabes*, teste S. Nilo (*Narr. tert.*).

2. Multas quoque gentes in orbis partibus recens detectis sine religione vivere ex multorum peregrinatorum & navigatorum relationibus compertum est, quorum testimonia plura collegit Baylius (*Contin. des pens. div. sur la Com.*). Tales erant *Canarienses*, teste Columbo (*Navig. c.* 2.). Tales incolæ *Insularum* quarumdam *Meridionalium*, referente Jacobo le Maire (*Descript. Navig.* 31. *maii.*); & insulæ prope litus Guineæ novæ,

væ, narrante Schouten (*Diarii p.* 47.); & insulæ vel terræ *Yedso*, seu *Jeso* prope Japoniam (*Maff. ep. l.* 4. *april.* 28. 1565.), & Insularum *Cubæ*, *Hispaniolæ*, &c. auctore de Laet (*Descrip. Ind. occid. l.* 1. *c.* 10.); & Insularum *Marianarum*, referente P. le Gobien (*Hist. des Isles Marianes.*); & insularum *Antillarum* (*Arnaud. quatr. denonc. du peché phil.*). Tales *Brasilienses*, ut narrant Leri & Richier (*Hist. Nav. in Braf. c.* 16. *p.* 223. *Bayle dict. crit. art. Leti.*). Tales *Canadienses*, *Hurones*, *Souriquosii*, *Armouchicosii*, testibus Gabriele Sagard (*Hist. du Canada.*) & Lescarbot (*Hist. de la nouvelle France*, *l.* 6. *c.* 6.). Tales tandem *Cafri*, seu *Hottentoti*, accusante Thevenotio.

3. In illo antiquissimo & florentissimo Sinarum imperio secta est non hominum rudium, sed litteratorum, late diffusa, quæque principatum obtinet: illa tamen, referentibus gravissimis authoribus, (*Bayle contin. des pens. div.*) nullum in rerum universitate Deum seu mentem cum consilio gubernantem agnoscit, sed tantummodo vim quamdam cientem sine ratione motus necessarios.

Respondeo 1. nego maj. Agnoscunt omnes scriptores nationes Atheismi suspectas esse omnium maxime barbaras: *At ex gentibus illis tam efferatis & inhumanis*, *ut ait Porphyrius*, *L. de abstin.*) *non oportet ab æquis judicibus convicium fieri naturæ humanæ.* Numquid æquum esset de corporis humani habilitatibus judicare ex cæcis, vel surdis, vel mutis vel contractis; aut dotes animi humani ex idiotis, stupidis, vel insanis colligere? Sine dubio specimen naturæ cujuslibet a natura optima sumendum est.

Respondeo 2. nego min. & 1. quidem levia sunt illa quæ ex veteribus scriptoribus afferuntur ad minuendam eorum auctoritatem, qui supra laudati sunt. Singula exempla expendamus.

Quæ de *Thoibus* apud Porphyrium, & de *Nasamonibus* apud Dionysium leguntur, nullo alio testimonio confirmantur, & ad impios illorum populorum mores referenda sunt. Certe novimus *Thracas* & *Æthiopas*, quibus illi annumerantur, Deos agnovisse.

Macrobii verba *de Gigantibus* non factum continent, sed fabulæ arbitrariam explicationem.

Phlegyes Jovem non curantes bene ab Eustathio dicuntur *homines improbi & latrones*: & ista sæpius vis est vocis istius, *Athei*, apud veteres.

De *Atlantibus* scribit solummodo Mela, *quod solem execrentur*, *& dum oritur & dum occidit*, *ut ipsis agrisque pestiferum*. Strabo quidem de *Æthiopibus*, qui ad Torridam habitant, eadem refert, & addit: *quod nonnulli Athei putarentur*. Sed sine dubio ob hanc solam causam quod solem execrarentur; quemadmodum Judæos vocat Plinius *gentem contumelia Numinum insignem*: & Christiani ab Ethnicis dicebantur, *sacrilegi*, *prophani*, *athei*.

Non affirmat Strabo *Callaicos* seu Lusitanos nullum Deum agnoscere, sed quod ita aliqui dicerent: & eodem loco narrat *Celtiberos* ad Septentrionem vicinos, & Deum agnoscere, & sacra facere.

Ciceronem *Gallos* a Religione alienos scribentem secum non consentire probat Vossius: (*L.* 1. *de Idol. c.* 37.) longe major est Cæsaris authoritas qui tradit, (*De bell. Gall. l.* 6. *c.* 16.) *nationem omnem admodum fuisse deditam religionibus*.

S. Nilus parum etiam secum ipse consentit; cum paulo post doceat illos *Arabas* religione carentes, *solere stellam matutinam adorare & sacra illa facere*.

2. Quod spectat relationes navigatorum de barbaris Americæ, seu Africæ, seu Asiæ populis: non est temere omnibus adhibenda fides, ob multiplicem causam.

Primum, quia plures ex levissima conjectura nobis mores illorum hominum retulerunt, cum quibus nec sermonem conferre poterant, nec audebant: tantum sciebant, quantum ex specula videre licebat. Hujus generis relationes sunt multæ, ut *le Maire* de Insulis Meridionali-

nalibus, *Schouten* de Insula prope littus Guineæ novæ, & eorum qui olim de terra vel insula *Yedso* scripserunt: neque prædicti authores absolute affirmant illos populos carere religione, sed se pauca detexisse religionis vestigia.

Secundo: Pleræque relationes istius generis nullum in initio habuere fundamentum, nisi crudelissimorum hostium calumnias. Acceptæ enim sunt ab illis, qui inhumane depopulati sunt regiones illas, & qui ut invidiam bonorumque indignationem, quam crudelitate sua excitaverunt, aliquatenus minuerent; illos miseros homines alienos ab omni humanitate exhibuerunt. Certe narrat Benzo (*Hist. nov. orb. l.* 10. *c.* 8.) Hispanos cum continentem invasissent, & multas experirentur difficultates in tanta coercenda imperio suo multitudine; omnibus vitiis apud Regem populos illos onerasse, ut edictum obtinerent quo ad perpetuam servitutem omnes damnarentur: & tamen scribit illos tantum accusatos tunc fuisse idolatriæ: neque ulla alia causa afferri potest, cur tanta existat inter varias relationes oppositio. Omnium primæ, editæ a viris qui plenam & perfectam habebant illorum populorum notitiam, (*Vid. Petrum martyr. Anglerium dec.* 1. *c.* 1. 9. *dec.* 3.) illis tribuunt religionem & sacras cæremonias, v. g. incolis *Cubæ*, *Hispaniolæ*, &c. dum illos nullam habere recentiores scriptores (*De Laet. supra*.) affirmaverint.

Tertio: Multorum scriptorum testimonia nullum aliud habent fundamentum, nisi quod apud illos populos nulla templa, nullas aras, nulla publica sacrorum ministeria conspexerint. Quod tamen nullo modo argumento est, illos non habere notitiam Dei, nec etiam admirationem nostram habere debet, si consideremus quod vagi & palabundi vivant sine civitate & sine lege. Forte didicerunt a majoribus nullum cultum, nisi internum animi, Deo gratum esse: refertur (*Voyage du Sr. Champlain*, *l.* 3. *c.* 5.) etenim, unum ex barbaris Canadæ interrogatum, cur Deo preces & sacra non faceret, respondisse; relictum esse unicuique, ut id animo interius perficeret. Legimus etiam (*Purchas t.* 6. *l.* 10. *c.* 5.) *Winslow*, qui unus ex primis plantatoribus in Anglia nova extitit, didicisse a barbaris, illos agnoscere unum Deum supremum & plures inferiores: & ideo correxit, quod antea de illis retulerat deceptus externa specie, vid. eos esse sine Deo. Tandem a multis refertur de incolis insulæ *Madagascar* (*Dellon rel. d'un voy. t.* 1. *c.* 8. *F. Cauche p.* 119.) & Americæ populis dictis, *Nouragues* & *Acoquas* & *Galibis* (*P. Gillet Journal. du voy. dans la Goyane*, *c.* 7. *p.* 81.) quod etsi consentiant in agnoscendo uno Deo, illi tamen nullum præstent cultum.

Quarto Populi, qui suspicione Atheismi maxime laborabant, multorum testimoniis, quorum major auctoritas est, absolvuntur. Sic *Canarienses*, quos Columbus accusaverat, unum Deum agnovisse virtutis remuneratorem & scelerum vindicem, constat ex historia subactionis istarum Insularum. Sic *Caraibæ* Insularum Antillarum (*a*) alium Deum boni principium agnoscunt, alium mali principium timent, quem *Maboga* appellant, cui præsertim sacra faciunt: Sacerdotes habent quos *Boyez* vocant. Falso accusati sunt *Brasilienses*, quod nec Deum agnoscant, nec ullum nomen Dei apud ipsos esset: habent Deum primum & summum quem *Tupa* & Tupana nuncupant: Sacerdotes etiam habent per quos sacra faciunt (*Laet. de Or. gent. Amer. pag.* 193. *Margrav. de Bras. Reg. cap.* 9.). *Hurones*, *Souriquosios*, aliosque *Canadæ* barbaros Deum agnoscere, cui vota & munera offerunt, extra omnem controversiam est. (*Lafitau*, *mœurs des Sauvages Américains*). Gabriel Sagard & Lescarbot negant solummodo eos cognoscere verum

(*a*) *Rochefort Hist. morale des Antilles*, *c.* 13. 14. *Du Tertre Hist. nat. des Ant. t.* 2. *p.* 365. *Relation des Caraibes du Sr. de la Borde*, *c.* 2. & 3.

rum Deum. Certum quoque est *Cafros* seu *Hottentotos* unum Deum summum agnoscere, quem magnum ducem vocant: colere praeterea Solem & Lunam, & sacras habere caeremonias, testes multi sunt (*a*). Unius P. le Gobien de incolis Insularum Marianarum testimonium nullo contrario refellere possumus: sed nescio an valde ipse sibi consentiat, dum scribit eos credere animos immortales, hisque repositas esse vel laetas post mortem sedes, vel tristes in inferis, quibus praesidet malignus genius. Quis praesidet laetis sedibus?

3. Tandem, quod ad Sinenses attinet: haud diffitemur apud eos Atheos esse, vel etiam Atheorum sectam, qualis erat apud Graecos & Romanos secta Epicureorum: at negamus illam sectam, aut apud eos antiquam esse, aut late diffusam, aut imperium tenere.

Et primum quidem illi ipsi authores, quos laudat Baylius, confitentur doctrinam veterum Sinarum per duo annorum millia sanctissimam in hac parte fuisse & agnovisse illos unicum Deum; bonum & sapientem rerum omnium conditorem, conservatorem & gubernatorem, ad quem in afflictis rebus confugiebant, & in cujus praesidio spem omnem ponebant. (*b*)

Deinde quod illa Atheorum secta valde diffusa in Sina esse nequeat, manifestum est ex eo, quod iidem authores referant eandem vetustissimam religionem vigere apud litteratos; populum vero variis superstitionibus deditum esse: magnam partem sequi praecepta *Laokiun* vel *Xekia*, qui innumerabiles Deos Sinarum imperio intulit; alios idolatras esse & addictos cultui *Foe*, quae nova superstitio invecta dicitur ter mille annis post tempora *Fohi* Sinici imperii conditoris, & 1600 post *Confucium*.

Tertio, quod illa litteratorum secta, quae hodie in Sina dominatur & damnat tanquam haereticos sectatores *Laokiun* & adoratores *Foe*, non sit Atheistica impietate infecta, constat ex testimoniis plurimorum authorum (*c*). Constat etiam ex eo, quod vetustissimis libris maxime addicta sit, servetque diligenter veteres usus, juxta quos ab imperatore cum maximo apparatu, statutis temporibus, Regi Coeli sacra fiunt. Constat ex ipso Imperatoris testimonio, qui anno 1700. dignatus est edicto publico profiteri, Sinas non *materiale* & *visibile* coelum, sed coeli dominum adorare: quem non nisi ad reverentiae testificationem *coelum* vocant, sicut imperatorem suum ob eandem causam *palatii* sui nomine nuncupant. Hanc constantem doctrinam imperatoris fuisse & magnatum multiplici testimonio confirmat P. du Halde. (*Description de la Chine tom.* 4.)

Illi ergo litterati apud Sinas Athei carent omni auctoritate & honore: & praeterea multa etiam dici possunt, vel ad eos excusandos, qui alium nullum Deum admittere videntur, praeter vim quamdam in natura, quam vocant *Taiki* vel *Li*. Nam hanc vim, non solum infinitam & aeternam dicere solent, sed etiam summe perfectam; vitam illi attribuunt, nominantque animam seu spiritum caeli; & tam magnifice quandoque de ejus intelligentia & solertia loquuntur, ut populus non dubitaverit templa in honorem *Li* seu *Taiki* aedificare, eique vota & sacra facere.

Quod vero addit Baylius (*Contin. des pens. div. c.* 13.) oportere nos probare non tantum nullam gentem cognitam esse Atheam;

(*a*) *Joan. Dos Santos*, *hist. de l'Ethiopie Orientale*, *c.* 7. *P. Tachard*, *voyage de Siam l.* 2. *p.* 84. *M. de la Loubere du Rayaume de Siam*, *t.* 2. *p.* 122. *De Chaumont. Journal du voy. de Siam*, *p.* 78. *Ten Rhyne Schediasma de prom. bonae spei. Petri Kolben Descriptio capitis bonae spei*. *Histoire des voyages*, *vol.* 5.

(*b*) *Duhalde*, *Description de la Chine*, *tome* 3.

(*c*) *Martin. hist. Sin. initio*. *Bartholi hist. Asiat. p.* 3. *l.* 2. *Magaillans nouvel. rel. de la Chine*.

Atheam; sed perfecta enumeratione ostendere nullos esse populos Atheos in regionibus Australibus nondum cognitis, vehementer absurdum est. Nam apud Physicos summa est vis *Analogiæ* ad conficiendum id: pro certo habetur quod constans experientia, cujus auctoritatem nullæ aut paucissimæ exceptiones imminuunt, confirmat. Sic concludunt omnia corpora gravitare, quod omnia nobis cognita corpora gravitent; sic bene sine dubio concluderent etiam genus humanum in regionibus Australibus, sicut in nostris maribus & fœminis constare, eorum corpora eadem habere exteriora lineamenta; & eorum animis insitos esse eosdem appetitus & affectus. Jam vero propter hanc eandem rationem & nos bene concludimus Australes gentes esse deditas religioni, cum Septentrionales, Orientales & Occidentales sine exceptione ei addictas videamus.

PARS SECUNDA.

Consensus generis humani summam habere debet vim ad persuadendum. Nam,

1. Præstantissima ingenia hujus argumenti vim agnoverunt. Ut Plato, Aristoteles, Cicero, Seneca, & alii. *Firmissimum hoc afferri argumentum videtur, ait Cicero, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Et alio in loco. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est* (*Vide Tusc.* 1. *de Nat. Dei*, *l.* 2. *c.* 17. & *l.* 2. *c.* 2.). *Multum dare solemus, inquit Seneca*, (*Vide Ep.* 117. & *de benef. l.* 4. *c.* 4.) *præsumptioni omnium hominum: apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; tanquam, Deos esse sic colligimus, quod omnibus de Diis opinio insita sit, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat.*

2. Testimonium generis humani in se consideratum & independenter ab ejus causis, summæ est auctoritatis respectu cujuscumque privati, nec sine magna arrogantia & stultitia contemni potest. Nam ut observavit Aristoteles in *Topicis*, id verisimile est, quod aliquibus sapientibus verum videtur; id majorem habet probabilitatem, quod sapientibus plerisque certum videtur; id majorem multo habet verisimilitudinem, in quo docti simul & indocti consentiunt: id denique juxta eandem regulam censendum est, habere maximam probabilitatem & esse moraliter certum, in quo omnes omnino consentiunt. Certe in communi vita has regulas sequi necesse est homines omnes, & illas ipsi sequuntur Athei: nam omnis ratio, institutioque vitæ in hominum auctoritate versatur.

Et vero aut aliqua est judicii humani auctoritas aut omnino nulla: hoc posterius non contendunt ipsi Athei, & nimis certe intolerabile foret pronuntiare genus hominum non esse rationale. Sin prius admittas, quod aliqua sit humani judicii auctoritas, in hac re certe maxime valebit; tum propter *rei*, de qua judicium profertur, *naturam*; quæ omnibus aperta & obvia est; nempe attendendum cuique tantum est, quid interius natura obmurmuret, quid expressum in natura cernat, quid in primis rationis principiis contentum deprehendat. Tum propter *unanimitatem*, qua fit, ut nulla auctoritate alia suspendi possit vis testimonii hujus humani. Etenim si in hanc Dei agnitionem consensissent tantum homines rudes & inculti, doctorum contradicentium sententia absque dubio imminuta esset plebis auctoritas. Vel si docti tantum in hanc opinionem convenissent, opponi fortasse posset populorum vox, qui ducem secuti naturam plus sapiunt quandoque quam philosophi. At illi qui negant, qui sunt? Paucissimi. Et quales? Quibus scilicet est illud scholæ stemma: *comedamus & bibamus, cras enim moriemur*. Quæ sententia, quæ auctoritas gentis illius esse potest, apud quam nullum est consilium; quæ neglectis rationis præceptis ducem vitæ libidinem fecerunt? Nos

si in

contra totum genus humanum sumus *& consultius est, si errandum est, quandoquidem homines sumus, quod cum ipso genere humano errare videamur*. Aug. de ut. cred. c. 7.

3. Denique consensus ille universalis summam habet vim ad persuadendum, si in causis suis necessariis spectetur. Nam cujusque effectus universalis causam aliquam generalem esse oportet. Atqui causa nulla generalis præter has fingi potest: videl. naturæ insitam & innatam cogitationem; vel naturalem & communem propensionem ad hanc opinionem, penitus animo combibendam statim atque menti proponitur; vel facile & obvium omnibus ratiocinium ductum ex consideratione rerum naturalium; vel denique communem traditionem acceptam a communibus parentibus, & ab initio rerum ad hæc usque tempora derivatam. Sed si primum, vel secundum, vel tertium concedant Athei, convicti sunt, ut proximo argumento efficiemus. Sin vero ex traditione accepta a communibus parentibus derivare velint hunc omnium sæculorum perpetuum sensum: in hacce etiam hypothesi magnam habere debet vim ad persuadendum primorum parentum auctoritas, qui quo propius aberant ab ortu rerum, hoc melius sine dubio, ea quæ erant vera cernebant. Verum hanc hypothesim vanam esse probabunt ea omnia, quæ in sequenti argumento dicturi sumus, nec profecto ut habet Tullius (*lib. 2. de Nat. Deor. c. 2.*) *id nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis, ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hyppocentaurum fuisse aut Chimæram putat? Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat*.

Præterea juxta fundamentale Atheorum principium omnis perceptio, omnis cognitio est ex sensibus, ut habet Lucretius:

Invenies primis a sensibus esse creatam
Notitiam veri.

Ex illo ergo explicare teneantur Athei hanc tam communem de Deo opinionem, atque ideo Epicurus fingebat effluere ex Deorum corporibus vel *quasi corporibus* simulachra, quæ nostros interiores sensus afficiunt. Democritus vero afferebat hæc idola non ex Deorum corporibus effluere, sed in ipso aere sponte nata sese per poros corporis insinuare. Has ridiculas opiniones exposuisse, confutasse est: ut & illam Cardani & Vanini docentium ex tactu siderum natas esse & omnino pendere religiones.

Objicies cum Baylio (*Pens. div. c. 18. & suiv. contin. des pens. div.*). Auctoritas quæ errori & superstitioni patrocinatur, nullius ponderis est. Atqui universalis consensus generis humani in multorum errorum & vanissimarum superstitionum patrocinium afferri potest: nempe ad astruenda *eclipsium* præsagia, *Cometarum* minas, vim *Siderum* in vitam humanam, *Divinationem*, *Polytheismum & Idolatriam*.

Respondeo, nego minorem. Nam falsum est illis erroribus imbutum fuisse *universum* genus humanum, sicut omnium animos occupavit religio. Quotus enim quisque philosophorum vel sapientum fuit, qui illis omnibus addiderit fidem? sed profecto si *sapientum ferme omnium* suffragio circa Dei existentiam careremus, nunquam arripuissemus argumentum hoc ab auctoritate hominum. Deinde non in omni tempore prædictis opinionibus fidem dedit ipsa *plebs*. *Astrologia judiciaria, & Divinatio*, non sunt inditi sensus ac universales, sed artes, quarum regulæ supra captum vulgi positæ erant, de quibus multæ rationes ne fando quidem audierunt; quæ & ab aliis receptæ sunt ex sola Sacerdotum auctoritate. Nullum etiam erat constans plebis de *eclipsibus* & *Cometis* judicium profectum a natura, sed momentanea potius terroris ex illis

illis eventibus impressio fuit. Quod ad *Polytheismum* atque *Idolatriam* attinet; illa neque ubique obtinuere; & ubi obtinebant, conjuncta erant cum notitia *unius supremi & præpotentis Dei*, Deorum omnium, hominumque parentis, ut infra conficiemus ubi de unitate Dei.

Præterea non tantum ab *universalitate testimonii* argumentum petimus, sed ex *natura rei* de qua fertur judicium. Si quidem putamus judicium illud de *providentia*, (nam hic non agitur de natura aut unitate Dei) non esse supra vulgi captum, & omnes homines ad dicendam sententiam admittendos esse, quod quæstio dijudicanda sit ex ipsis sensibus, qui cuique sunt interiores; aut ex simplici aspectu naturæ, cujus omnes partes evidentia consilii & solertiæ indicia ferunt. At illa alia enumerata in objectione sunt a vulgi intelligentia longissime disjuncta: neque idonei judices sunt plerique rudes, quæ causa sit defectuum solis & lunæ, vel ortus & occasus cometarum. Possunt facile rudiores persentiscere, aut obvio & facili ratiocinio consequi, vim esse quamdam cuncta cum consilio gubernantem; quamvis non distincte intelligant, quæ sint attributa istius vis; vel quæ ratio administrationis ejus; an per tactum siderum; an per tutelares & inferiores Deos; an per particulares voluntates, quarum indicia voluit esse Eclipses, Cometas, aliaque prodigia, res humanas moderetur. Idem sæpe contingit ipsis Philosophis, qui existentiam multarum in natura virium compertam habent, quamvis neque has vires, nec earum causas, nec earum leges, possint describere.

Denique istorum omnium errorum, *Polytheismi*, *Idolatriæ*, *Divinationis*, aliorumque religionis adjunctorum causas, principia, initia, progressus novimus: nullam habent constantiam, sed facile ex animis extirpantur. Religionis ipsius nullam causam nisi naturam, nullum initium nisi originem rerum deprehendimus; sicque naturæ congruens est, sic penitus ei infusa, ut nullo modo illam exuere possimus. Vide *Stillingfleeti* Origines sacras. *Barrow t.* 2. serm. 8. J. L. *Fabricii* Apologeticum pro genere humano. *Elizaldi* formam veræ rel. quær. & inv.

ARGUMENTUM TERTIUM

Ex sensibus naturalibus.

Quæ superiori argumento de hominum universali sententia & illius exterius consideratæ auctoritate disputata sunt, sponte ducunt ad sensuum naturalium investigationem, ut pervideamus, an illa tanta & tam constans omnium in una re consensio non sit a natura ipsa profecta, & quæ sit naturæ auctoritas. Tamen quoniam alius locus (*Ubi de lege naturali*) erit illos sensus naturales evolvendi, hic non nisi breviter in illorum explicatione versabimur.

PROPOSITIO.

Interior naturæ humanæ vox, seu, insiti a natura omnium hominum mentibus sensus Deum esse indicant & universalem hominum consensum peperere.

PROBATIO.

Existit profecto Deus, si naturæ vox summam habere debeat auctoritatem, & illius voce ad Dei notitiam perducamur.

1. Summa apud nos esse debet naturæ auctoritas; quia illam solam nacti sumus in omnibus præceptricem: nec illius vim tollere possis, aut in docendo auctoritatem, quin omnem simul tollas veritatis inveniendæ viam: quid enim metaphysica veritas est, nisi idearum convenientia, quam sensu quodam naturæ insito apprehendimus? Quid veritas physica, nisi quæ sensibus externis naturæ nostræ adjunctis, percipitur? Pone sensus naturales fallere posse, aut, universales errores naturæ humanæ adjunctos esse,

esse, finem omni disputationi posuisti; in qua semper ab aliquo principio certo & concesso est proficiscendum.

Et vero in quacunque hypothesi, sive Theistarum, sive Atheorum, est naturæ sanctissimum judicium, cui sese non submittere, incredibilis stultitia est. In hypothesi quidem Theistarum: quia apud eos, ut scribit Seneca; *nihil aliud est natura, quam divina ratio mundo & partibus ejus inserta:* seu vox naturæ, vox est illius, qui naturæ inventor & informator est; adeoque si natura duce erraremus, falleret nos Deus. In hypothesi etiam Atheorum sanctissimum haberi debet judicium naturæ; quia cum apud ipsos omnis intelligentia sit passio ex rebus externis orta, quisque sensus proprium & particulare objectum habere debet; quia etiam nulla omnino alia norma judicii esse potest: hincque, ut infra dicemus, veteres Athei *id cuique verum esse, quod sibi videretur*, affirmabant; ex quo nos concludimus id *omnibus verum esse, quod omnibus videtur*. Vel si nt ipsi concedunt, quæque perceptio & quisque sensus causam aliquam particularem & objectum particulare habere debeat; ergo perceptio diffusa in omnes & sensus communis, universalem causam & commune objectum debet habere.

2. Naturæ interiore voce seu sensibus naturalibus ad Dei notitiam perducimur. Nam gerimus in animis legem ad quam non docti, sed facti sumus, sensum honesti & turpis. Experimur legem hanc sanctionem habere naturalem, in conscientia delicti, quæ ægritudinibus angit, cum legis præcepta non servamus; & in sensu suavissimo innocentiæ, quo perfundimur cum vitam omnem secundum legem instituimus. Hujus sanctionis pars est naturalis præsensio futurorum sæculorum; expectatio jucunda melioris ævi sponte occupat bonorum animos; sollicitat malos futurorum suppliciorum metus. Cum his omnibus connexus est sensus naturæ alicujus curantis res humanas, habentis bonorum & malorum rationem, illos remunerantis, hos punientis. Naturales esse hos sensus efficitur ex eo, quod sint universales, naturæ congrui & constantes.

Primum ex universalitate: nam certe est aliquod testimonium naturæ, sunt principia aliqua prima, quæ probanda non sunt, sed admittenda, quæ appellantur lumine naturali nota, seu communes conceptiones; quibus si careremus, actum esset de scientiis omnibus, nec quidquam unquam confici posset, cum a nullo certo principio initium disputationis sumere possemus. Atqui si aliquæ sint ejusmodi primæ intelligentiæ & communes conceptiones, illæ sunt procul dubio, in quibus gentes omnes conveniunt & natura tota consentit. Illa a Philosophis habentur naturalia, quæ speciei alicui communia esse constans docet experientia, vel quæ ita communia sunt, ut paucissimæ sint exceptiones; sic naturæ hominum adjunctum est, videre, audire, &c. Sic gravitatem adjunctam esse omni materiæ communi lege concludunt Physici, quia omnia nobis cognita corpora, huic legi subjecta sunt. At nihil est, in quo natura humanæ mentis in omnibus individuis, tam similis, tam eadem est, quam in illis sensibus modo enumeratis.

Et certe si de aliqua re nos natura instruere debuerat, nihil erat omnibus adeo necessarium, quam notitia Dei & primorum principiorum Religionis & vitæ moralis. Ergo cum omnes inveniamus ad hanc notitiam institutos, bene auguramur hanc esse naturæ institutionem.

Secundo: evidentissimum indicium est, sensus illos naturales esse, quod omnino sint naturæ *congruentes* & plane *indelebiles*. Illi quippe sensus non institutis & legibus confirmati sunt, non illos communes fecit collocutio hominum, sed sponte & naturaliter exoriuntur in animis, ut quævis alia affectio naturalis; id patet ex eo, quod illorum non minor vis sit apud incultam plebem, seu etiam barbaras gentes; quam apud

illos, quos doctrina expolivit. Deinde si quid contra naturam est, eo exui exultat natura, tanquam soluta ab iniquo onere, & nativam consecuta libertatem: quod vero secundum naturam est, id non nisi cum multo labore violenter evellitur, & prima data occasione rursus occupat animum:

Naturam expellas furca, tamen usque recurrit. Hor.

Porro hoc in re præsenti evenire certum est; fac omnia loca personare præceptis Atheorum; nemo vel in ipsis Epicuri scholis ad hos sensus naturæ obsurdesceret: multi naturæ bonitate domiti ad legem illam ingenitam, ad quam non essent docti vitam componerent; & virtus, præsertim adversam passa fortunam, spem injiceret melioris ævi: dum alii aspernati illam legem, conscii invito delicti, ipsi se fugerent & perpetuis ægritudinibus eliderentur. Alias unde factum est, quod cum integræ nationes formam religionis sæpe mutaverint, & falsam pro falsa, & veram etiam pro falsa reliquerint, nulla tamen hactenus crediderit juxta præcepta Atheorum sine religione vivendum esse.

Sed utamur in hac parte gravissimis auctoribus Epicuro & Lucretio: in Epicuri ratis sententiis hoc enuntiatum fuit: *si ea quæ luxuriosis sunt efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum & mortis metu, docerentque qui essent fines cupiditatum, nihil haberemus, &c.* Concludebat in illo loco non posse jucunde vivi, nisi honeste vivatur; quod ea quæ luxuriosis sunt efficientia voluptatum metus injiciant graves Deorum, quibus nulla liberari possunt industria, nisi vitam secundum virtutis normam instituant. Lucretius etiam confitetur plerosque suos in schola Epicuri condiscipulos terroribus iisdem frangi, præcipue in rebus adversis, & tunc acrius advortere animos ad religionem, etiamsi profiteantur se scire animum nihil nisi sanguinem esse: quem locum his pulcherrimis versibus & ad rem nostram aptissimis concludit.

Quo magis in dubiis hominem spectare periclis
Convenit, advorsisque in rebus noscere, qui sit:
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.

Fortasse etiam recte pronuntiat Seneca de Atheorum fortissimis: (*a*) *mentiuntur, qui dicunt se non sentire esse Deum, nam etsi tibi affirment interdiu, noctu tamen & sibi dubitant*. Certe Cotta apud Ciceronem de ipso Atheorum duce Epicuro dicit. *Nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret; mortem dico & Deos*.

Objicies 2. Ista de divina gubernatione opinionio a *metu* proficisci potuit. Homines enim cum natura imbecilles & infirmos se esse sentiant, perpetuis curis & sollicitudinibus die noctuque exedi, atque rerum futurarum expectatione excruciari: hisce angoribus adducti sunt ut res sibi fingant animo terribiles & formidolosas, multaque suspicentur & credant esse, quæ nusquam sunt, atque inter alia ut sibi fingant naturam ab oculis hominum remotam & rationis participem, quæ ad arbitrium suum in orbe dominetur; & quicquid vocabulorum excogitare possunt ad reverentiam & studium suum testandum, id in fictam illam naturam conferunt, omnesque vias placandi, sibique illam conciliandi exquirunt, & sic se-

se

(a) *Je sens qu' il y à un Dieu, & je ne sens point qu' il n' y en ait point, cela me suffit; tous le raisonnemens du monde m' est inutile: je conclus que Dieu existe. Cette conclusion est dans ma nature, j' en ai reçu les principes trop aisement dans mon enfance; je les ai conservès depuis trop naturellement dans un âge plus avancè, pour les soupçonner de faussetè. Mais il y a des esprits, qui se defont de ces principes: c' est une grande question s' il s' en trouve de tels: & quand il seroit ainsi, cela prouve seulement, qu' il y a des monstres*. Caract. de la Bruyere, cap. 16.

se in miserrimam detrudunt servitutem. Ita vetus Poeta cujus est hoc scitum: *primus in orbe Deos fecit timor*. Vide Lucretium l. 6. v. 49. Spinosam in præfatione ad tractatum theologicopoliticum. Hobbium lev. c. 12.

Respondeo 1. nego consequentiam. Nam etsi concederemus sensum divini Numinis a metu esse, nihil proficient Athei: quia si metus ille naturalis sit, si sit innatus animis, si sit diffusus in omnes, non minus arguet divini Numinis existentiam, quam ipsa notio Numinis mentibus indita: certe sive homines ad agnitionem Numinis naturalibus & insitis affectibus ducantur, sive insit naturaliter notio Numinis, id eodem redit. Quia in utraque hypothesi, si nullus Deus sit, vanitatis damnanda est natura, quod summæ stultitiæ est.

Respondeo 2. nego antecedens. Quia, 1. temeritatis habet multum, id assumere sine probatione, quod in controversia positum est. 2. impudentissima est illa impiorum hominum in omne genus humanum calumnia, quasi vero universi usum rationis vanis terroribus amiserint, pauci Athei magno, constanti & imperterrito animo fanatici hujus metus vim effugerint. 3. Si notio Numinis a metu profecta fuisset, rem sibi fingerent homines formidolosam & truculentam, suæ vitæ insidiantem; sed contrarium sibi persuadent; Deum naturam putant amabilem, optime de nobis meritam, cultuque nostro dignissimam: adeoque Athei melius decrevissent *spem* originem Dei notioni dedisse, sicque rationem verisimilius instituissent: homines cum incerta rerum humanarum cernerent, sollicitos naturam quæsivisse, tum potentem, tum humani generis amantem, quæ fortunas suas adversus omnes insidias temporum, hominumque firmaret; itaque rem sibi finxisse supra omne id, quod videmus, positam, potentem & beneficam, ad eamque, quo tutis sibi liceret esse, precibus & sacrificiis confugisse. Certe ita Plinius ab Atheistica impietate non alienus rationem deduxit dum docuit sensum Numinis & immortalitatis *puerilium delinimentorum*, *avidæque nunquam desinere mortalitatis commenta esse*.

4. Uti supra diximus, nulli minus sunt de futuris eventibus solliciti, quam illi in quibus est summa in Deum pietas: nulli majoribus ægritudinibus eliduntur, quam Athei, seu ii qui sensum Numinis ideo præfocare conantur; adeoque potius Deum timor sustulit quam fecit.

Objicies 2. Religionis seu persuasionis istius de existentia Dei causa, *ignorantia* juste censeri potest. Homines enim ipsa natura feruntur ad causarum indagationem, atque tanta est scientiæ cupiditas, ut si eventuum nullas naturales causas valeant invenire, alias sibi fingant non naturales, tragicos imitati, qui si exitum fabulæ invenire nequeant, Deum quemdam ex machina advocant: ita Hobbius lev. c. 12. *Metus perpetuus, qui genus humanum in causarum ignorantia, quasi in tenebris, comitatur, objectum habet necessario aliquod: quia ergo fortunarum suarum causam aliquam homines non vident, nihil est quod accusare possunt præter potentiam aliquam & agentem invisibilem: atque hinc fortasse erat, quod veterum Poetarum aliqui Deos primos a timore factos esse dixerint: iisdem ex causis natam esse statuunt popularem doctrinam de inferioris ordinis mentibus supremo Numini parentibus*. Ita etiam Lucretius, l. 5. v. 1182.

Præterea Cœli rationes ordine certo.
Et varia annorum cernebant tempora verti,
Nec poterant, quibus id fieret, cognoscere causis:
Ergo perfugium sibi habebant, omnia Divis
Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.

Respondeo 1. Nimium habere arrogantiæ, opinionem defendere, imponendo omnibus hominibus calumniam ignorantiæ.

2. Asserenda est hujus assertionis ali-

qua



qua probatio. Nam Theistæ ex altera parte contendunt se duci ad Dei notitiam non per ignorantiam, sed per clarissimas mentis perceptiones, per evidentissima consilii & artis indicia, per sensus omnes interiores.

3. Ducuntur Theistæ ad agnitionem Dei, considerantes Atheorum imperitiam & vanitatem; qui postquam illud principium, *ex nihilo nihil fit*, universæ suæ philosophiæ fundamentum fecerunt, omnia *ex nihilo* fingere & sine *efficiente causa* coguntur: *corpora* omnia, quæ cum nullam habeant externam existentiæ causam, nec internam suæ existentiæ rationem, utpote non necessaria; ex nihilo sponte & sine causa orta esse necesse est. Deinde *motum*: ille enim juxta plures Atheos, & imprimis Spinosam, essentialis materiæ non est: nec potest juxta eosdem semetipsam movere. Quid hoc est, nisi statuere motum sine causa existere? actionem sibi fingere sine causa efficiente? Postea *sensum* & *rationem*: has facultates ex motu educere, est ex nihilo procreare: immo in hypothesi quod materia possit cogitare, ita se habet intelligentia respectu corporis moti, ut motus respectu corporis quiescentis. Sicut igitur hujus causa aliqua assignanda est, ita & illius. 4. *Libertatem*: Nam quod excogitavit Epicurus figmentum, esse in atomorum motu libertatis quoddam genus, ortum ex levi inclinatione earum, id vehementer est absurdum, idemque valet ac si dixisset ex nihilo libertatem nasci hominum: nam cum atomi certo definitoque ferantur motu, parum refert inclinentur quædam, necne; necesse sane est esse omnia fato & ineluctabili necessitate constricta. Quinto: nec explicare possunt Athei, unde oriatur *species* & *pulchritudo* rerum: hanc casu & fortuito contigisse aiunt; sed *casus* & *fortuna* voces sensu & potestate vacuæ sunt, nisi per eas intelligas, vel absentiam causæ intelligentis: sed quis feret hoc, absentiam causæ intelligentis esse causam pulchritudinis? vel intelligas confusionem & temeritatem; sed quis feret istud, confusionem peperisse ordinem, temeritatem produxisse artem & sapientiam? Sexto: nec *comunis* istius *de Deo opinionis*, nec *sensuum naturalium*, qui pulsant omnium hominum animos; nec cur tanta sit religionis *utilitas* seu efficientia ad felicitatem vitæ, vel ad societatis seu naturalis, seu civilis incolumitatem, ullam possunt invenire rationem. Hujus eorum inscitiæ causa in promptu est; quod in rebus explicandis proficiscantur a re omnium vilissima & abjectissima, *materia* vid. *inerte*, & gradibus ascendunt ad id quod est in natura præstantissimum; quasi vero effectus causa sua nobilior & præstantior esse posset. E contrario bene explicant omnia Theistæ, quia sumunt initium ab eo quod summum est, & facultates minores derivant ex eo quod majori gaudet perfectione, omnesque virtutes in se continet, uti fusius in sequentibus exponetur. Hisce rationibus, non causarum ignorantia, ducuntur Theistæ ad notitiam Dei.

Objicies 3. Sensus ille Numinis bene in *Legislatorum versutiam* refundi potest. Illi quippe cum intelligerent fore, ut multo facilius in officio erga Magistratus continerentur cives, si Deum esse putarent: vitia illa naturæ *pavorem* & *ignorantiam* sollicite foverunt & femina fecerunt Religionis. Ita ex omni tempore Athei docuerunt: antiquiorum mentem sic expressit Plato, *l.* 10 de leg. *Deos, o beate vir, primum affirmant non natura esse, sed arte unice ac legibus constitutos, hincque fieri ut singulis regionibus & populis proprii Dii sint, pro diverso eorum, qui leges rogarunt civitatum, ingenio & indole*. Quorum secutus vestigia Hobbius, religionem & superstitionem sic definivit: *metus potentiarum invisibilium, sive fictæ illæ sint, sive ab historiis acceptæ publice, religio est: si publice acceptæ non sint, superstitio*.

Respondeo, 1. Exspectare nos hujus assertionis rationem aliquam probabilem: quæstio facti est, quæ exemplis est confirmanda; at nullum habent Athei. Nam quod

quod Legislatores omnes vim religionis perspicientes illa usi sint ad continendos in officio cives, quodque varias leges tulerint ad inducendam cultus publici uniformitatem, fovendamque pietatem erga Deos; id non juvat Atheos: quia ita agere debuissent, si naturalis fuit hominibus sensus Numinis. Quod etiam quæque civitas Deos proprios habuerit; id non est profectum ex diversa indole Legislatorum, qui summi viri fuerunt, & a vulgi imperitia & stupore multum distantes; sed ex levitate multitudinis, cui nunquam satis fuit habere cum reliquis hominibus communem parentem, qui curam omnium æqualem gereret: sed insuper Deos *indigenas*, *locales*, *gentilitios & tutelares* habere voluit, qui sibi suisque rebus specialiter invigilarent: cui populari ingenio morem gerere coacti sunt præstantissimi Philosophi & maximi Legislatores.

2. Non legibus aut institutis introductam esse de Deo opinionem, patet ex eo; quod illa haud minus vigeat apud barbaras gentes, quæ carent omni cultu civili, quam apud humaniores.

3. Haud facile intelligitur, qui opinio, nec in sensu naturali fundata, nec rationi consona, quæque supponitur hominibus molesta, eosque gravissima servitute deprimere, tam facile omnium animos occupaverit.

4. Qui factum est, ut non tantum cives, sed ipsi Reges & Magistratus; non tantum indocti, sed ipsi sapientes; vanis somniis deludi se patiantur, nec istud veterum Regum & sapientum arcanum noverint?

5. Cur tanta, inter alias omnes, istius fraudis felicitas fuit, ut per tot secula apud omnes viguerit? Cæteras opiniones fictas atque vanas videmus diuturnitate extabuisse: hæc stabilis permansit & cum sæculis ætatibusque hominum inveteravit.

Denique qui factum est, ut cum fraudem a tot sæculis Athei detexerint, homineque admonuerint, tanta tamen sit horum in errore isto perversitas, ut magistros Atheos irrideant, exhorreant, & salutarem doctrinam indignati aspernentur. Vide *Cadw. syst. intell.*

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex novitate Mundi.

FUit illa aliquorum paucorum, tum veterum, tum recentiorum Atheorum opinio, supremi Numinis, a quo conditus hic mundus fuerit, existentiam negari non posse, nisi mundi ipsius defendatur æternitas. Quamvis hi multitudine aliorum, mundo initium ac finem tribuentium, plane obruantur, eorum tamen rationem habebimus; ac æterni mundi vanissimam opinionem præsertim ex gentium antiquissimarum traditionibus & monumentis temporum confutabimus.

PROPOSITIO.

Mundi originem æternam non esse, probant omnium nationum antiquissimarum traditiones: confirmant omnia temporum monumenta.

PROBATIO.

1. GEntium omnium antiquissimarum traditiones humani generis & mundi originem non æternam, sed recentem esse testantur.

Omnium scriptorum antiquissimus *Moses* libros suos ab his verbis exorsus est: *in principio Deus creavit cælum & terram*. Sicque definito rerum omnium initio, universi generis humani historiam, serie generationum non interrupta, ad suum usque tempus perducit. Hæcque omnia non dubitans, non disputans, ut Philosophus solet, sed rem simpliciter narrans, tanquam omnibus notam, cum summa securitate historicus determinat. Fuit ergo hæc constantissima doctrina vetustissimæ Hebræorum gentis; immo si fides ulla addenda est antiquissimæ illi historiæ, fuit communis traditio omnium hominum.

In eadem opinione, circa mundi hujus acceptabilis formationem ex rudi & indi-

ndigesta mole, fuerunt etiam *Phœnices*, ut constat ex *Sanchoniathone*; & *Ægyptii*, ut colligitur ex *Diodoro Siculo* & *Diogene Laertio*; & *Chaldæi* seu *Babylonii*, ut narrat *Berosus*; & *Persæ* (*Hyde*, *de Rel. vet. Pers.*) & *Græci*, ut omnibus notum est ex eorum Poetis *Homero*, *Hesiodo*, *Orpheo*, *&c.* qui mundi cecinere nativitatem.

Hæc denique omnium Philosophorum antiquissimorum, tum Theistarum, tum Atheorum sententia fuit; ut *Thaletis*, *Pythagoræ*, *Anaximandri*, &c. quos enumerare necesse non est, cum glorietur *Aristoteles* (*L. 1. de cœlo*, *c. 10.*) se primum omnium, mundi æternitatem asseruisse. Et unus tantum laudari soleat *Ocellus Lucanus*, antiquior ejusdem opinionis assertor.

2. In monumentis omnibus temporum antiquiorum mundi recentem originem & totius gentis humanæ quasi ab infantia ad pueritiam & adultam magis ætatem progressum animadvertimus.

Et primum quidem, si tellus nostra & genus humanum sempiternum esset, existeret aliqua sempiterna natio; aut saltem aliqua, cujus originem determinare non possemus: sed nulla talis est. Nam majorum omnium & antiquissimarum gentium origines complexus est Moyses. *Hebræorum*, *Phœnicum*, *Ægyptiorum*, *Assyriorum*, *Persarum*, *Arabum*, & earum, quæ sibi notæ erant, initia Græci Historici prodiderunt; *Sicyoniorum*, *Atheniensium*, *Arcadiorum*, *Thebanorum*, *Spartanorum*, *Corynthiorum*, *Dorium*, *Cretensium*, *Elidium*, deinde *Siculorum*, *Italorum*, *Macedonum*, &c. (*a*) ex quibus omnium aliarum originem bene concludere possumus: nam quis sanæ mentis sibi persuadeat, Græciam, tam jucundam, tamque temperatam terræ regionem, in medio fere mundo sitam; Asiæ, Africæ & Europæ conterminam; desertam tamdiu remansuram fuisse, si ab æterno mundus extitisset? Aut si incolis non caruerit, nulla a Poetis, Historicis, Philosophis monumenta reperiri in Græcia potuisse, quæ æram christianam plusquam bis mille annis antiquitate superarent?

Jam vero hæc accipiunt vim ex consideratione ingenii & indolis humanæ. Omnium etenim sæculorum experimento notum est, nihil hominibus pluris esse, quam propriæ gentis, vel reipublicæ suæ antiquitatem. Hinc istud olim vetustissimarum gentium de antiquitate certamen. Qui ergo domus nulla, nulla natio, regnum nullum suam jactat æternitatem? Accedit & illud. Nihil est hominibus familiarius, nihil jucundius, quam rerum antiquissimarum atque a nobis amotissimarum inquisitio? videmur quippe hoc pacto quamdam divinitatem nancisci, si occultissima & remotissima noverimus: fidem faciunt tot libri de singularum gentium antiquitatibus, de veterum gestis, dictis, minutioribusque rebus conscripti. Quod si ante majorum memoriam atque ab æterno homines extitere, illos etiam rapuisset hic idem antiquitatis explorandæ amor: tamen nihil de æternis gestis memoriæ proditum est, sed brevissimo annorum intervallo omnia conclusa sunt. Omnium rursus experimento notum est, homines desiderio magno flagrare, ut sese, nomenque suum æternum posteris faciant; quod testantur hominum in bello facinora, libri conscripti, ædificia & quicquid demum in mundo præclare gestum est. Illi ergo homines, qui ante sex millia annorum per æternitatem vixerunt, eodem posthumæ æternitatis amore tangebantur, qui ergo nihil de æternis gestis memoriæ proditum, neque libris, neque inscriptionibus, neque ædificiis?

Secundo, si mundus sempiternus fuisset, æterna hominum inventione & laboribus ante omnem memoriam inventæ, & ad

(a) *Vide Marsham in chron. Bochart in geogr. sac. Pezron de antiquit. tempor. Fourmont in Sanchon. Stillingfleet in Originibus sacris. Shuckford in Historia mundi. Historiam universalem Anglicanæ societatis. Jacquelot de exist. Dei*,

ad perfectionem deductæ fuissent artes, scientiæ, & cuncta illa quæ nunc habemus, sive ad utilitatem, sive ad oblectationem. Quid enim immensa illa æternitatis retroacta series illis omnibus absolvendis, multisque aliis excogitandis non sufficisset; ad quæ videmus sufficisse tria annorum millia? Sed hæc omnia recentem habent originem, teste Romanorum doctissimo *Varrone*, qui suo tempore asserebat, vix ullam artem superasse antiquitatem mille annorum.

Et revera prima *Ceres* seminandi, metendique *frumenti* modum Græcos docuisse fertur; ideoque divinos accepit honores. *Ceres* autem ex Oxoniensi marmore annis ante Christum 1409. in Græciam appulit. *Vini* usum juxta Moysen *Noe* primus invenit; juxta scriptores Græcos *Bacchus*, qui vel *Noe* est, ut eruditi complures putarunt, vel eo longe posterior.

Ponderum & *mensurarum*, sicut & *monetæ*, primus inventor, teste Plinio, cæterisque, *Phido Argius*, qui annis ante Christum 895. juxta marmor Oxoniense florebat.

A *Babiloniis*, qui primi astrorum observatores fuerunt, *Horlogii solarii* usum Græcos accepisse scribit Herodotus l. 2. cujus inventio ab aliis *Anaximandro*, ab aliis discipulo ejus *Anaximeni* tribuitur.

Primus in statuis membra *Dædalus* assinxit, suamque sculptura perfectionem non nisi temporibus *Phidiæ*, *Lysippi & Mironis* accepit.

Tam rudem initio *pingendi artem* fuisse scribit Ælianus l. 8. c. 8. ut quid pingere pictor voluisset, super tabulas scribere necesse esset. Paucis ante Romulum annis primus masculum a fœmina distinxit *Higyemon* ex Plinio l. 35. c. 8. Ante *Eumarum* Atheniensem omnia indiscriminatim objecta pingere nemo poterat. *Musices* elementa primus docuit Pythagoras.

Naves a *Phœniciis* primum ædificatas esse omnes consentiunt. Hinc ursa minor, quæ diu sola a nautis observata est, *Phœnicia* vocabatur. Prima autem in Græcia visa est *Danai* navis juxta Plinium l. 7. c. 26. id est, ex marmore Oxoniensi annis ante Christum 1511. cum *Erichthonius* regnaret. Primum navale certamen Corynthios inter & Corcyreenses commissum fuisse annis antequam hæc scriberet 264. narrat Thucidides.

Litterarum usum Græcos docuit *Cadmus* annis ante Christum circiter 1494. nec apud antiquissimam Ægyptiorum gentem, quæ earum inventrix fortasse fuit, memoriam humanam superare, patet ex hyeroglyphica & symbolica apud illum populum scribendi olim rationem, quam litterarum inventionem præcessisse valde probabile est; ut effecit Warburton *de div. Moysis leg. vol.* 2. *l.* 4. *sect.* 4.

De *Philosophia* nihil ante *Pythagoram* Italicæ sectæ principem in Græcia fuerat auditum; unde ab annis minus quam mille cognitam mundo sapientiam Seneca scripsit. Primus rudem *Astronomiam* Græcos docuit Princeps Jonicæ sectæ *Thales*, qui eam ab Ægyptiis ex Diogene Laertio didicerat. Alexandri tempore fluxum ac refluxum maris portentosum quid fuisse patet ex Quinto Curtio. Ignorata diu eclypsium causa, atque hinc factum est, ut ab omnibus fere populis, non tam ut naturales effectus, quam ut divini, vel favoris, vel furoris indicia spectarentur. Primus *Socrates* philosophiam è cœlo devocavit, & ad fingendos hominum mores adhibuit. Quibus authoribus exculta crevit *Mathesis*, scimus. *Medicinam* primus docuit *Hippocrates*: Herodoti ætate publicis in vicis ægrotantes exponebantur, ut quænam adhiberi possent remedia, transeuntes, si scirent, indicarent.

Legislatorum omnium, qui populos ad civilem cultum deduxerunt, nomina & ætatem novimus, *Moysis*, apud Hebræos; *Zoroastri* apud Persas; *Orphei*, apud Thracas; *Lycurgi* apud Lacedæmonios; *Thesei*, *Draconis & Solonis* apud Athenienses; *Pythagoræ* in magna Græcia, & aliorum.

Ethnicarum denique *Religionum* nulla pars est, cujus originem in historia non inveniamus. Omnium gentilitiorum Deorum natales & vitam in terris olim descripsit *Euthemerus*; ideoque Epicureus apud Ciceronem, ait *omnem eorum cul-*

tum fuisse in luctu. Templorum, Statuarum, Altarium, Oraculorum, Caeremoniarum & Sacrorum omnium originem novimus: ut probat Jacquelot *de ex. Dei*. Atheismi quoque primos authores memoriae prodidit historia, *Anaximandrum, Leucippum, Democritum*: hanc gloriam *Epicuro* suo tribuit Lucretius, l. 1.

Humana ante oculos foede cum vita jaceret
In terris oppressa gravi sub Religione:
Primum Grajus homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra.

Tertio, omnes celebriores eventus, & quae ad eorum conservandam memoriam institutae sunt solemitates certam & determinatam aetatem habent. Etenim cum vetustissimus ille Graecorum praecipue mos fuerit, ut ad retinendam consecrandamque personarum & eventuum maximorum memoriam, solemnes ludos instituerent: ex horum ludorum antiquitate, quae heroum, quae eventuum sit antiquitas, colligi facile potest. Atqui ludorum omnium antiquissimi, qui *Lupercales dicebantur*, a Lycaone secundo annis ante Christum 1337. instituti sunt. *Panathenaeos* Ericthonius & Theseus, notae aetatis Heroes, instituerunt. *Isthmios* Glaucus Corynthiorum Rex. *Pythios* primum instituisse dicitur Apollo, post interfectum latronem vel draconem *Pythonem*. Iidem cum in desuetudinem abiissent anno tertio Olimp. 48. juxta Pausaniam, vel anno secundo, Olim. 47. juxta marmor Oxoniense solemni Amphicthyonum decreto restaurati fuere.

Olimpicos tandem omnium celeberrimos primum instituit juxta aliquos in parentis sui funere *Atreus*, juxta alios *Hercules* a quo ad eorum sub *Iphito* instaurationem annos 346. Velleius numerat. Iterum ab Iphito ad *Coroebum*, qui primus est victor, cujus servatum posteris nomen est, anni 108. effluxerunt. Ab hoc anno qui est 776. ante Christum Olimpiades numerantur.

Ergo publica omnium gentium & monumentorum fide certum est, ante quatuor mille annos homines omnes paucissimis familiis contentos fuisse, in omni victu & vivendi ratione universa civili cultu caruisse; scilicet, sine urbibus, sine jure, sine lege, extra omne litterarum, scientiarum atque artium commercium vixisse. Mox vicos, pagosque secutos; deinde urbes, respublicas, & regna paulatim constitisse; factas leges, artes inventas atque scientias excogitatas; cunctaque illa quae ad pacis ac belli, & tam publicae, quam privatae vitae rationem spectant, horum omnium initia & incrementa constare: nullam omnino vastissimae aeternitatis superesse memoriam, aut regnorum, aut urbium, aut bellorum, aut inventionum, aut aliquorum in sapientia excellentium virorum, magnorumve ducum. Ergo eam omnem auctoritatem habet mundi recens origo, quam fides publica alicui sententiae afferre potest. Vide de toto hoc argumento Jacquelot de existentia Dei, & hujus operis vol. 2. ubi de auctoritate antiquitatum Judaicarum.

Objicies 1. cum *Ocellio Lucano & Aristotele*. Primum argumentari debemus de rebus incognitis ex rebus cognitis, & de temporibus praeteritis ex temporibus praesentibus. Sed non experimur aliquid jam de novo fieri: omnia serie quadam inter se nexa perpetuo tenore per generationis leges evolvuntur. Secundo, id omne quod *generatur* a statu imperfecto, ad statum perfectum variis incrementis procedit; ac postea ad corruptionem & dissolutionem perpetuis imminutionibus contendit. Atqui nulla est alia productionis via, quam per generationem; quia creatio est impossibilis: & aliunde mundus non habet illa incrementa & decrementa, sed est semper idem.

Respondeo, primam rationem esse plane ineptam; quia isto modo argumentari, est manifeste assumere, quod est positum in controversia: &, ut notat Maimonides more Nevochim. l. 2. c. 17. Si quis a teneris anois in insulam deductus, ibi educatus fuisset, nesciretque rationem humanae generationis; hoc eodem argumento pertinaciter tueri posset, se nunquam in materno utero inclusum fuisse;

nul-

nullum tempus, quo non spiraverit, quo omnes corporis sui partes eadem munera non obierint.

Secundi argumenti partes omnes, vel falsæ sunt, vel saltem temere assumptæ. Temere primo assumitur id quod via generationis producitur, cum nactum est maturam ætatem, non posse esse ex divina virtute stabile & immortale. Falsa quoque est secunda propositio, omnem productionem esse per generationem; nam hoc assumere est supponere materiam, resque omnes existentes æternas esse, & in Deo nullam esse vim creandi. Denique falsa est & temere assumpta, tertia propositio, vid. mundi stabilem statum esse. Nam juxta philosophiam jam maxime probatam, mundi moles universa laborat & quotidie senescit, iisdem legibus peritura, quibus consistit, *nisi manum emendatricem opifex afferat* (*Neuton.*). Sol perpetuis effluviis consumitur, & variis corruptionibus obnoxium esse maculæ indicant, magnæ in planetis mutationes observatæ sunt.

Et certe si ex hac nostra tellure conjectura capienda sit, adveniet tandem orbi fatalis dies, nisi elementorum vires perpetuo temperet naturæ parens. Nam præsens terræ organizatio in eo sita est, quod elementa omnia contra vim gravitatis permixta sint, terra, aqua, aer, ignis. Tollitur in cœlum terra, in terræ viscera truduntur aqua, aer, ignis: sed juxta axioma, *omne violentum non est durabile*. Ergo violenta hæc æquilibrii interruptio, per longum tempus durare poterit, lentasque accipere imminutiones, sed in æternum permanere non poterit; & vis gravitatis sola, qua telluris partes vincunt quinquies partes aquæ & quam nulla contraria vis satis suspendit, efficiet tandem, ut cavernarum interiorum columnis fatiscentibus, elementa minus gravia excludantur ac juxta pondus specificum disponantur, ex illo statu nulla vi naturali dimovenda. Hanc generalem causam multæ adjuvant particulares. Numquid non cernimus ipsis oculis montium altitudines perpetuis ventorum flatibus & pluviarum eluvionibus e regione aeris in nativum situm & subjectas valles ruere, campis aliquando æquandas? Hincque existere conicam illorum figuram, & capita petrosa, terræ nudata. Legimus in historia, quam plurimos gravibus terræ motibus in subjecta cavernas, quas quasi tumulos singulis ferme paravisse natura videtur, collapsos esse. Numquid non etiam manifestum est, maris alveos perpetuis alluvionibus per flumina factis impleri (*Hist. nat. Theor. de la terre*) & caveas illas subterraneas, quibus flumina & maria ipsa absorbentur, quæque tam necessariæ sunt ad omnium fossilium metallorumque concretiones, & ad fontium perennitates; aliquando arena atque terra, quas aqua secum ex mari & terræ superficie devolvit, ibique defæcata relinquit, aliquando occludendas esse: ex quo fiet ut aqua visceribus terræ & alveo maris exclusa, superficiem tandem exundatura sit. Nonne tellus omnis ab aquis ubique exesa, ruinæ speciem præbet? Si vero vis gravitatis vincitur vi spiritus, vel ignis subterranei tellurem perpetuo intus excavantis, imminebit telluri ex contraria causa ruina; scil.: omnis aqua in terræ viscera recepta aliquando, ibi sepulta remanebit. Si neuter effectus contingit, hoc esse non potest nisi ex sapientissima virium contrariarum temperatione, temeritati seu fortunæ neutiquam adscribenda.

Aliis *Ocelli Lucani*, *Aristotelis*, & *Platonicorum* rationibus petitis ex divinæ naturæ *activitate infinita*, ex ejus *bonitate* & *ex creationis impossibilitate*, infra suis locis respondebimus.

Objicies, 2. Supponi potest terram in sæculorum serie infinita variis obnoxiam fuisse vicissitudinibus, plures passam esse, seu conflagrationes, seu aquarum eluviones; & supponi potest deletos fuisse omnes ferme homines, & cum ipsis extinctas scientias, & deleta antiquitatis monumenta.

Respondeo 1. id supponi non debere; quia non est assumendum sine probatione, quod est positum in controversia; quia de facto quæstio est, factum autem ex non contradictione seu mera possibilitate

nemo ſapiens deduxerit; quia argumenta poſitiva arbitrariis ſuppoſitionibus non refelluntur; quia iſtarum conflagrationum ſeu eluvionum generalium ipſa ex naturalibus cauſis poſſibilitas non adſtruitur. Deinde illæ calamitates, ſi omnino generales fuerunt, gens humana omnis periit & reovata poſtea eſt: & in hac hypotheſi novitas mundi defendenda eſt. Si fuerint particulares illæ calamitates, æterni mundi defenſoribus nihil proderunt; quia non de quadam particulari terræ parte, ſed de toto orbe diſputamus. Ogygis diluvio ſubmerſa fuerit Attica: non ideo totum periit humanum genus: non ideo inventas & excultas in aliis regionibus artes extingui, aut deleri præteritarum rerum monumenta oportuit. Certe ex illo diluvio Noemico, quod univerſaliſſimum accepimus ex libris Moſis, etſi ſolus Noe cum familia ſuperſtes fuerit, conſervata tamen eſt aliqua antiquiorum temporum memoria, ſaltem ipſius diluvii, apud omnes nationes.

Objicies 3. Totius noſtræ telluris ſuperior pars argumento eſt, illam antiquiſſimam eſſe & a multis ſæculorum millibus cum plantis atque animalibus exiſtere. Nam 1. demonſtratur montes omnes etiam altiſſimos, & univerſam telluris partem exteriorem ad magnam uſque altitudinem ab aquis marinis factam eſſe, extructam ſucceſſivis alluvionibus, & per ſtrata compoſitam; adeoque omnes terras maris olim fundum fuiſſe. 2. Oſtenditur terram non fuiſſe in hoc ſitu, neque ſic ab aquis compoſitam, niſi multis ab hinc ſæculorum millibus.

Primam propoſitionem hæc confirmant. 1. Montium conformatio omnis. Et primum quidem obſervatur, quod in montibus vicinis & oppoſitis alterna ſit angulorum prominentium & intimorum oppoſitio: id eſt, quod anguli unius prominentes oppoſiti ſint angulis alterius intro recedentibus ad modum ripæ fluminis: quæ forma non potuit niſi ab aquis interlabentibus proficiſci. Secundo obſervatur quod eorumdem oppoſitorum montium altitudo ſit æqualis; quæ æqualitas oſtendit illos formatos fuiſſe ſub aquis ad libellam compoſitis. Tertio obſervatur, quod in omnibus materia ſimilis ſit; quæ ſimilitudo indicat cauſam eandem & eodem tempore agentem.

2. Probat materia omnis, ex qua montes & univerſæ terræ pars ſuperior componitur. Sunt enim *rupes*, *lapides*, *argillæ*, cæteraque ejuſdem generis, quæ ex arena tenui confecta non potuere, niſi ab aqua arenas coacervante, formari. Sunt *Conchæ*, aliæque piſcium exuviæ; quæ in montium verticibus & in terra ad altitudinem maximam reperiuntur, in lapidibus marmoribuſque paſſim incluſæ, materia circumjecta plenæ, in maximas moles quandoque coacervatæ; & quædam etiam conchæ effodiuntur diſſitis regionibus peculiares. Hæc omnia mare inuunt, cujus aquæ conchas a regionibus, tum diſſitis, tum vicinis, congregaverunt; congregatas arena in lapides poſt modum convertenda impleverunt & circumdederunt; tum efformata deſuper lapidum & terræ mole penitus obruerunt.

3. Confirmat ſitus variorum ſtratorum lapidis, marmoris, argillæ; quæ ſibi ſunt parallela, horizontalia, vel horizonti ſimiliter inclinata, hic ſtratorum ſitus oſtendit, ea ab aquis ſucceſſiva alluvione inſtar ſedimenti fuiſſe depoſita: quod etiam conficitur ex *rimis* ſeu *fiſſuris perpendicularibus*, quæ in hiſce omnibus ſtratis inventæ ſiccitati, poſt aquarum receſſum, evidenter adſcribendæ ſunt.

Secunda propoſitio, quod terra noſtra ſic non fuerit ab aquis compoſita, niſi pluribus ab hinc ſæculorum millibus, facile probatur. Nam hæc terræ conformatio non poteſt adſcribi ullis cauſis, niſi maris motibus, præſertim ei quo per lunæ actionem fertur ab Oriente in Occidentem. (*De hoc motu vide Varenii geogr. gen. l.* 1. c. 14.). Propter hunc motum mare oras Orientales perpetuo verberat, abradit, invadit; Occidentales vero perpetua alluvione ditat, auget ac deſerit. Hincque factum eſt, ut prope oras obverſas Orienti multæ exiſtant inſulæ, maris invadentis ex illa parte terras certiſſima ſigna. Hinc juga montium in longos tractus ab Auſtro ad Boream porre-

ςta medios continentes dividentia; & ipsæ terræ continentes ab Austro ad Boream extensæ æquatori æqualiter inclinatæ; eodem ferme modo in orjs suis Orientalibus exesæ. Hinc telluris diversa strata non secundum gravitatem specificam inveniuntur: sed graviora sæpe levioribus propter successivam longo tempore alluvionem superponuntur: hæc omnia per diluvium vel eluvionem aliquam subitam explicari nullo modo possunt. Jam vero motus hic maris invadentis terras Orientales tardus admodum est, quippe quo maris aquæ vix semi-leucam intra 12000. annos conficiunt (*Hist.nat.art.19.p.600.*): uti experientiis aliquibus constare dicitur.

Colligitur quoque ex prædictis observationibus, universam terram ex materia solari esse compositam, & in primo suo statu per plura sæcula aquis opertam jacuisse; eandemque vario motu maris, illo præsertim generali quo tota moles ab Oriente in Occidentem a luna cietur, dilutam, abrasam & excavatam in aliquibus locis alveum mari excipiendo præbuisse; eandem in aliis locis auctam perpetuis alluvionibus sensim in extantem aquis superficiem & in montes efformatam esse (*Hist. Nat. art. 19.*). At hæc omnia non nisi post longissima tempora fieri potuerunt.

Respondeo priorem propositionem tot observationibus confirmatam vix negari posse. Nempe exteriorem partem telluris ad certam usque altitudinem, factitiam esse & ab aquis compositam. Posteriores vero hypotheses, quibus utitur author clarissimus historiæ naturalis nuper vulgatæ, & quibus abuti poterunt religionis revelatæ contemptores, non esse satis confirmatas, & multis patere gravioribus objectionibus. Aliam esse viam rei expediendæ & *historiæ* & *observationibus* magis congruentem.

1. Multa in prædictis hypothesibus magnam habent difficultatem.

Primo, non intelligitur quomodo mare, quod olim elevatum fuit supra montes altissimos, aut cum eorum verticibus ad libellam compositum, plusquam 3217. exapedis, seu 19302. pedibus descenderit: tanto enim montes Peruviani jam superant libram maris. Immo evidentissime demonstratur, libram maris mutari non posse, eo modo, quem probavit author historiæ naturalis: nempe per excavationem fundi in aliquibus partibus & terrarum abrasarum translationem in alias fundi partes. Quia aquæ in alveum excavatum descendentis locum semper occupabit terra ex alveo extracta & in alium locum tantum translata. Ut aquarum libra deprimatur, seu ut earum superficies ad centrum terræ aliquatenus accedat, necesse est, ut terræ excavatæ supra aquæ superficiem vi aliqua, ab alluvione diversa, attollantur: tuncque aquarum libra deprimetur ratione quantitatis terræ supra aquæ superficiem elevatæ. At si sit necessario admittenda causa aliqua ab alluvione successiva diversa, ruit totum authoris Historiæ naturalis systema.

Secundo, si in oras terræ Orientales semper impetum faciat Oceanus; si signa multa sint, ex quibus colligitur oras illas utriusque continentis 500. leucarum spatio jam imminutas & exesas esse; (*Hist. nat. art. 19.*) si in oris Occidentalibus hæ terræ abrasæ depositæ fuerint; cur ergo abruptæ sunt & perpendiculariter exesæ oræ pleræque Occidentales? Talia sunt littora Galliæ, Hispaniæ, Africæ totius, & maximæ partis Americæ. Cur littora Orienti obversa sunt contra minimæ altitudinis in utroque continente? Cum è contrario Occidentalia littora, quæ mare deserit, esse deberent declivia & sensim inclinata: Orientalia vero, quæ mare perpetuo abradit, abrupta & perpendicularia. Cur etiam oræ Occidentales non stipantur insulis, sicut Orientales, cum ex perpetuis alluvionibus & incrementis in illis potius oriri deberent? Cur juga montium in plerisque insulis & procurrentis terræ continentis partibus ita sunt sita, ut medias terras pervadant atque in duas partes dividant (*Var. geogr. l. 1. c. 10.*)? Cum hic situs in hypothesi, quam impugnamus, perpetuo mutari debeat, & ab Occidente ad Orientem accedere, quia partes insularum & continentis Orientales semper abraduntur, Occidentales alluvione augentur. Si in aliquo situ juga mon-

montium diutius permanere deberent; id contingeret, quando occuparent oras Orientales, immenso suo volumine ac rupibus maris accessum longo tempore impedientia: at è contrario a multis sæculis medias terras dividentia ostendunt & efficiunt earum stabilitatem; aut saltem indicant mare tantum absumpsisse ex parte Occidentali, quantum ex Orientali.

Cur ex duabus telluris continentibus una, nempe America, porrecta est magis a Septentrione in Austrum; altera dicta vetus magis porrecta sit ab Oceano Atlantico ad fines Tartariæ Orientalis, quam a Septentrione ad Austrum, in qua directione sunt etiam montium juga? Cur tanta in jugis montium diversitas? *Alia*, *inquit Varenius l. 1. cap. 10. progrediuntur a Septentrione in Austrum, quædam ab Oriente in Occidentem, & alia ad plagas cardinibus collaterales*. Quidam montes, ut idem hab.t ibid. *Longo tractu extenduntur; alii parvo circuitu terminantur. Quidam medias regiones secant, alii per quosvis regionum tractus transeunt*. Hæc tanta varietas in omni re ex una causa mechanica uniformiter agente, qualis erat initio juxta authorem Historiæ naturalis maris motus ab Oriente in Occidentem, explicari nullo modo potest.

Tertio observatum est, conchas, quamvis accurate occlusas, plenas tamen esse materia circumjecta, cujus rei per *lentas & successivas* alluviones ratio reddi nequit. Nam si lento aquarum motu arena vel sabulum in conchas delatum est; vel pisciculus prima alluvione præfocatus concham occlusit; sicque novis alluvionibus introitus denegatus est, & concha vacua remanere debuit: vel pisciculo præfocato concha non est occlusa, atque iterum, iterumque alluviones intra se recepit, sicque nunquam potuit occludi. Observatum etiam est, conchas plerumque ejusdem esse gravitatis specificæ cum stratis, in quibus jacent sepultæ, graviores in stratis gravioribus, leviores in stratis levioribus; & quando conchæ leviores in stratis gravioribus reperiuntur, occupant strati superiorem partem: hanc observationem inculcat ubique Woodward in Historia naturali. Sed si successive & variis per plura sæcula alluvionibus strata composita fuissent in fundo maris, in omnibus stratis omnis generis conchæ, aliæque piscium exuviæ invenirentur; & strata servarent nusquam rationem gravitatis specificæ.

Quarto, gravissimum quoque hoc incommodum videtur in hypothesi prædicta, quod dum ad telluris per strata compositionem explicandam sit inventa, tamen supponat tellurem per strata antea fuisse compositam, cum hac differentia, quod in prima tellure strata, quæ jam sunt superiora, fuerint inferiora. Nam maris undæ diluentes fundum A, eumque abradentes, non potuerunt transferre in locum B stratum argillæ: quin in loco A ejusdem generis stratum invenissent. Et si strato huic argillæ postea imposuerint stratum arenæ, illud stratum invenerunt in loco A continuata excavatione. Vel si supponas oras Asiæ Orientales perpetuo abradi & alluvionem continuò fieri in oris Occidentalibus Americæ; alluvio esse non poterit alterius generis, quam est eluvio; & si alluvio fiat per strata, eluvione quoque strata exesa fuerunt.

Quinto, vix intelligitur, quomodo tellus dura, solida, vitrea, si fuerit olim omnis operta aquis, ex hoc tam naturali statu, in quo elementa disponerentur secundum specificam gravitatem, unquam potuerit dimoveri per motum aquarum æquabilem ab Oriente in Occidentem; cum nondum essent venti nisi æquabiles, & fundus levis & rotundus sine ullis inæqualitatibus relinqueret aquis motum liberrimum. Fuissetne in hac hypothesi nisus aquarum ab Oriente in Occidentem, qui est ferme insensibilis in ipsa superficie, par vincendæ vis utriusque, tum *gravitatis*, qua telluris pleræque partes vincunt quinquies partes aquæ; tum *cohæsionis* partium vitri solidi? Ad minuendam hanc difficultatem supponit author Historiæ naturalis superiorem telluris partem mollem fuisse, nempe ex vitri spuma vel scoria confectam. Sed nescio an omnem difficultatem tollat hæc suppositio. Nam innumeræ sunt in mari profluentes aquæ, vulgo *courants*, quarum motus augetur, tum

æstu,

æstu maris, tum ventis, tum fundi inæqualitatibus; sunt in terra flumina, quorum omnium fundus licet ex arena tenui post infinitum tempus vix aliquam mutationem accepit.

Sed concedamus a maris motu æquabili excavatum fuisse maris alveum, cur non fuit omnis inter tropicos conclusus, ubi totus Oceanus ab Oriente in Occidentem torrentis instar profluebat? Cur terræ dilutæ & abrasæ non fuerunt versus polos disjectæ, ubi erat major tranquillitas maris? Cur maximi montes Peruviani contra hanc vim in cœlum vertices extulere? Probat author Historiæ naturalis, art. 19. sinus maris majores esse omnes extensos ab Oriente in Occidentem, indicantes impetum aquarum esse secundum istam directionem. Sed si jam Oceanus terras illas disjiciat, & earum ruinam perpetuo operetur: quomodo initio formatæ sunt contra eundem hunc impetum, quem nulla alia vis suspendebat?

Præterea est terra omnis verisimiliter cavernosa interius, (*a*) hæcque conformatio necessaria multis videtur ad fontium perennitates explicandas. An etiam per motum maris ab Oriente in Occidentem solida terra terebrata est. An potius dicemus aquas in stratis conficiendis hinc & inde specus & cavernas reliquisse, & fornices, quibus tegerentur, extruxisse? Si igni in visceribus terræ æstuanti hi tanti effectus tribuendi sunt: cur etiam eidem non tribuemus ipsorum montium, qui omnes ferme sunt cavernosi, extructionem? Aut si Deus ex natura, ex opere suo, a Philosopho sit ablegandus, dicerem montes in tantam altitudinem elatos esse propter vicinarum terrarum ingentes, fatiscentibus columnis, ruinas.

II. Alia est via rei expediendæ, & historiæ, & observationibus magis congruens, nempe per diluvium, quale describitur a Moyse, & quod non tantum mansit in memoria Hebræorum, verum etiam in fastis omnium aliarum nationum antiquissimarum.

Narrat Moyses cum summa fidentia, ut rem omnibus notam, 800. circiter ante suam ætatem annis continuam fuisse per dies & noctes quadraginta pluviam, atque præterea aquas terræ visceribus inclusas sive aquas *Abyssi* super universam superficiem effusas, per quinque menses integros, seu 150. dies (*b*) crevisse. An vero hæc continua per dies quadraginta pluvia & aquarum subterranearum per dies 150. exundatio adscribenda necessario sit divinæ virtuti immediate, & contra naturæ vires legesque operanti, an non possit adscribi causis naturalibus a Deo ab initio præparatis; ut cometæ ad terram propius accedenti (*Vide Whiston theor. tell.*); vel terrarum in multis partibus disruptioni & illapsui in suppositas aquas (*Burnet theor. sacr. telluris*); hic dijudicare neque vacat neque necesse est. Ostendamus solummodo causas assignatas a Moyse pares esse omnibus phænomenis explicandis.

Juxta explicationem hanc manifestum est aquam per quinque menses in terram effusam nullatenus fuisse limpidam & defæcatam, sed maxime turbidam; tum propter continuam per dies quadraginta pluviam terram diluentem; tum propter vim aquarum immensarum (*c*) terræ visceribus per omnes aperturas cum magna vi & im-

(*a*) *Varenius*, *l.* 1. *geogr. c.* 13. 16. *Woodward hist. nat. Burnet. Theoria telluris. Seneca Qu. nat. l.* 3.

(*b*) *Author Hist. nat. non recte supponit*, *preuve art.* 4. *p.* 187. & *art.* 5. *p.* 191. *diluvium* 40. *tantum diebus durasse*.

(*c*) Quantitas aquæ necessaria ad tegendos altissimos montes, terræ visceribus tunc extracta, vigesies superat quantitatem aquæ contentam in Oceano, uti demonstravit Keillius contra Burnetum. Neque aliquem perturbabit hæc quantitas aquæ, quando cogitabit 1. quod, juxta Varenium l. 1. c 7. p. 3. intus in soliditate terræ existant *innumeri hiatus*, *recessus*, *anfractus*, *cuniculi*, *voragines*, *tubuli & vasta receptacula*, *in quorum quibusdam mare est; nempe quæ alveo maris per aliquam viam conjun-*

& impetu erumpentium, vel etiam exteriora strata in multis locis disrumpentium, secumque magnam terræ quantitatem deferentium; tum propter perpetuam per *menses decem*, quibus terræ fere omnes aquis opertæ jacuerunt montium & editorum locorum eluvionem ex violenta aquarum agitatione, quam augebant, tum æstus reciprocus, tum venti, tum vis illa immensa aquas è terræ imis visceribus extrahens (*a*). Propter tot ac tantas causas aquas turbantes supponi potest, terram in aqua *dilutam*, vel ab aquis aliquo modo *deportatam* (ratio decem mensium 300. partem spatii, ab aquis turbidis occupati, tenuisse. Jam vero divide altitudinem aquarum operientium altissimos montes 15. cubitis, quæ vulgo censetur circiter 4000. exapedarum vel 24000. pedum, per 300. habebis crassitudinem strati, quod per aquas diluvii terræ universæ superponi potuit, videlicet 80. pedum (*Vide Whiston theor tell. p.* 416.). Hæc abunde sufficit ad oblimandas satis omnes telluris partes mediæ altitudinis, de quibus solis solliciti sumus: quia ut modo dicemus, partes sublimiores potius eluvione diminutæ, quam alluvione auctæ fuerunt; & partes inferiores diutius aquis submersæ jacuerunt & a quater mille annis, novis alluvionibus per pluvias & decurrentes ex locis altioribus rivos incrementa cœperunt: ut docet ipse author Historiæ naturalis.

Ex hac explicatione hæc sequuntur.

I. Altissimorum montium apices debent esse plerumque terris nudati; quoque editiora sunt loca, eo minus etiam crassa esse debent diversæ materiæ strata & pauciores conchæ: quod in ista altitudine aquæ fuerint magis defæcatæ & minus perduraverint. Erunt tamen exuviæ piscium etiam majorum, qui in ista tanta aquarum perturbatione loca altiora petebant. Propter eandem rationem non solum in humilioribus locis strata crassiora oportet esse, sed etiam strata ejusdem loci diversa, erunt crassiora, quo sunt profundiora. Strata in montium verticibus, qui plani sunt, plana erunt, in lateribus inclinata, quæ omnia experientia confirmata esse docet author Historiæ naturalis.

V. In montibus oppositis apices sublimes, si fuerint terris nudati, irregulares erunt. Reliquæ partes inferiores, si sint multa terra tectæ, habebunt angulos prominentes & introrecedentes alterne oppositos, hoc est anguli unius prominentes respondebunt alterius angulis interioribus, ad modum ripæ fluminis, utpote quæ per plures menses magna aquarum interlabentium vi excisæ primum, postea subsidentibus aquis tesectæ sunt. At hæc angulorum extimorum & intimorum oppositio, magis accurata esse debet in collibus & in campis, ubi major materiæ novæ quantitas propter situm humiliorem fuit depo-

junguntur, in quibusdam aqua dulcis, fluvii, omnes. Nimis ille oculis permittit, ait Seneca, qui non credit esse in abscondito terræ sinus maris vasti, &c. Vid. nat. qu. l. 3. 2. *Quod altitudo montis altissimi, juxta eundem Geographum, l. 1. c 9. p. 7. non habeat ad semidiametrum telluris sensilem proportionem, sive adeo exiguam, ut rotunditati telluris non officiat.* Ex hac duplici observatione collige totam illam aquæ quantitatem, quamvis phantasiæ immensa videatur, respectu globi terrestris minimam esse.

(*a*) Quid tu esse Rhodanum, quid putas Rhenum atque Danubium, quibus torrens etiam in canali suo cursus est, cum superfusi novas sibi fecere ripas, ac scissa humo simul excessere alveo? Quanta cum præcipitatione volvuntur? .... Cumque Danubius non jam radices, nec media montium stringit, sed juga ipsa sollicitat, ferens secum madefacta montium latera, rupesque disjectas, & magnarum promontoria regionum, quæ fundamentis laborantibus è continenti recesserunt. Deinde non inveniens exitum (omnia enim sibi ipse præcluserat) in orbem redit, ingentemque terrarum ambitum atque urbium uno vortice involvit. Interim permanent imbres... Procellæ quatiunt mare. Sen. nat. qu. l. 3.

posita. Ubi montium oppositorum vertices solidi & saxei non restiterunt aquis diluvii, eorum altitudo imminuta est & ad æqualitatem perducta, ac quasi composita ad libellam.

3. Strata materiæ erunt secundum specificam gravitatem. Conchæ erunt in stratis ejusdem densitatis: & ubi conchæ leviores invenientur in stratis gravioribus, superficiem tenebunt, metalla profundiora loca occupabunt: quæ experientia constare docet Woodwardus. Tamen propter perturbatum motum aquarum aliquæ esse poterunt exceptiones, præsertim in locis humilioribus, ut modo dicemus.

Objicit author Historiæ naturalis montes ex lapide confectos superponi stratis minus densis. Potuit primum hæc esse primæva rerum dispositio ob causas aliquas Creatori notas. Sed præterea juxta Newtonum princ. Math. l. 3. p. 10. terra communis suprema est tantum duplo gravior, quam aqua: at paulo inferius in fodinis terra triplo, vel quadruplo, vel etiam quintuplo gravior reperitur. Juxta Whistonum theor. tell. p. 83. lapidum gravitas relative ad gravitatem aquæ est, ut 14. ad $5\frac{1}{2}$ ex quibus observationibus sequi videtur lapides vinci gravitate a terra interiori.

4. Conchæ erunt sæpe repletæ materia circumjecta, quia in illis contenti pisciculi aquam haurientes per alluvionem subitam præfocati sunt, conchamque morientes occluserunt nunquam iterum aperiendam.

5. Aquæ satis celeriter initio per cavernas montium & fissuras in terræ viscera recesserunt: & editiora telluris loca, quales sunt non tantum montes Gordiani, in quibus arca consedit; sed tota Septentrionalis Asiæ pars, in qua ipsi colles per maximam anni partem nive teguntur; aquis per quinque menses subsidentibus siccari potuerunt. At humiliores terræ partes diutius aquis submersas jacuisse probabile est, alias magis, alias minus; quasdam vero per plura sæcula. In hisce regionibus omnis exterior terræ pars conformari potuit, juxta hypothesim authoris Histor. æ naturalis; erunt hic strata materiæ graviora quandoque ex successiva alluvione levioribus imposita.

6. Rimæ seu fissuræ perpendiculares nullam nobis facessunt difficultatem, eidem causæ illas ascribimus, cui ascripsit author Historiæ naturalis, siccitati nempe post aquarum recessum.

At, *inquies*, *nulla ergo remanere debuerunt veteris terræ vestigia* (*Hist. nat. p.* 200.). Nulla quidem in locis humilioribus, sed multa in altioribus, in quibus vix ulla contigit mutatio: Regio in qua arca consedit, est omnium altissima, & ideo plantæ incolumes manserunt. *At tellus omnis oblimata recenti limo frugibus ferendis parum apta fuisset* (*Ibid. p.* 201.). Et hoc verum est de locis inferioribus. *At pisces omnes in aquis turbidis præfocati interire debuerunt* (*Ibid.*). Et hoc quoque admittimus, plerosque interiisse, omnes scilicet quibus altiores montes petere non licuit.

Non negamus etiam, quin mare jam occupet aliquas telluris partes, quas antea non occupabat; quin etiam in sæculis innumerabilibus fieri possit, ut omnis nostra continens submergatur; & partes quam plurimæ jam submersæ emergant ex multis causis. De quibus vide Aristotelem, l. 1. meteor. c. 14. Stevinum in geogr. Varenium, geogr. l. 1. c. 18. Sed non putamus in illis novis continentibus per solam maris lentissimam alluvionem exstituros montes 20000. pedibus supra maris libram. *Quosdam montes*, *inquit Varenius l.* 1. *c.* 9. *prop.* 8. *progressu temporis generatos esse*, *colligitur ex conchularum testis*, *quæ in quibusdam montibus inveniuntur*, *ut in Geldriæ montibus*. *Et generationis modus hic esse videtur*, *si ventus vehemens arenam & sabulum paulatim in locum montis deferat & accumulet accedente pluvia*. *Qui modus minores montes producere potest*, *ita verisimile videtur majores montes non esse generatos*, *sed ejusdem cum tota tellure ætatis & originis*. Vide Whistoni theoriam telluris l. 4. c. 4. ubi diligenter & minute ex supra positis principiis singula phænomena ad præsentem terræ conformationem pertinentia, quæ nos prosequi hic non possumus, explicat ingeniosus author.

Argumentis hisce moralibus aliud invictum adjungere liceret, idque ad vulgi captum maxime accommodatum, petitum nempe ex historia Judæorum & Christianorum, aliorum etiam populorum, quæ cum summa auctoritate certiores nos efficit Deus sæpius rebus humanis intervenisse; & suam providentiam declaravisse subitis & stupendis rerum conversionibus, miraculis & rerum futurarum vaticinationibus. Sed toto secundo vol. ubi de rel. revelata, de his præter naturam effectibus dicturi sumus.

ARGUMENTA PHYSICA.

IN hac universitate rerum, in qua versamur, tria sunt in omni systemate distinguenda: nempe *res* & *substantiæ*, quibus constat mundus: quæ juxta Atheos corpora sunt & præterea nihil. Rerum seu substantiarum *vires* & *facultates*, sive corporeæ, sive spiritales, quibus in se mutuo agunt, vel seipsas commovent: hæ vires juxta *atomicos* Philosophos ad *motum*; juxta *Hylozoitas* ad *motum* & *vim* quamdam *fictricem*, uti supra expositum fuit, revocandæ sunt. Denique illa *species* & *apta constansque* rerum omnium *dispositio*, quæ ex corporum in se mutuo agentium viribus oritur: & illa in animalibus appetituum & passionum permixtio, ex qua vitæ constans ratio & uniformitas nascitur: quam corporum dispositionem, temperationemque appetituum fortuito & temere natam, vel virium cæcarum necessarium effectum esse asserunt. Nos vero contendimus non posse corpora esse a seipsis, nec animos; nullas esse materiæ naturales vires, non vim motricem, multo minus vim cogitandi; admirabilem universi partiumque ejus dispositionem, & illam in animalibus appetituum temperationem sine causa intelligente existere non potuisse. Initium sumemus a specie rerum, quia universitatem contemplanti se primum offert admirationi hominum.

ARGUMENTUM QUINTUM.

Ex ordine rerum & virium naturalium sapienti temperatione.

PROPOSITIO.

Deum esse, qui mundum hunc initio constituerit atque in omni tempore regit, ostendit totius universi & omnium ejus partium descriptio.

PROBATIO.

NAm ea est mundi totius fabricatio, ut si adhibita fuisset ad illius formationem summa sapientia & consilium solertissimum, melius formari non potuisset; partesque ejus omnes tales sunt, ut nec ad usum meliores esse potuerint, neque ad speciem pulchriores. Atqui hæc mundi solertissima fabrica, ejusque omnium partium pulcherrima descriptio declarat, hæc omnia non fortuito, aut a bruta & cæca vi, sed a causa intelligente & provida profecta esse.

PARS PRIMA.

Mundi species & apta partium dispositio.

Hoc argumentum qui copiosius velit pertractare, illi tota Physiologia est percurrenda: summa nos tantum attingemus capita.

I. QUanta primum in immensa cælestium regionum extensione majestas est! Quanta in corporum infinita multitudine magnificentia! Nudos ad cœlum oculos per amica serenæ noctis silentia dirige; innumerabiles aspice stellas, quæ debili licet, jucundo tamen, scintillanteque vividius lumine ubique collucent: deinde per Astronomorum instrumenta intuere; novos cœlos, novas stellas, immensamque deprehendes spatiorum æthereorum altitudinem. Cogita stellas singulas totidem soles, & cujusque vastissimum imperium esse, solari systemate haud fortasse minus. Jam corporum illorum immensas magnitudines, impetus, certos motus, apta intervalla, ratos ordines considera, ut inter se nunquam concurrant, ut unum alterius nunquam perturbet motus; ut summa sit ex mutua libratione consensio & inviolabilis con-

stan-

ſtantia. Videturne ulla fortuna, ulla temeritas, erratio ulla, ulla vanitas? An non contra ordo, ratio, veritas?

II. Quanta deinde in *ſolis* atque *lunæ* curſibus & efficientia ſapientia elucet! Aſpice ut ſol oriens diffuſa undique luce, & læta & ſalutari, recreet naturæ totius conſpectum! ut recedens gratas quietis vices revocet! ut conſtantiſſime & cum incredibili celeritate ab uno Tropico ad alterum accedens efficiat tempeſtatum viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute & conſervatione animalium omnium atque ſtirpium! Quanta caloris, luminisque utilitas! quam bene ad uſum & voluptatem utraque temperata eſt! Ne autem radiorum ſolarium vis debilior foret, pellendisve cito tenebris minus idonea, incredibili celeritate, quam cogitatione aſſequi non valemus, propagatur, quæ ſoni velocitatem plusquam ſexcenties millies ſuperet.

Sole Heſperiis in undis immerſo, non ideo obſcura in nocte palpabimus, quæ velo quodam modo lucis fuerat obducta aſtrorum infinita multitudo explicat ſeſe, illaque cæterarum quaſi domina luna, cujus mutuata a ſole lux tenuis & ſilens remittit oculos nimia ſolis vi perculſos, & ad quietem invitat. Quanta in illius motu menſtruo utilitas ad metienda tempora! Quam ſalutaris efficacia in ciendo mari! Ipſorum lunæ defectuum uſus norunt Aſtronomi, Geographi, Chronologi. Quis hæc fortunæ, non excellenti rationi tribuat?

III. Ad *terram* veniamus: videatur (*Cic. l. de nat. Deor.*) veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas profunditates, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, camporum immenſitates; quibus omnibus efficitur lætum, copioſum & amœnum animantibus cunctis domicilium. Sphærica eſt, non plana, ut caloris & luminis in variis terræ partibus aliqua poſſit eſſe ſucceſſio; ut juſta commodaque fieri poſſit aquarum diſtributio; ut ventorum vim non frangat vel nimium debilitet montium altitudo.

Criminari ſolent Epicurei tum *terræ inæqualitates*, quæ tamen neceſſariæ ſunt, ne aquæ diffluant nimium, & ut aprica loca exiſtant ad uvarum & optimorum fructuum maturitatem: tum *montium altitudines*, ſine quibus multis careremus pretioſis metallis & fontibus, qui ex condenſatis vaporibus in eorum frigidis verticibus orti dimanant accelerato motu in ſubjectos campos: tum *caveas & ſpecus & volcana*, quæ tamen ſummæ utilitatis eſſe obſervavit olim Plinius. Hiſt. nat. l. 2. c. 82. Per has caveas & diverticula æſtuans in terræ viſceribus ignis, ad rerum omnium vitam neceſſarius, erumpere ſolet: ut in compluribus oppidis notatur, quæ quia crebris ita ad eluviem cuniculis cavata ſunt, minus ideo terræ motibus quatiuntur: tandem *loca deſerta*, ſed hæc etiam utilitatem ſuam habere poſſunt, licet ignotam; ſaltem ad varietatem conducunt, nec hominum generi neceſſaria ſunt. Præterea in hunc ſtatum devenerunt, vel in illo permanent hominum culpa, aut ex naturalibus legibus, quarum infinitæ utilitates ſunt.

IV. Circumfuſus terræ *aer* eſt, animalis, ſpirabilisque natura, partibus conſtans ſubtiliſſimis, ut nempe corpora cuncta pervadens, inque ſecretiores eorum ſinus penetrans molem univerſam fovere, alere & agitare poſſit. Huic elemento debent animalia quod ſpirent, & ſpirando vivant; ut ex machinæ pneumaticæ experimentis evidenter colligitur. Nec in animalibus tantum, ſed in plantis quoque peragitur aeris reſpiratio quædam imperfecta, a qua earum vita conſervatioque pendet. Sine aere moveri pecora, volare aves, piſces natare non poſſent; ſine aere nec ſonus, nec diei candor, nec crepuſcula, nec cærula cœli ſpatia exiſterent; ſine aere ros è terra non aſcenderet, nubes non formarentur; efformatæ non ſuſtinerentur ad arcendum nimium ſolis ardorem; ſuſpenſæ guttatim in terram non reciderent. In aere formantur & venti, quibus niſi aeris moles quan-

doque commoveretur, infecta brevi cunctis & frugibus & animantibus fieret lethifera. Hi caloris solaris ardorem ita temperant, ut ipsam præstent habitabilem torridam Zonam, quam perpetui recreant Zephiri. Ventorum ope classes vastum tranant Oceanum; omnesque gentes omnium rerum agitant commercia.

V. Terram *aqua* cingit, & ubique permeat; quam si tolleres, esset terra cinerum sterilis congeries: respirare non possemus siccum, subtiliterque frigidum aerem, mineralia non formarentur, plantæ non nutrirentur, siti omnia crescerent: nihilque nisi squallidum, & mortuum telluris facies exhiberet. Hinc naturæ parens providus suas cuique regioni divisit aquas: si Ægyptus pluviis non fœcundatur, exundans statis temporibus Nilus mollitos & oblimatos agros ad ferendum relinquit. Quibus locis nec pluvias copiosas, nec exundantes fluvios natura dedit, largita est rores incredibiliter abundantes. Quanta in aquarum omnium perpetuis agitationibus & cursibus solertia est! Sed aspice stupendam Oceani immensitatem: spumantis æquoris irati fluctus intuere, cum fragore & catervatim in terram exundante: *Quis conclusit ostiis mare? quando erumpebat quasi de vulva procedens, quis posuit vectem? Et dixit: usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos?* Cur, inquies, salsæ sunt aquæ marinæ, & ita nobis ad potandum inutiles? Quia attemperari debuerunt non nobis qui illis non indigemus, sed variis piscium generibus, eorumque usibus: quia motus ex reciproco æstu & ex ventis non esset sufficiens ad arcendam putredinem; nam pacato per plures continuos dies mari aquam turbari experimur, & procreari, quæ inficiunt, animantium multitudinem.

VI. Terram & universa corpora *ignis* intus alit. Hoc è natura sublato ipsa vita tolleretur, torperent omnia. Hujus infinitæ noscuntur a Philosophis utilitates, sed hæ notæ sunt omnibus: sine igne nec cibi pararentur, nec metalla liquarentur, nec vasa continendis liquoribus idonea efficerentur, necessaria mechanicis opificibus instrumenta non fabricarentur; Chimiæ operationes non perficerentur; microscopiis, telescopiis, perspicillis, speculis careremus; lumine per noctem homines non fruerentur; calore cum terram pulsaret hyems, non foverentur. Quid plura? nisi ignis datus fuisset, in vanum adessent cætera, quæ igne sublato diu conservari nequeunt.

VII. Quam mira est eorum fabrica quæ gignuntur è terra; quæ radicibus iis affiguntur, quibus succum ex terra trahunt! Quanta eorum varietas est & pulchritudo! Quanta eorum omnium vis, ut ex tantillis granis, herbas, stirpes, truncos, ramos, folia, flores & semina proferant! Animalium quot usibus plantæ inserviunt! aliæ ædificiis, aliæ instrumentis aptæ sunt. Remedia hæ, illæ alimenta, suppeditant; quædam duræ & spissæ sublimi cœlum feriunt vertice & dulcem animantibus umbram præbent; aliæ fragiles & depressæ vel humi serpunt, aut ad manuum altitudinem fructus tenent suspensos & invitant ad arripiendum. Ut hæc omnia usus tam varii & multiplicis, vi solius seminis ex eadem tellure, eadem pluvia irrigata, eodem sole calefacta gignuntur! Quidni liceat plantarum interiorem structuram expendere, canales intra quos essentiales succi perpetuo fluunt, formam describere; extimarum, quibus plantæ teguntur, vestium figuram exponere; mirabilem foliorum texturam delineare; seminis exigui totam in se plantam continentis virtutem evolvere? Possemus ostendere, quomodo emanantes a caule vel caudice, ramis & radicibus novellæ partes perpetuam jacturam, perpetua prolis eductione, reparent; quomodo debiliores initio ejusmodi partes, non illico laxatas extendi natura patiatur, sed compendio quodam coagmentatas intra folii axillam cubare faciat. Quomodo plantæ, quæ vim frigoris nequeunt sustinere, subterraneis suis radicibus conserventur, usque dum eas temperatus veris calor excitet & reproducat. Quomodo plantarum, quæ veteribus *æschinomenæ*, recentioribus *sensitivæ* di-

dictæ sunt; folia manu aut baculo tacta & paululum compressa, statim ne lædantur, contrahant sese: cæterarum vero pene omnium flores, ubi grave & humidum tempus est, conplicentur; ubi purum & serenum, explicentur: quomodo subustis plantis, ut stare per se possint, duras & elasticas natura fibras concesserit: earumque ramos ut æquilibrium omnes servarent & pulchriorem haberent aspectum, a stipite sub angulo circiter 45. graduum prodire jusserit; cæteras vero debiliores sub majorum protectione tutas crescere voluerit; succum iis glutinosum distribuens, vel radiculas quasi digitos, vel claviculas quasi manus, quibus protectricibus suis tenaciter adhæreant: quomodo eæ plantarum species in quavis regione reperiantur, quæ hominibus cæterisque animantibus ibidem natis maxime conveniunt; ita ut ex plantarum sponte nascentium frequentia, quibus morbis obnoxia sit regio quævis, dignoscatur: quomodo in illis plagis ubi aqua terræ deficit, habeant animantia subsidia in abundanti plantarum stillantium humiditate. Hanc solummodo meditationi materiam subjecisse sufficiat.

VIII. Animantium vero quanta varietas, quibus tota nostra tellus ubique abundat! Nulla pars suis incolis orba reperitur, arborum frondes genti innumerabili fertile solum suppeditant; nulli sunt ferme liquores, in quibus perspicillorum ope non cernamus innumeras diversæ speciei atque magnitudinis animantes. Ipsa animalium superficies aliis animalibus uberem campum præbet. Nec solido marmori vita deest, quippe cujus cava loca turbis animalium invisibilium completa reperiuntur. Grandior natura, grandiora exhibet: maria, lacus, paludes, flumina, saltus, campi scatent animantibus, quibus omnibus natura pabula paravit idonea. Sed quod non minus admirandum est, illam infinitam multitudinem, non numero tantum, sed specierum incredibili varietate distinxit naturæ parens: intervallum illud omne, quod patet a planta ad hominem diversis animalibus sensim & serie quadam crescentibus ita compleatur, ut specierum proximarum discrimina sensum nostrum fugiant. Sunt quædam animantia, quæ vix supra sortem inertis materiæ elata videntur, qualia sunt, pisces testacei quidam, qui rupibus adhærescunt, a quibus avulsi statim moriuntur. Multa sunt quæ minimo ab his distant intervallo, quæque nullum alium sensum habent, quam tactus & gustus: aliis natura addidit facultatem audiendi, aliis sensum olfactus, aliis vim videndi. Immo idem sensus in variis animalibus, varius est & tanta accipit in aliquibus incrementa, ut diversi generis esse videatur. Ille sensus interior, illa sagacitas, quam instinctum nominamus, sic gradatim & sensim crescit, ut ab infimo gradu initium capiens natura ad humanam in aliquibus pertingere calliditatem velle videatur.

Quanta in membrorum figuris habilitas ad pastum capessendum conficiendumque, ad ea omnia quæ sunt conservantia sui status! ad colligendos cibos, ad retinendam prædam, ad onera ferenda, ad tellurem arandam, ad nidos componendos, ad laqueos texendos, &c. Quam admirabilis fabrica membrorum sit in avibus præsertim consideremus. Vide ut alæ & plumæ fortes simul & leves, ita sunt dispositæ, ut totum corpus tegatur & facile moveatur: ut varius in unaquaque avium specie alarum situs sit, pro diversa natandi, volandi, mergendi ratione: ut in omnibus leves & ad motum aptissimi sunt pedes & breves & minuti: ut in omnibus commoda capitis & rostri figura; apta cerebri, oculorum, aurium dispositio; idonea ventriculorum structura, quorum alter cibos comminuens, digestionem præparat; alter cibos concoquens ac transformans digestionem conficit: ut in omnibus admirabilis, etsi tam varia vivendi ratio seu œconomia. Mutatis tempestatibus suntne regiones commutandæ? Statis temporibus & miro ordine per vastissimos terrarum marisque tractus peregrinantur; certum iter in incerta aeris regione nemine dirigente sequuntur; norunt positas in immenso mari insulas quasdam, in quibus victum possint reperire; atque ubi ad primas sedes redeundum erit, factæ jam peregrinationis me-

memores novum ab iisdem locis stipendium repetere non ommittent. Ne autem diuturnis ejusmodi peregrinationibus nimium defatigarentur, longas eis fortesque alas, & duros pectorales musculos natura bene provida concessit. Piscium quoque quanta multitudo perambulat semitas maris! species diversas plusquam 176. numeravit (*Cic. l. 2. de Nat. Deor.*) Plinius. Ruischius & Jonstonius quingentas & ultra recensuere (*Theatr. animal. l. 1.*). Aliorum prodigiosa magnitudo, aliorum stupenda parvitas, admirabilis omnium structura, respirandi ratio a terrestrium animalium respiratione diversa, organa aquatico elemento congrua, perpetuum corporis æquilibrium, motus facilitas in progrediendo, in ascendendo, in præcipitando, in declinando, hæc & infinita alia nullane habent artis & solertiæ indicia?

Datus est animantibus & *sensus* & *appetitus*, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos; altero secernerent noxia a salutaribus. Insitæ sunt membris vires ad motus spontaneos mira varietate distinctos; quibus salutaria arripiant & nocitura repellant, aut declinent. Quibus bestiis is erat cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, vires natura dedit; illis vero ad prædam destinatis cum timiditate celeritatem fugiendi conjunxit. Data est quibusdam etiam machinatio quædam atque solertia: ut in arancolis, aliæ quasi rete texunt, ut si quid inhæserit, conficiant: aliæ autem, ut ex inopinato observant, & si quod incidit, arripiunt, idque consumunt. Quanto opere ex altera parte se custodiunt bestiæ; ut in pastu circumspectant, ut in cubilibus delitescunt (*Cic. l. 2. de Natura Deorum*)!

Quam provido consilio conservantur animantium genera! Animantes, alii mares; aliæ fœminæ; partesque corporis ad procreandum & concipiendum aptissimæ; atque corporum commiscendorum miræ libidines. In avium œconomia quam admirabilis ovorum incubatio est! Primum quidem interna pars ovi & ipsius testa hunc in finem manifeste comparatæ sunt. Ex albo ovi liquore avis corpus formatur: formatum luteo vescitur; & geminæ illæ partes, ut mira sunt dexteritate conjunctæ, sic miro sunt artificio discretæ. Deinde ipsa avium incubantium actio sapientiæ plena est: quis eas docuit, non nisi hac via suam posse speciem propagari? Quis eas docuit in ovis fœtus contineri & determinati cujusdam coloris gradus ope nascituros? Cujus consilium eas per certam temporis mensuram, modo breviorem, modo longiorem, nidis retinet patienter affixas? Unde nata illa est, quam adhibent in construendis nidis mollissimis industria, in cibis inveniendis sagacitas, in fugiendis periculis solertia? Illorum vero animantium, quæ lacte aluntur, statim atque fœtus uteris exciderunt, tum omnis ferme matrum cibus lactescere incipit: eaque, quæ paulo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt & earum ubertate saturantur. Atque ut intelligamus quam nihil horum sit fortuitum, quam hæc omnia sint providæ solertisque naturæ opera: quæ multiplices fœtus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo: quas easdem paucas habent eæ bestiæ, quæ paucos fœtus gignunt. Insitus est iis omnibus animantibus, quorum opera indiget soboles, tenerrimus amor: & præcipua quædam in iis, quæ procreaverint, educandis custodiendisque cura ad eum usque finem dum seipsa possint defendere; immo dum possint iis parentes sua opera prodesse. Hinc etiam: postquam pullos nidis excluserunt, ita tamen tuentur matres, ut pennis foveant, ne frigore lædantur; & si est calor a sole, se opponant: & cum pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur; reliqua cura liberantur. Verum ubi neque parentum auxilio indiget soboles; neque possunt illi parentes sua opera prodesse; aut abest omnino hic amor, aut cessat.

IX. Sed ad hominem cæterorum animalium dominum veniamus. Quanta corporis totius species & dignitas! Vide ut omnium rerum cœlestium spectator est.

Cum

Cum demissa vident animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Hoc in recto situ, quocunque voluerit, movetur facile; actus a voluntate imperatos membra statim exequuntur. Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios & facti & collocati sunt. Nam oculi tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporis partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: & quod cibi & potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutæ sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis & potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios & frigoris & caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in ædificiis architecti avertunt ab oculis & naribus dominorum ea, quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit a sensibus (*Cicero ibid.*).

Non pigmæum hominem esse natura voluit: quia cæteris animalibus dominari debebat; quia labori destinatus, pares labori vires habere eum oportebat; quia exiguæ latitudinis caput sufficientem spirituum animalium copiam continere non poterat. Non fecit gigantem, quia cum tanta voracitate nutriri facile non potuisset; cum tanta ferendorum onerum facilitate in machinarum utilium inventione rationem non exercuisset. In admirabiliter proportionato illo corpore, quæ compages! quæ structura! Quæ levitas simul ac firmitas ossium! Qui membrorum omnium ordo ac decens apparatus! Quæ stupenda musculorum varietas! Quæ tot inter partes diversas æquilibrii constantia! Ut superpositis carnibus ossa vestiuntur, & ossibus miro sibi insertis artificio carnes sustinentur! Ut carnem quibusdam in partibus circumdat tenera pellis & ornat; in aliis durior ac fortior eamdem a vulneribus protegit! sub ea rami latitant innumerabiles, quorum alii a centro ad extrema sanguinem vehunt, alii ab extremis ad centrum revehunt eumdem: sic illo perpetuo fluente carnes irrigantur, idemque ad primam originem rediens vires novas, novamque subtilitatem accipit iterum toto corpore diffundendus. Ne autem illa fluidi sanguinis moles deficiat; qui sumuntur cibi in sanguinem post digestionem perpetuo transformantur. Sed subtilioribus alimentorum partibus in sanguinem transmutatis, crassiores eorumdem partes ab aliis naturali quadam operatione secretæ per canales huic usui destinatos ejiciuntur. Sicque humanum corpus quod perpetua transpiratione perit, perpetua reparatione conservatur.

Supra partes cæteras caput eminet, quod duris ac spissis ossibus undique cinctum est, ne pretiosus, quem continet, spirituum thesaurus evanescat. Ut apte calva perforatur iis in locis, quibus oculi, aures, os, nares respondent! Suos unaquæque pars nervos habet suscipiendis sensationibus idoneos. Organa autem quibus ab objectis exterioribus ad cerebrum sensationes deferuntur, plerumque sunt gemina, ut nempe quod in uno perire posset, supersit in altero, sicque disposita, ut sive directe, sive ad dexteram, sive ad lævam converti statim possint. Quid de fronte dicemus ad majestatem concessa? quid de oculis quibus tanquam animæ sedi, quædam flamma cœlestis indita est? Hos natura primum membranis tenuissimis vestivit & sepsit: quas perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem ut continerentur; lubricas & mobiles, ut & declinarent si quid noceret, & adspectum quo vellent facile converterent. Aciesque ipsa, qua cernimus, quæ pupula vocatur, ita parva est, ut, ea quæ nocere possent, facile vitet. Palpebræque quæ sunt tegmenta oculorum,

rum, mollissimæ tactu ne læderent aciem; aptissime factæ & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitæque sunt palpebræ tanquam vallo pilorum, quibus, & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; & somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tanquam involuti quiescerent. Ut latent etiam utiliter oculi cum & excelsis undique partibus sepiuntur! Superiora superciliis obducta & genæ ab inferiore parte subjectæ, leviter eminentes tutantur. Quid de auribus dicemus? Auditus semper patet; ejus enim sensu etiam dormientes egemus, a quo cum sonus est acceptus, etiam a somno excitamur: flexuosum iter habet, ne quid directo intrare possit: provisum etiam ut si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in (*Cic. ibid.*) sordibus aurium, tanquam in visco inhæresceret. Quam multa prætereunda nobis sunt de dentibus, ad oris ornatum ciborumque masticationem destinatis; de lingua, quæ nervis constans celeriter mobilibus, serpentina flectitur volubilitate; de collo ad hominis nutum, vel erecto, vel inclinato; de pulmonibus eorumque motu perpetuo; de proportionata cæteris partibus brachiorum longitudine; de nervorum in illis vi ac quantitate; de manuum nervis & ossiculis, & stupenda digitorum mobilitate, quibus tot artium ministræ fiunt; de internarum omnium partium structura? Quid enim? estne in tanta partium diversitate aliquid inordinatum? in tanta multitudine aliquid supervacaneum? aut potius nonne omnia apta & elegantiæ ac rationis plena sunt? Merito ergo Galenus, post Hippocratem Medicorum princeps cum humani corporis fabricam olim exposuisset, pulcherrimum Deo hymnum cecinisse se dicebat.

Veniamus denique ad animi partes, quarum est aspectus illustrior, & præcipue ad vim *rationis*, quæ homini in omnia terrestria, sive animata, sive inanima dedit imperium. Hominum ratione & prudentia tot artes inventæ; quibus tanta rerum utilium & jucundarum copia suppeditatur. Homines ratione in cœlum usque penetrant, & mundi totius pulchritudinem contemplantur: hac astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus: hac finitus dies, mensis, annus: defectiones solis & lunæ, cognitæ prædictæque in omne posterum tempus, quæ, quantæ & quando futuræ sint. Hac corporum cœlestium magnitudines, distantiæ, vires, leges detectæ. Ratione Deum ipsum adimus, in mundo intellectuali exspatiamur. Quid memorem alias animi dotes? Quod soli homini datum sit rerum pulchritudinem, ordinem, partium convenientiam & usum cernere. Quod sentiant homines etiam in animi consiliis, in dictis factisque, quid pulchrum & honestum; quid deceat; quis modus. Quodque animi affectus & agendi consilia omnia eo magis hominum sensui se probent & ab omnibus laudentur, quo majorem in vita felicitatem atque ad plures pertinentem efficere sunt idonea; etiam ubi hi qui comprobant & laudant, nullam suæ utilitatis cujuscumque habeant rationem.

Quid? quod & benignissimo consilio animi constituantur appetitiones? Natura enim non se solum cuique commendavit; sed conjugem, sobolem, cognatos, vicinos, cives; quos omnes gratuita bonitate prosequimur; ubi nulla est dissidii causa: atque boni bonos diligunt, quasi propinquitate conjunctos. Serpit etiam latius hæc hominum caritas, totumque complectitur humanum genus. Vinculis hisce homines inter se colligavit natura & ad cœtus, concilia & civitates instituendas invitavit: eosdemque ad omnia præclara vitæ officia subornavit. Quam bene etiam institutum est, ut tanta in animis, quanta in vultibus hominum dissimilitudo sit, in hunc nempe finem, ut diversa munera diversi obire & velint & possint; & sic permutatione meritorum & officiorum novo vinculo homines adunarentur. Hæc omnia, qui fortuito evenisse reputaverit, nescio quæ solertiæ, consilii, aut prudentiæ opera relinquere possit. Aut si singula quemquam forte non movent, universa certe inter se connexa movere de-

be-

bebunt. Vide Ciceronem *l. de Nat. Deor.* Fenelon *de exist. Dei*. Ray *de exist. Dei dem. per creaturas*, Neuwentit *de exist. Dei*. Derham *Theol. Phys. & Astron.* de Reaumur *in mem. ad hist. insect. &c.*

PARS SECUNDA.

Argumenti ex causis finalibus vis & auctoritas.

1. Ut ex effectibus causam esse aliquam intelligimus; sic ex effectibus *artificiosis* & *solertibus* causam *arte* & *solertia* præditam colligere debemus & solemus. Quis si tabulam pictam intueatur, in qua sit elegans colorum varietas, justa personarum dispositio, erudita oculorum conversio, apta luminis distributio, solers umbrarum permixtio; quis similem tabulam ex fortuita colorum projectione natam sibi persuaderet? Quis statuam in insula quadam deserta reperiens, cujus omnia membra admirabiliter apta, majestatem, vitam, motum, elegantiam spirarent; eam cœco tumultuantis æquoris impetu putaret effictam? Quis Homeri Iliadem, aut Æneidem Virgilii ex litteris temere in terram excussis natas arbitretur? Quis, si audierit plures Musicos tam scite fidibus, aliisque instrumentis canentes, ut singularis & unus inde oriatur concentus, quamvis quilibet eorum certas partes sibi datas obeat, non statim intelligit, præter homines istos instrumenta pulsantur musica, (quarum quisque id tantum curare munus potest, quod sibi est impositum) unam esse mentem, cui ab omnibus pareatur, quæ causa istius harmoniæ sit, quæ modum & rationem singulis præscripserit? Hæc omnia casui adscribi posse universum negat humanum genus, quia in illis nulla temeritas est, sed ordo certus apparet, sed ars, prudentia, sapientia, consilium. Multo quidem magis in tantis naturæ totius motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus; in quibus nihil unquam immensa & infinita vetustas mentita sit; statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari. Unaquæque naturæ pars, minutissimum animal, plures habet partes artificiose dispositas (*Vide Cheynei principia philos. rel. nat. & rev. c. 3.*), quam Poema Virgilii, quam musica maxime varia, multiplex & composita; adeoque cum infinita sit in mundo partium multitudo tam fieri nequit, ut mundus oriatur unquam aut ortus sit, ex concursu fortuito; quam fieri non potest, ut ex projectione litterarum oriatur poema infinita versuum multitudine constans; vel harmonia ex infinitis instrumentis musicis perfecta.

2. Etsi daremus ex concursione fortuita oriri mundum haud repugnare; id tamen asserere, dementis esset. Illud enim certissime concluditur, quod concluditur cum probabilitate infinita: & e contrario inepta prorsus est conclusio, quæ habet sibi contrariam infinitam probabilitatem: verisimilitudo quippe infinita parit certitudinem absolutam; concludere vero contra illam verisimilitudinem, contra quam nulla plane ratio esse potest, quid aliud est, quam insanire? Atqui ex pulcherrima mundi fabrica & solerti descriptione partium omnium cum infinita probabilitate concluditur, ea omnia, quæ mundo continentur, non a bruta & cœca vi, aut a temerario impetu orta esse, sed a causa cum consilio & ratione agente. Nam cum numero infinitæ sint figuræ & situs deformes & inutiles, quas recipere possint materiæ partes; unica vero sit forma, unicus partium situs, in data quavis specie, pulchritudini aut usui inserviens: qui sperat ex concursu fortuito orituram unicam illam formam sperat contra infinitam probabilitatem; quo nihil potest esse levius. Et qui credit ortam esse unicam illam formam, credit etiam contra probabilitatem infinitam; quo nihil potest esse stultius.

3. Nihil est in vita certius, quam ratione præditos esse homines, quorum fruimur convictu & familiaritate. Atqui certiores sumus esse Deum, cujus fruimur muneribus, quam esse homines ratione præditos. Nam esse alios homines mente atque intelligentia præditos non aliter cognoscimus, quam ex motibus corporis hu-

humani, in quibus apparet ratio, prudentia & artis similitudo. Sed in universitate rerum multo plura & majora sunt indicia rationis, consilii & artis, quam in motibus voluntariis corporis humani: naturæ enim solertiam nullus opifex, nulla ars consequi potest imitando; nec quidquam manus hominis potest efficere, quod cum ipsius manus opificio possit comparari. Pulcherrimus est in hanc rem Ciceronis locus in secundo libro *de Nat. Deor. Quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus utrumne ea fortuita sint; an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante: divinaque providentia .... Si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quam illa quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione, ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit signum aut tabulam pictam cum aspexerit, scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur; aut cum solarium vel descriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem qui & has ipsas artes & earum artifices & cuncta complectatur, consilii & rationis expertem putare. Quod si in Scythiam aut Britanniam sphæram aliquis tulerit, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in sole & in luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo cunctis diebus & noctibus; quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione. Hi autem dubitant de mundo, ex quo & oriuntur & fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente divina, & Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis: præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata, solertius.*

4. Oratio & hominum collocutio, non magis certos efficit nos, illos esse mente præditos; quam oratio illa naturalis, quæ in sensationibus posita est, quæque est quædem naturæ seu potius authoris naturæ nobiscum collocutio, certos nos efficit existentiæ Dei. Primum quidem hoc certum est, nos non magis homines cernere cum quibus est nobis conjunctio sermonis, quam Deum. Cerno exteriora quidem hominis lineamenta & pellem vario colore tinctam; sed non est mihi cum pelle, vel lineamentis externis collocutio; sed eum quadam re, nec visibili, nec tangibili, participe rationis, quæ cum reliquerit ista lineamenta, manet cadaver, non homo: non hominem ergo video, cum quo est mihi, seu amicitiæ & familiaritatis conjunctio, sed domum ejus seu illam molem, in qua habitat; & ex variis motibus istius molis, præsertim vero sermone, habitantis in ea hominis solertiam & industriam colligo. Haud secus, etsi Deum non videam oculis, video tamen quasi domum Dei hunc mundum; & ex hujus mundi pulcherrimo ornatu, aptissimisque moribus, & oratione naturali in sensationibus posita, colligo habitantem in ea mentem esse, cujus solertia tanto superat hominis industriam, quanto admirabilius est naturæ, quam hominis artificium. Adeoque omnis quæstio in eo versatur, an Deus nos continuo alloquatur & signis utatur ad informationem nostram plane arbitrariis cum rebus significatis nullam omnino habentibus, vel necessariam connexionem, vel similitudinem, haud majorem quam habeant voces, quibus constat oratio humana, cum rebus per eas significatis. Atqui res ita est.

Exempla capere possumus ex omnibus sensationibus & ex ipsa oratione humana: nam quæ est similitudo & connexio inter varias animorum affectiones, dum sentimus, & illa media quibus utitur natura, seu potius sub naturæ velo abditus Deus, ad easdem affectiones excitandas? Quænam est connexio vel similitudo inter motum in nervis opticis excitatum, & illam admirabilem varietatem luminis & colorum; inter tremulum motum aurium, & exquisitam illam lætitiam, quam parit harmonia instrumentorum musico-

ficorum? Quanta in omni sensu varietas, odorum, saporum, &c.! Illa tamen omnis varietas nullo alio medio sensibili perficitur, quam nervorum tremulo motu orto ex impressione, seu aeris, seu luminis, seu alterius alicujus corporis, qui tremulus motus profecto non levissimam habet cognationem cum affectionibus famis, sitis, odorum, colorum, &c. Et proinde illæ nervorum vibrationes efficiunt sermonem aliquem, quo admonemur a Deo de rebus cum quibus nullam habent similitudinem. Et hunc sermonem instituturn invenientes homines, illum ad suos usus accommodant, nempe ad sibi invicem significandos interiores sensus, seu gestu, seu scripto, seu voce; etsi nec gestus, nec scriptum, nec vox, ullam habeat ex se significationem, aut ullam accipere posset ex instituto hominum, nisi natura prius sensationum arbitrarium usum instituisset.

Rerum cum isti motus nervorum non a nobis sentiantur, & ideo respectu nostri minus habere naturam signorum videri possint; sed solummodo respectu Dei, qui illorum occasione in nobis tam varias affectiones divina sua virtute excitat: aliud igitur exemplum sumamus in quo manifestum sit admoneri nos per signa sensibilia de rebus toto cœlo disjunctis natura; & istis signis sensibilibus, sicut voce humana, doceri quid amplectendum, quidve fugiendum sit. Exemplum illud in visione habemus (*Berkeley. Alcyphron dial.* 5.). Nam revera visio omnis, seu illa naturalis admonitio, quam per oculos accipimus de rerum naturis, fit per signa sensibilia plane arbitraria, quæ nullam similitudinem habent, nec necessariam connexionem cum rebus significatis; & in hoc totum discrimen est inter *orationem & visionem*, quod illa ab hominibus inventa fuerit & nobis parvulis institutione magistrorum aut propinquorum familiaritate inculcata, ista vero a Deo instituta sit, & a consuetudine rerum naturalium atque experientia, a primo ipso ortu inchoata, accepta sit. Quid enim per visionem percipimus? Corporum distantiam, situm, magnitudinem, figuram, duritiem, mollitiem, fluiditatem, asperitatem, pulchritudinem; & præterea in hominum vultu varios animorum motus, iracundiam, pudorem, audaciam, timorem, lætitiam, tristitiam, &c. Sed an hæc videmus in seipsis? An non per signa arbitraria, quæ nullam habent connexionem cum rebus significatis? Certum enim est proprium objectum oculorum esse lucem, lucisque gradationes seu temperationes, præterea nihil; & nos distantiam, v.g. percipere ex majore vel minore objecti visi claritate; quod prope est, clare distincteque cernitur; quo magis recedit, eo obscurum & confusum magis apparet. Sic etiam corporum situm & figuram ex luminis temperatione percipimus, quod vel ex eo patet, quod pictores nos fallant & in speculis res cum suis omnibus distantiis, dimensionibus, figurisque cernamus. Idem dicendum erit de duritie, de fluiditate atque asperitate; quæ sane qualitates ad tactum proprie pertinent: idem quoque dicendum de rerum pulchritudine, quæ animo solo percipitur, ut infra ostendemus. Multo profecto minus oculis cernimus *animorum* commotiones; sed de ipsis solummodo admonemur ex visis in vultu colorum mutationibus. Jam vero nulla est naturalis connexio inter lucis gradationes & distantiam, seu figuram, seu situm, seu fluiditatem, &c. nulla etiam inter lucis modificationes in vultu hominis conspectas & animis affectiones iracundiam, pudorem, metum, spem, desperationem, lætitiam, tristitiam. Non major certe est connexio, quam inter voces, & res per voces significatas: quod adeo verum est, ut experientia compertum sit hominem cœcum a nativitate, cum primum ad rerum conspectum admittitur, nequaquam posse de distantia, vel figura, vel situ, cæterisque qualitatibus corporis judicare ex visione, donec experientia & consuetudine didicerit. Omnia enim non extra se posita, sed in animo suo putat inesse: atque etsi ex tactu consueverit distinguere varias figuras, o-

culo ista primo intuitu dividere non valet (*a*), nisi forasse fuerit Mathematicus & notiones suas, non ut rudes solent, sed ex consideratione abstractiva informaverit, & ad illas notiones apparentias novas expenderit. Ex quo sane efficitur visionem esse sermonem quemdam ab authore naturæ, non tantum arbitrario inventum, sed quem experientia atque usu discimus; & in hoc differre sermonem humanum a sermone naturali, quod ille varius sit apud homines, hic omnibus communis; quod ille mutabilis, hic constans; quod meminerimus tempus quo illum didicimus, huic assueti simus ab ipso ortu & memoriam nostram præcesserit; quod in sermone humano voces separatim a rebus grammatice consideremus, vix unquam vero accidat, ut speciem rerum a rebus separemus. Sic etsi cum petram intueor, nihil videam nisi temperationes lucis, tamen eodem tempore menti solent sese offerre cæteræ petræ qualitates, soliditas, asperitas, &c. Attamen in sermone humano idem ferme contingit: nam non possumus sine aliqua contentione vocem separare a re significata: cum legimus librum nullam damus attentionem litteris & vocabulis, sed continuo progreditur mens ad res significatas: & si sermo humanus nobis esset naturalis, si ab infantia ei assueti essemus, si nulla esset apud diversos homines varietas, tam connexus cum verum naturis videretur, quam sermo arbitrarius visionis.

5. Huic argumento ex nulla re major accedit authoritas, quam ex ridiculis generationis animalium expositionibus, quas protulere Athei: illas collegit Fran. Redi de gener. insect. p. 14. Nos vero hic solummodo referemus Epicuri mentem circa primam hominis nativitatem. *Is enim, teste Censorino, de die nat. c. 2. credidit limo calefactos uteros, nescio quos, radicibus terræ cohærentes, primum increvisse, & infantibus ex se editis ingentium lactis humorem, natura ministrante præbuisse; quos ita educatos & adultos, genus humanum propagasse*. Quam fabulam non ad contumeliam & opprobrium illi philosopho attributam fuisse patet ex Lucretio, qui eandem sic exornat.

Crescebant uteri terræ radicibus apti,
Quos ubi tempore maturo patefecerit ætas
Infantum, fugiens humorem, aurasque petissens,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis; sicut nunc fœmina quæque
Cum peperit dulci repletur lacte, quod omnis
Impetus in mammas convertitur ille alimenti:
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
Præbebat, multa & molli lanugine abundans.

Objicies 1. Si Epicureis concedantur postulata sua; videlicet, existere atomos omnis generis aptissimas ad mundi constructionem; illas atomos moveri naturaliter, non tantum secundum lineas parallelas, sed etiam declinare paululum, & sic in se mutuo incidere; infinitas per totam æternitatem molitiones & periclitationes facere: nullo modo negari potest quin ex earum concursione fortuita oriri mundus possit. Quia inter infinitas combinationes possibiles, hæc præsens dispositio reperitur; quæ consequenter est æque possibilis ac probabilis, ac alia quævis: immo quæ in infinitate sæculorum est necessaria, cum omnes combinationes æternitas exhaurire debeat. Ergo.

Respondeo: Concessis omnibus prædictis postulatis, præsentem rerum dispositionem esse plane ex concursione fortuita impossibilem: ob hanc evidentissimam causam, quod ad generandum, conservandumque mundum hunc sint necessariæ cer-

(*a*) Vide Locke de intell. hum. l. 2. p. 97., Berkeley Alcyphron vel min. phil. dialog. 5. Voltaire Elementa phil. Newt. c. 6. Vide etiam, quæ contra disputantur in l. de origine cogn. hum. sect. 6. cujus authoris sententia nullatenus minuit vim argumenti nostri.

certæ leges motus, præter iilam qua permutatur motus ex collisione, quas atomi sibi præscribere non possunt. Necessariæ sunt leges gravitatis seu attractionis mutuæ, cohæsionis, repulsionis, generationis & nutritionis plantarum & animalium, atque aliæ innumeræ, quæ ex lege percussionis non pendent. Sine hisce legibus demonstratur ex sola lege percussionis nulla oritura corpora organica, sed omnes atomos in verticem unum vel plures, in quibus est motus liberrimus, distributas, æternum esse in eodem statu duraturas. Alienum est a Philosophi constantia asserere aliquem effectum esse possibilem, antequam noverit an adsint causæ pares producendo effectui: ostendant ergo Epicurei & cæteri eorum imitatores, collisionem atomorum causam esse parem producendo & conservando mundo. Hoc quoties tentarunt, ut ait Baconus, *risu ab omnibus excepti sunt* (*Vide Cheynei princ. phil. rel. nat. c.* 3.)

Objicies 2. Rebus, quia existunt, utimur; minime vero, ut iis uteremur, conditæ sunt. Ita Lucretius, l. 4.

Nihil ideo natum est in corpore, ut uti
Possemus, sed quod natum est, id procreat usum.

Et vero, inquit idem, illud cujus causa factum est aliquid, eo prius est quod ejus causa existit.

Nam contra conferre manu certamina pugnæ
Et lacerare artus, fœdareque membra cruore,
Ante fuit multo, quam lucida tela volarent.
Et vulnus natura prius vitare coegit,
Quam dares objectum Parmai læva per artem.
Scilicet & fessum corpus mandare quieti
Multo antiquius est, quam lecti mollia strata.
Et sedare sitim prius, quam pocula, natum.

Sed rebus ipsis earum usus posteriores sunt.

Nec fuit, ante, videre, oculorum lumina nata.
Nec dictis orare prius, quam lingua creata.
. . . .
Omnia denique membra
Ante fuere, ut opinor, eorum quam fuit usus.

Cum eodem ergo concludi potest.

Quare etiam atque etiam procul est ut credere possis
Utilitatis ob officium potuisse creari (*a*).

Respondeo hac Epicureorum evasione nihil absurdius esse. Quid enim non condita sunt lumina ut videremus? cur ergo nihil habent, quod ad visionem non referatur? Non datæ sunt nobis aures, ut audiremus: cur ergo nihil habent quod non sit excipiendo sono proportionatum? Non positi in pectore pulmones, ut aerem hauriremus: cur ergo nihil habent respirationi non destinatum? Cur ergo non dicemus, non esse factum solarium ad indicandas horas, navem ad navigandum?

Sed, inquit Lucretius, membris ipsis posterior est illorum usus. Primum hoc falsum est. Ut enim posterior membris usus eorum censeri possit, necesse esset, ut membra per tempus aliquod indifferentia ad hunc, vel illum usum forent & deinceps ad talem præcise determinarentur. Atqui nunquam indifferens est membrorum usus aut fuit, ita ut iis ad hoc vel istud pro lubitu homines uti potuerint. Pleraque vero eo ipso usui incipiunt esse, quo existunt: & ille eorum usus & motus ad corporis vitam necessario requiritur.

Secundo: hæc Lucretii propositio *membris posterior est membrorum usus*, duplici sensu intelligi potest. Nempe vel sic, ut significet in se & in authoris sui intentione membrorum usum esse membris posteriorem: vel sic, ut significet tantum in executione & ratione temporis post membra membrorum usum haberi. Si posteriore sensu intelligatur, ex parte vera

(*a*) Homines boni & mali, ordinis & confusionis notiones sibi efformarunt, postquam sibi persuasissent omnia quæ fiunt propter ipsos fieri: tunc in unquaque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipsis utilissimum & illa omnia præstantissima æstimare a quibus optime afficiebantur. *Spinosa*.

ta est: sunt enim humani corporis membra quædam quæ prius quam iis utatur homo, in homine existunt. Si autem priori sensu intelligatur, falsa est; & illius veritas sine probatione a Lucretio supponitur. Nec enim membra primum author naturæ condidit, cujus illa essent aut esse possent utilitatis incertus, sed contra prospiciens quid e re & utilitate esset suarum creaturarum, rerumque naturam habens perfectam, membra dedit & ad certos fines, quos mutare nequimus, destinavit. Et ut exemplis Lucretii utar: commodior & aptior telis pugnandi ratio, eventu ipso & tempore telis est posterior; sed si cogitationem spectemus hominum telis antiquior est, & revera tela peperit. Non possunt ergo universe tolli fines rerum, nisi demonstretur nullam esse in parente naturæ cognitionem rerum ante earum effectionem, quod prædicto argumento non conficit Lucretius.

OBSERVATIO.

Validissimum hoc adversus Atheos ex causis finalibus argumentum multum elevarunt quamplures Philosophi Christiani in multiplici alia re de religione optime meriti.

Magnus ille Cartesius, Philosophiæ mechanicæ instaurator, easdem causas finales prorsus a physica sua & etiam a methaphysica ablegavit. In responsione ad objectiones Gassendi scribit. *Nec fingi potest, aliquos Dei fines magis, quam alios, in propatulo esse: omnes enim in imperscrutabili ejus sapientiæ abysso sunt eodem modo reconditi*. Med. 4. Metaph. *Ob hanc unicam rationem totum illud causarum genus, quod a fine peti solet, in rebus physicis nullum usum habere existimo: non enim absque temeritate me puto investigare posse fines Dei*. Et in principiis Philosophiæ p. 2. §. 28. habet: *nullas unquam rationes circa res naturales a fine, quem Deus aut natura in eis faciendis sibi proposuit, admittimus; quia non tantum nobis debemus arrogare, ut ejus consiliorum participes esse possimus*. Consentienter hisce placitis mundi totius & corporis humani generationem ex principiis mechanicis conatus est explicare, sed satis infeliciter. Ab Atheistica tamen impietate sine dubio longissime abfuit, cum argumenta omnia metaphysica illustraverit; Deumque solum causam materiæ, & motus effectricem & conservatricem statuerit: & insuper etiam docuerit, creatorem eam præcise motus quantitatem materiæ dedisse, quæ apta esset producendis rebus omnibus.

Mallebranchius Cartesii secutus vestigia aliquatenus tamen magistro timidior extitit; utpote, qui cum sola materia & motu sine ratione gubernante Cosmogoniam generalem tentaverit, corporum vero organicorum fabricam ad cæcos materiæ motus revocandam non putaverit.

Horum infelicibus successibus non deterritus clarissimus author Historiæ naturalis nuper editæ, quamvis ipse sequatur Newtonianam philosophandi rationem, Cartesiano more, valde contemnit causas finales (*a*): & consentienter huic dogmati, illum admirabilem planetarum concen-

(*a*) *Le second principe employé par Platon & par la plûpart des Spéculatifs que je viens de citer, principe même adopté du vulgaire & de quelques Philosophes modernes, sont les causes finales: cependant pour reduire ce principe à sa juste valeur, il ne faut qu'un moment de reflexion; dire qu'il y a de la lumiere, parce que nous avons des yeux, qu'il y a des sons parce que nous avons des oreilles; ou dire que nous avons des oreilles & des yeux, parce qu'il y a de la lumiere & des sons, n'est ce pas dire la même chose, ou plutôt que dit-on? Trouvera-t'on jamais rien par cette voye d'explication? Ne voit'on pas que ces causes finales ne sont que des rapports arbitraires & des abstractions morales, lesquelles devroient encore imposer moins que les abstractions metaphisiques? Car leur origine est moins noble & plus mal imaginée, & quoique Leibnitz les ait élevées au plus haut point sous le nom de raison suffisante; & que Platon les ait représentées par le portrait le plus flatteur*

centum, in quo Newtonus tot divini consilii argumenta invenit, in vis centripetæ & projectilis temperatione (*a*), cometæ in solem illapsui attribuit. Tellurem omnem nostram exteriorem, tam lætum & copiosum omnibus animantibus domicilium, tumultuantis Oceani fluctibus, spumam vel scoriam substantiæ solaris seu vitreæ sulcantibus, acceptam refert. Plantarum omnium & animalium organica corpora a vi quadam fictrice materiæ insita effecta esse contendit.

4. Hisce omnibus ducem aliquatenus se præbuerat magnus scentiarum amplificator & Philosophiæ vates Baconus, qui quidem multo contra causas finales scripsit, & propterea multorum doctorum virorum invidiam subiit. Utinam tamen cæteri omnes, qui ejus monitis paruerunt, moderationem quoque fuissent secuti: neque alium in hac controversia arbitrum quæremus. Docet quidem ille Platonem & alios quamplurimos causis finalibus egregie abusos esse in rebus physicis & propterea omnino a physica ablegandas statuit: at simul easdem causas *veras* esse docet & *Philosophi inquisitione dignissimas*; verum ad Metaphysicam pertinere censet. Ejus locum, quamvis longiorem hic describere operæ pretium videtur; quod magnam habeat apud Physicos nostros authoritatem; & dum ipsis ea omnia concedit, quæ ad perficiendam suam scientiam, necessaria sint, tamen nullo modo quatit Theologiæ naturalis fundamenta.

Metaphysicæ pars secunda, inquit, est finalium causarum inquisitio, quam non ut prætermissam, sed ut male collocatam notamus. Solent enim inquiri inter physica, non inter metaphysica. Quanquam si ordinis hoc solum vitium esset, non mihi fuerit tanti. Ordo enim ad illustrationem pertinet, neque est ex substantia scientiarum. At hæc ordinis inversio defectum insignem peperit, & maximam philosophiæ induxit calamitatem. Tractatio enim causarum finalium a Physicis, inquisitionem causarum physicarum expulit & dejecit, effecitque ut homines in istiusmodi speciosis & umbratilibus causis acquiescerent; nec inquisitionem causarum realium & vere physicarum strenue urgerent, ingenti scientiarum detrimento. Etenim reperio hoc factum esse non solum a Platone, qui in hoc littore semper anchoram figit, verum etiam ab Aristotele, Galeno & aliis, qui sæpissime etiam ad illa vada impingunt. Etenim qui causas adduxerit hujusmodi: palpebras cum pilis pro sepi & vallo esse ad munimentum oculorum: *aut*, corii in animalibus firmitudinem esse ad propellendos calores & frigora: *aut*, ossa pro columnis & trabibus a natura induci, quibus fabrica corporis innitatur: *is in metaphysicis non male ista allegarit; in physicis autem nequaquam. Immo, quod cœpimus dicere, hu-*

teur de perfection, cela ne peut pas leur faire perdre à nos yeux ce qu'elles ont de petit & de precaire; en connoit-on mieux la nature & les effets, quand on sçait que rien ne se fait sans une raison suffisante, ou que tout se fait en vûe de la perfection? Qu'est-ce que la raison suffisante? Qu'est-ce que la perfection? Ne font-ce pas de êtres moraux crèès par des vûes purement humaines? Ne sont-ce pas des rapports arbitraires que nous avons gènèralisès? Sur quoi sont ils fondès? Sur des convenances morales, lesquelles bien loin de pouvoir rien produire de physique & de rèel, ne peuvent qu'altèrer la rèalitè, & confondre les objets de nos sensations, de nos perceptions & de nos connoissances, avec ceux de nos sentimens, de nos passions & de nos volontès. vol. v. c. 5.

(*a*) Planetæ sex principales revolvuntur circum solem in circulis soli concentricis, eadem motus directione, in planis orbium planetarum quam proxime. Et hi omnes motus regulares originem non habent ex causis mechanicis... Elegantissima hæcce solis, planetarum & cometarum compages, non nisi consilio & dominio entis intelligentis & potentis oriri potuit. Newtonus *in fine principiorum math. phil. nat.* Vide Bentlei sermones contra Atheismum.

hujusmodi sermonum discursus (instar remorarum , uti fingunt , navibus adhærentium) scientiarum quasi velificationem & progressum retardarunt , ne cursum suum tenerent , & ulterius progrederentur : & jam pridem effecerunt , ut physicarum causarum inquisitio neglecta deficeret , ac silentio præteriretur . Quapropter philosophia naturalis Democriti & aliorum , qui Deum & mentem a fabrica rerum amoverunt ; & structuram universi infinitis naturæ prælusionibus & tentamentis , (quas uno nomine fatum aut fortunam vocabant) attribuerunt & rerum particularium causas materiæ necessitati , sine intermixtione causarum finalium , assignarunt ; nobis videtur , quatenus ad causas physicas , multo solidior fuisse & altius in naturam penetrasse , quam illa Aristotelis & Platonis : hanc unicam ob causam , quod illi in causis finalibus nunquam operam triverunt ; hi autem eas perpetuo inculcarunt . Neque hæc eo dicimus , quod causæ illæ finales veræ non sint , & inquisitione admodum dignæ *in speculationibus metaphysicæ , sed quia , dum in causarum physicarum possessiones excurrunt & irruunt , misere eam provinciam depopulantur & vastant . Alioquin , si modo intra terminos suos coerceantur , magnopere hallucinantur , quicumque eas physicis causis adversari aut repugnare putent . Nam causa reddita ,* quod palpebrarum pili oculos muniant , *nequaquam sane repugnat alteri illi ,* quod pilositas solet contingere humiditatum orificiis , *sic de reliquis ,* conspirantibus optime utrisque causis ; *nisi quod altera intentionem , altera simplicem consecutionem denotet : neque vero ista res in dubium vocat providentiam divinam , aut ei quicquam derogat ; sed potius eandem miris modis confirmat & evehit . Nam sicut in rebus civilibus prudentia politica fuerit multo altior & mirabilior , si quis opera aliorum ad suos fines & desideria abuti possit , quibus tamen nihil consilii sui impertit , (ut interim ea agant quæ ipse velit , neutiquam vero se hoc facere intelligant) quam si consilia sua cum administris voluntatis suæ communicet : sic Dei sapientia effulget mirabilius , cum natura aliud agit , providentia aliud elicit ; quam si singulis motibus naturalibus providentiæ caracteres essent impressi . Scilicet Aristoteli postquam naturam finalibus causis imprægnasset ,* naturam nihil frustra facere , suique voti semper esse compotem , si impedimenta abessent , *& hujusmodi multa eo spectantia posuisset , amplius Deo non fuit opus . At Democritus & Epicurus , cum atomos suos prædicabant , eo usque a subtilioribus nonnullis tolerabantur ; verum cum ex eorum fortuito concursu , fabricam ipsam rerum absque mente coaluisse assererent ,* ab omnibus risu excepti sunt . *Adeo ut tantum absit , ut causæ physicæ homines a Deo & providentia abducant , ut contra potius Philosophi illi , qui in iisdem eruendis occupati fuerunt , nullum exitum rei reperiant , nisi postremo ad Deum & providentiam confugiant .* Idem pulchre scribit de augm. sci. l. 1. *Certissimum est , atque experientia comprobatum leves gustus in philosophia movere fortasse ad Atheismum , sed pleniores haustus ad religionem reducere . Namque in limine Philosophiæ , cum secundæ causæ , tanquam sensibus proximæ , ingerant se menti humanæ , mensque ipsa in illis hæreat atque commoretur , oblivio primæ causæ obrepere possit . Si quis ulterius pergat , causarumque dependentiam , seriem & concatenationem , atque opera providentiæ intueatur , tunc secundum Poetarum mythologiam facile credet , summum naturalis catenæ annulum pedi solii Jovis affigi .* De augmentis scientiarum , l. 3. c. 4.

Magnus Newtonus a Bacono aliquatenus saltem quoad formam loquendi dissentit , dum scribit : *Deum cognoscimus per sapientissimas & optimas rerum structuras & causas finales ..... De quo ex phænomenis disserere ad philosophiam experimentalem pertinet .* Princ. l. 3. Stant ergo pro causis finalibus Pythagoras , Plato , Aristoteles , Hypocrates , Zeno , Galenus , Baconus , Newtonus , Leibnitzius cum omnibus suis , cum universo humano genere . Causa finita est .

Et certe in hominum artificiis , consiliis , actionibus eorum fines quærimus ; ac

ac de eorum industria, bonitate, sapientia, ex finibus & mediorum ad fines aptitudine judicamus: si ergò mundus sit artificium Dei, si ejus consilio & providentia gubernetur; quare divinam artem, sapientiam, bonitatem ex finium optimorum contemplatione & aptissima mediorum ad fines obtinendos institutione non investigabimus? In hominum libris legendis, vir sapiens ad orationis sensum attentus, illum accommodat ad usus suos, nec vane & inaniter grammatices regulis unice intentus sententiarum artificium & eum prædictis regulis convenientiam considerat. Sic cum versamur in magno naturæ volumine, grammatici est in re humili defixi, occupari tantummodo in phænomenis ad certas motus regulas generales revocandis; sapientis est, & Philosophi ex consideratione pulchritudinis & magnificentiæ rerum animum suum perficere & amplificare; sapientiam & beneficentiam creatoris perspicere & admirari; accommodare res naturales; quantum in se est, ad creatoris gloriam & suam aliorumque felicitatem; atque ad hos optimos & naturales fines Physicorum uti inventis & observationibus.

ARGUMENTUM SEXTUM.

Ex viribus naturalibus, motu & cogitatione.

PROPOSITIO PRIMA.

Deum esse, qui mundum hunc initio constituit & perpetua actione sua moderatur, ostendit corporum motus.

PROBATIO.

NAM vel dicendum est, motus originem & causam nullam esse, neque intra, neque extra materiam, sed illum ab æterno successivis impulsibus semper sine initio continuatum fuisse; uti docebant Epicurei, & inter recentiores Spinosa (a): vel motus originem & causam esse in ipsa materia, quæ habet essentialiter vim motricem, ut posuit Strato, & ex recentioribus Tolandus; vel mentem æternam motus principium esse. Atqui nec primum nec secundum dici potest.

1. Enim absurdum est dicere motus originem & causam nullam esse. Nam absurdum est supponere effectum aliquem existere sine causa efficiente, passionem esse sine actione. Atqui in illa hypothesi esset effectus sine causa. Nam in ista expositione omnis motus seu corporis translatio producta est: atque tamen nulla vis admittitur producens, neque externa, neque interna. Pone corpus A, impellere corpus B, & B impellere corpus C, & C impellere D: motus corporum B, C, D, erit effectus vis corporis A; & A erit primum movens. Tolle jam illam causam primam A; & habes effectum sine causa. Si fingas corpora illa moveri in orbem & a corpore A derivari successive motum in B, C, D ... Z; A; fingis tantum corpus A, seipsum movere mediantibus corporibus B, C, D ... Z; adeoque sui motus causam existere. Si fingas seriem infinitam, nihil proficies: nam sublata prima causa motus habebis effectum infinitum sine causa. Quod hac comparatione elucidari potest. Finge catenam ex indefinita altitudine pendentem, cujus omnes annuli ponderent in terram; si quæreretur, cur ista catena tam ponderosa non caderet in terram? Num responsionem probabilem attulisse eum putaremus, qui diceret annulum infimum ab annulo immediate superiori suspendi, hunc ab alio, & sic in infinitum? Iterum profecto quæreretur, quid efficeret ut omnes annuli suspensi manerent contra vim ponderis? Nam si vis aliqua sit necessaria ad suspendendum unum annulum, major vis requiritur ad suspendendos 30 annulos, major ad 100 suspendendos; & ad pondus infinitum sustinendum necessaria esset vis infini-ta,

(a) Parte secunda, prop. 13. lemm. 3. Corpus motum vel quiescens, ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio, & sic in infinitum.

ta, nedum nulla requireretur. Idem dicendum est de serie quacunque causarum sese successive producentium, in qua si primam tollas, habebis, vel finitum, vel infinitum rerum numerum sine causa efficiente. Adeoque suppositio infiniti temporis difficultatem quodammodo ex conspectu removet, nullo modo solvit: & propterea hujus bene conscius Spinosa, cum ab amicis ratio aliqua suæ positionis postularetur, effugia semper quæsivit, ut patet ex *epist.* 63. *& sequentibus*.

2. Non inesse materiæ naturaliter & essentialiter vim motricem, multiplici ratione conficitur.

Primo: Quòd essentiale rei alicui est; ad ejus conceptum pertinet: atqui motus, seu vis motrix nullatenus in conceptu materiæ includitur: adæquatam habemus illius ideam, ut rei extensæ & solidæ, absque motu; immo nedum involvat contradictionem corpus aliquod quiescere, e contrario quietem nativum ejus statum esse intelligimus. Et Tolandus, qui sibi in animum induxit defendere illam absurdissimam & abhorrentem a communi omnium sensu opinionem, quod in idea materiæ includatur idea motus, nihil afferre potuit, quod non sit plane ineptum, ut modo videbimus.

Secundo: omnis vis motrix repugnat naturæ materiæ. Nam in omni materia est vis quædam negativa & improprie dicta, quam significantissimo vocabulo Philosophi appellant *vim inertiæ*, qua corpus quodcumque status mutationi resistit. Hanc inertiam in omni corpore experimur, corpus enim quiescens moventi resistit, & corpus motum resistit sistenti: si duplum fuerit, duplo plus resistit; vel si idem corpus A movendum sit cum duplici velocitate, duplo etiam plus resistit, seu requiritur vis dupla quod profecto non contingeret, nisi esset insita materiæ inertia quædam, qua mutationi status resistat: tolle illam, & minimum corpus moveret maximum corpus, nulla amissa velocitate. Immo vero non tantum experimur vim hanc inesse materiæ, sed etiam sine illa corpus concipere non possumus; haud magis quam sine extensione vel impenetrabilitate: nam si ad movendum corpus A cum aliqua data velocitate, necessaria sit vis aliqua V; fieri non potest, ut ad movendum idem corpus A cum duplici velocitate, vel, quod eodem redit, ad movendum corpus duplum 2 A, non sit necessaria vis dupla 2 V: quia causa debet esse necessario effectui proportionata, & repugnat ut eadem vis motrix producat diversos in infinitum gradus motus. Atqui si ad movendum corpus aliquod cum variis velocitatis gradibus necessaria sit vis major vel minor, habita ratione molis movendæ, vel velocitatis producendæ, agnoscenda est necessario in materia quacunque *inertia*, qua resistit mutationi status.

Porro hæc *inertia*, quam inesse corporibus experimur, & sine qua corpora cogitare non possumus, excludit omnem vim motricem. Nam duo contraria, sese mutuo destruentia, eidem subjecto inhærere non possunt: quia res non potest esse simul talis, & non talis. Atqui *inertia* & *vis motrix* sunt duo contraria & incompatibilia: & si simul essent insitæ in materia, materia esset iners & non iners; statum servare per inertiam, statum mutare per vim motricem eodem tempore niteretur. Ergo esse in corporibus vis motrix nulla potest.

Tertio: Ex suppositione vis motricis insitæ in materia plura sequuntur absurda.

Nam, ut modo diximus, tolleretur a materia ista inertia, sine qua tamen nullæ esse possunt leges motus, & materia esset prorsus inutilis ad mundi constructionem.

Deinde si inesset naturaliter materiæ particulis vis motrix, vel enim ista vis quaquaversum niteretur, vel in aliquam partem determinaretur: prius plane absurdum est; nam nisus in omnes simul partes contrarias repugnat: si quidem particula aliqua niteretur versus Orientem,

tem,

tem, eo ipso niteretur recedere ab Occidente. Non posterius; tum quia nulla particularis determinatio concipi potest necessaria. Tum etiam quia si aliqua determinatio esset materiæ naturalis & necessaria, illam determinationem non magis mutare posset, quam naturam. Et si forte contingeret, ut a fortiori abriperetur in partem naturali conatui contrariam, reniteretur sane semper, & prima data occasione naturalem determinationem sequeretur. Jam vero cum hisce naturalibus inclinationibus consistere nequeunt leges motus, quæ postulant, ut corpora sint natura sua indifferentia ad quamcunque determinationem.

Si naturaliter inesset corporibus motus, vel vis motrix, ista vis motrix vel ille motus idem semper esset; nec ulla essent motus incrementa vel decrementa. Sed experientia constat motum in collisione corporum, nunc destrui, nunc augeri: in qua re sunt jam Philosophi consentientes.

Si vis motrix esset essentialis materiæ, nullæ particulæ vel quievissent unquam, vel nunc quiescerent: sed perpetuo motu particulæ agitatæ semper a se invicem divellerentur: ergo nihil generari, seu concrescere unquam potuisset, ullamve adipisci stabilitatem & constantiam. Manifestum quidem est res omnes universi certam quandam, justamque motus & quietis mensuram requirere.

Si vis motrix esset materiæ essentialis, leges motus essent natura, non voluntate determinatæ; vel potius esset lex unica, ubique uniformis, cujus necessitatem aliquam deprehenderemus. Sed experimur leges motus esse plane arbitrarias, nec uniformes. Nam vires præcipuæ, & universaliores sunt: *gravitas* seu vis qua corpora quæque versus proprium centrum deprimuntur: vis *cohæsionis*, qua corporum minutiores particulæ colligantur & duræ fiunt: vis *elastica* seu *repulsionis*, qua corpora minutiora se mutuo repellunt, & fugiunt: vis *percussionis*, quæ in corporum collisione manifesta est. Esse alias vires in rerum natura certissimum est, nam ex his non pendent omnia phænomena, saltem quantum nos cernere possumus: verbi gratia, omnis œconomia animalis, motus musculorum, sensationes. (*Vide Hist. nat. nuper editam t. 2. cap. 3.*) Atqui harum virium leges sunt plane arbitrariæ: nam gravitas corporum non eadem est in variis a centro distantiis, sive intra terram, sive extra terram: intra terram corpora ponderare videntur in ratione directa distantiarum a centro; id est qua proportione ad centrum accedunt, eadem minuitur eorum pondus. Sed extra terram ponderant aliter: nam quo magis receditur a centro, eo minus pondus est: sed non decrescit in ratione simplici distantiarum; sed, ut loquuntur Geometræ, in ratione duplicata inversa distantiarum, id est, corpus in duplo majori distantia, quadruplo minus ponderat: quo nihil arbitrarium magis fingi potest. Sic quoque vis illa, qua cohærent particulæ materiæ in corporibus duris, aliam prorsus legem sequitur, rationem triplicatam vel quadruplicatam inversam distantiarum; nam minimo intervallo nulla est, in puncto vero contactus infinite superat vim gravitatis. Quæcunque sit lex harum virium, quam determinare vix possibile est; liquet certe, quod plane fuerit ad arbitrium facta; nihil in materiæ natura reperies, quod hasce leges necessarias efficere potuerit. Idem dici potest de cæteris omnibus legibus, quas sequuntur corpora.

Scimus quidem Epicureos olim & recentiores mechanicæ Philosophiæ restauratores, docuisse omnia phænomena naturæ derivari posse ex his duabus simplicissimis legibus: *corpus quodcunque servare statum motus & quietis nititur*: Et: *quantitas motus communicatur pro quantitate molis corporum impingentium* (*a*). Sed scimus etiam id val-

(*a*) *L'idée de ramener l'explication de tous les phenomenes à des principes méchaniques, est assurément grande & belle; ce pas est le plus hardi qu'on pût faire en*

valde temere ab utrisque assertum fuisse; vixque ullum esse phænomenon, cujus isti Philosophi solutionem feliciter tentaverint. Et propterea quo magis in naturæ intima penetrant observando Philosophi, tanto in dies minuitur apud omnes gentes illorum Philosophorum authoritas. Adeo ut illa ingeniosa philosophandi ratio per hypotheses arbitrarias inventa a Cartesio, ab omnibus curiosis naturæ exploratoribus deserta sit, & in scholas ad puerorum exercitationem amandata videatur.

Objicies 1. cum Tolando. Motus essentialis materiæ est, & in ejus idea includitur. Nam primum materia omnis est natura sua divisibilis; divisibilitas vero continet ideam motus. Deinde materia sine qualitatibus sensibilibus imaginari a nobis nequit: sed omnes qualitates sensibiles sunt effectus motus. Tertio denique omnis materia movetur: & consequenter concludere debemus motum pertinere ad essentiam materiæ; uti colligimus omnem materiam esse extensam, quod nullam ejus partem inextensam noverimus.

Respondeo, 1. in idea materiæ includitur quidem divisibilitas, & consequenter capacitas motum recipiendi: sed multum distant divisibilitas & divisio actualis per motum; seu capacitas recipiendi motum & motus actualis.

2. Ex eo quod corpora nobis per motum sensibilia sint, non sequitur illa per motum necessario esse sensibilia. Nam talia esse possunt, & revera sunt, non ex naturis suis, sed ex instituto arbitrario Creatoris, qui potuisset aliam occasionem sensationum constituere, si voluisset. Deinde etsi imaginari non possimus corpora sine aliquibus qualitatibus sensibilibus, saltem illa sæpius existere sine qualitatibus sensibilibus novimus & existere posse semper. Novi v. g. sidera sole micante existere, existunt tamen sine qualitatibus sensibilibus respectu nostri: & cum consentientibus Philosophis, qualitates sensibiles non sint in rebus ipsis, sed in animis; certe sublatis animis tota universitas rerum sine istis qualitatibus existeret. Qualitates ergo sensibiles ridicule dicuntur pertinere ad essentiam corporum.

3. Etiamsi concedamus omnem materiam in universo orbe in motu positam esse; quod tamen nunquam confici posset: ex ista universalitate nullo modo sequitur motum ad essentiam materiæ pertinere. Ipse Tolandus agnoscit inesse omnibus corporibus vim centripetam, negat tamen illam gravitationem versus centrum esse materiæ essentialem. Oportuisset illum conficere eandem plane rationem esse motus & extensionis: at sicut, sublata extensionis notione, tollitur omnis notio materiæ, sic sublato motu actuali nullam relinqui ejus ideam.

Objicies 2. contra secundam rationem. Vis inertiæ seu resistentia ad mutandum statum falso dicitur essentialis materiæ. Nam omnes Philosophi in hoc consentiunt materiam esse indifferentem ad motum vel quietem. Atqui ista indifferentia consistere non potest cum prædicta vi inertiæ.

Respondeo omnes Philosophos docere materiam esse indifferentem ad motum vel quietem, eo sensu quod natura sua non magis propendeat ad motum, quam ad quietem; nec magis resistat transire a statu quietis ad motum, quam a statu motus rursus ad eandem quietem redire: sed non docent materiam esse indifferentem, ad motum & quietem, eo sensu, quod in materia nulla sit renitentia ad motum in statu quietis, & ad quietem in statu motus (*a*).

Deinde etiamsi revocari possit in dubium

philosophie, & c'est Descartes qui l'a fait; mais cette idée n'est qu'un projet, & cet projet est-il fondé? Quand même il le feroit, avons nous les moyens de l'exécuter, &c. Vide Hist. nat. ibid. (*a*) *Il semble en considérant l'indifference de la matiere au mouvement & au repos, que le plus grand corps en repos pourroit être emporté sans aucune resistance par le moindre corps qui seroit en mouvement, auquel cas il y auroit action sans reaction & un effet plus grand que sa cause.* Leibnitz Theod. pag. 538.

bium a Theista, an illa vis inertiæ, quam in materia omni sensibili experimur, sit materiæ essentialis, an impressa extrinsecus a Deo; id ab Atheo revocari in dubium non potest: nam hic tenetur defendere id omne pertinere ad naturam materiæ, quod omni materiæ inesse constantissima experientia novimus. Sed certe constanti experientia novimus materiam esse inertem.

Animadvertendum etiam est, majores difficultates, si fieri posset, premere Atheos, si statuant materiam non esse inertem, quam si inertem illam esse concedant; nam in hac hypothesi nulla esse posset materiæ alicujus actio in aliam materiam. Omne enim corporis momentum pendet ex massa, id est, inertia massæ, seu majori vel minori resistentia ad mutandum statum; & ex velocitate. Tolle massam seu inertiam massæ, & finge corpus non resistens: post collisionem, vel corpus, impingens statim quiescet; cum nullam habeat vim ad servandum statum motus; vel nulla amissa velocitate rapiet secum corpus quiescens, quia hoc nullam habet vim ad servandum statum quietis. In neutra hypothesi posset hic mundus consistere: in prima esset omnis materia tandem quiescens & moles segnis: in secunda, omnis materia raperetur secundum eandem determinationem. Ad has ergo angustias reducitur Atheus, ut vel asserat materiam inertem esse natura, & tunc carebit natura vi motrice; vel ponat non esse inertem, & tunc alterius materiæ movens esse non poterit.

C O R O L L A R I A.

Ex his omnibus sequitur primo vanissimam esse philosophiam Stratonis & Stoicorum supra descriptam, quæ statuebat inesse materiæ vim motricem, quamdam tendentiam ad motum & nisum elementarem. Quam opinionem etiam nostris temporibus secuti sunt Hobbius, Tolandus, necnon clarissimus Leibnitzius.

2. Sequitur non esse inhærentem materiæ vim gravitatis & vim cohæsionis, quales admittebat Epicurus in individuis illis particulis, quas atomos vocabat: In qua ejus sententia hoc etiam perabsurdum fuit, quod in spatio infinito superius esse aliquid & inferius dictitaret, atque ibi gravitate sua ferri & deprimi corpora, ubi nullus erat medius locus seu centrum. In eadem vanitate sunt quidam recentiores Philosophi, qui *attractionem* inhærentem materiæ qualitatem fecerunt: in qua opinione hoc non solum est reprehendendum, quod vis aliqua inerti materiæ tribuatur; sed id perabsurdum est, quod corpus dicatur agere *in distans*, ubi non sit, ubi est nihilum corporis; sicque *effectus ex nihilo oriri* supponatur.

3. Sequitur denique vires naturales esse ipsam divinam efficaciam; & omnia phænomena, quæ vocantur effectus virium naturæ & legum motus, nihil revera esse, si *proprie* loqui velimus, nisi effectus divinæ actionis, vel immediate per se moventis materiam, vel mediate per alia entia spiritualia: aut esse effectus particulares legum naturæ generalium, quæ leges generales sunt tantummodo *effectus generales* efficaciæ divinæ. *Cursus* ergo & *ordo naturæ* nullus est proprie dictus, sed hoc nomine significatur divina voluntas, res omnes regens ratione constanti, perpetua & uniformi: ex quo sequitur illius virtute omnia etiam minutissima contineri, atque in ipso ac per ipsum omnia vivere, moveri & esse: & Dei cognitionem ex phænomenis pertinere ad philosophiam experimentalem: ut posuit Newtonus. Vide de toto hoc argumento nostris temporibus Cartesium, Mallebranchium, Clarkium *de attr. Dei*, & *in resp. ad Leibnitz.* Baxter *de immortalitate animæ*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deum existere, seu Ens a materia segregatum ostendit animis hominum indita cogitandi vis.

P R O B A T I O.

SI *cogitatio* (intellige vel *perceptionem passivam* vel *vim percipiendi*, vel *conscientiam*, vel *sensum*, vel *volitionem*,) a Deo

a Deo non oritur, sed inhæret materiæ, vel oritur *accidentaliter* ex aliis materiæ affectionibus, nempe magnitudine, figura, situ, motu, quamvis diversæ sit naturæ; uti posuit Epicurus: vel est una ex his materiæ affectionibus, seu magnitudo, seu figura, seu situs, seu motus; uti Hobbius scripsit multis in locis: vel denique est facultas insita naturaliter in materia & distincta a motu, situ, figura & magnitudine, uti Strato olim docuisse dicitur. Atqui hæ tres sententiæ abhorrent a ratione.

1. Absurda est Epicureorum sententia. Nam ex magnitudine, figura, situ & motu nihil gignitur, præter varietatem earumdem affectionum. Divide materiæ magnitudinem, partes divide in alias minutiores, easdem per totam æternitatem varia ratione seca, nihil generabis unquam nisi diversas magnitudines. Compone mutatione situs varias illas partes, pone partem A nunc ad Orientem, nunc ad Occidentem, nunc ad Septentrionem, muta partium distantiam, nihil habebis nisi diversas materiæ combinationes. Molis figuram muta, muta partium configurationes; nihil habebis nisi mutationem figuræ seu mutatam figuram. Move nunc materiæ molem, velocitatem auge vel minue in infinitum; nihil movendo generabis nisi motum varium. Et ratio est, quod res compositæ nullo modo differant natura a rebus simplicibus ex quibus componuntur; ut cum ex duobus triangulis quadratum efficis, quadratum illud nihil aliud erit quam duo triangula: misce pulverem cæruleum cum pulvere flavo, habebis ex commixtione pulverem viridem, sed revera iste pulvis viridis nihil est nisi pulvis cæruleus cum flavo, uti ope perspicillorum ipsis oculis intueri licet. Et profecto si totum aliquod posset habere diversam naturam a partibus, esset diversæ naturæ a seipso; nam totum aliquod nihil est nisi complexio partium. Unde cum Epicurei supponant cogitationem natura ab aliis affectionibus differre, illam revera ex nihilo educunt, & sine efficiente causa.

Huic Epicureorum tam stultæ opinioni originem dedit eorum inscitia; existimarunt siquidem cum plebe qualitates corporum sensibiles, colorem, sonum, calorem, odorem esse ex primariis affectionibus prognatas & existere in ipsis rebus extra nos positis, e quibus ad nos miris modis transferebantur. Sensationes igitur existimabant oriri ex crassioribus vaporibus, quæ perpetuo de corporibus manarent, seseque per sensus in nervos insinuarent; reliquas vero universas hominum cogitationes, sive vigilantibus, sive somniantibus occurrentes, excitari ab alio quodam genere imaginum vel simulachrorum, multo tenuioris texturæ de corporibus quoque fluente. Hæc vero tenuiora simulachra, sive idola ad cerebrum dicebant, non per aperta organa sensuum deferri, sed per rara corporis seu poros penetrare, animumque intus afficere: vide Lucr. l. 4. v. 726. Alii vero hanc absonam philosophandi rationem emendare voluerunt: & ideo statuerunt non ipsas imagines e corporibus fluentes irruere undique in animos, sed tendere, seu impellere lucem, seu aerem inter se & animum, & sic tangi sentirique per animum in distans, quasi per baculum. Ista exposuisse, refutasse est: jam apud omnes certum est, qualitates corporum sensibiles esse animorum affectiones in rebus ipsis neutiquam existentes.

Secunda opinio, in qua definitur cogitationem esse unam ex supradictis materiæ affectionibus, æque absurda est. Nam de rerum naturis judicare non possumus nisi ex rerum ideis; tolle hoc principium, omnem scientiam sustulisti: ideo tantum affirmo triangulum non esse circulum, quia diversa est idea trianguli ab idea circuli. Atqui idea cogitationis diversa est ab idea magnitudinis, vel figuræ, vel situs vel motus; siquidem idea magnitudinis unius pollicis,

-tis, vel pedis, vel exapedæ non est idea cogitationis, non est voluptas, non est conscientia. Circulus, seu triangulum, seu quadratum non est sensus, Systema quatuor atomorum, vel decem, vel centum, &c. non est sapientia. Motus circularis, seu parabolicus, seu spiralis, non est judicii vis, præteritorum memoria, seu providentia futurorum. Hæc plane differunt, magisque inter se quam circulus & triangulum; hæc duo eodem genere continentur, circulus vero, seu motus circularis toto genere distat a providentia futurorum, seu memoria, seu conscientia, seu sensu, seu volitione.

Cum vero soleant Athei, & imprimis Hobbius (*a*), ex materiæ affectionibus motum seligere, cui attribuant cogitationis dignitatem & prærogativam, illam sententiam diligentius expendamus.

Primo: Motus nihil aliud in materia procreare potest quam divisionem, vel configurationem, vel diversum situm, seu coagmentationem, ut modo dictum est. Sed ab his omnibus multum differt cogitatio.

Secundo: Si motus esset cogitatio, omnis motus esset cogitatio, & eadem cogitatio: nam motus non est res varia, sed uniformis. Variæ ejus determinationes, vel ad Orientem, vel ad Occidentem, sunt tantum externæ & relativæ denominationes; non mutant ipsam naturam istius qualitatis, quam motum vocamus. Motus etiam circularis, vel ellipticus, non diversus est a motu recto. Quia omnis motus ex natura sua est rectus, & in singulis punctis circuli nisus motus est semper rectus, licet propter impedimentum perpetuo nisus recti determinatio mutetur: quovis ergo instanti motus habet nisum rectum, & motus circularis nunquam existit, sed fingitur tantum per memoriam seu mentem ex conjunctione variorum motuum in successivis instantibus. Idem dicendum est de systemate corporum moventium, & de motu impulsionis: tunc quidem essent multæ partes & multi motus, & proinde multæ cogitationes. In omnibus casibus motus est res uniformis, & consequenter si motus sit cogitatio, omnis motus erit cogitatio. Quod absurdum putare videntur ipsi adversarii, qui reactionem quidem cogitationem nuncupaverunt, nunquam vero motum simplicem rectilineum.

Tertio: Si cogitatio esset species quædam motus, tunc motus esset generica potentia sub se continens cogitationem; uti genus continet speciem. Atqui nedum motus, aut quævis alia materiæ affectio sit generica potentia respectu cogitationis, e contrario cogitatio est genus respectu motus, & affectionum omnium materiæ. Nam existunt tot ideæ motus, quot sunt modi motus; & insuper tot sunt ideæ figuræ, quot esse possunt figuræ; tot etiam sunt ideæ aliarum rerum, quot res sunt, quæ possunt existere: hæ omnes ideæ sunt modi cogitationis. Manifeste ergo cogitatio cum sit adeo generalis, adeo comprehensiva, & sub se contineat omnes figuras, omnes motus, omnes magnitudines, omnes situs, omnes colores, omnes sonos, omnia denique entia, non potest esse species aliqua motus, sed est genus plane generalissimum.

Quarto: Si motus particularum materiæ esset cogitatio, esset ista cogitatio temeraria sine consilio nata. Nam cujus con-

(*a*) Causa sensionis est externum corpus sive objectum, quod premit organum proprium; & premendo, mediantibus nervis & membranis, continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, & inde ad cor; unde nascitur cordis resistentia & contrapressio, sive conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum: atque apparitio hæc, sive phantasma est id quod vocamus sensionem. Lev. c. 1. Vide ... de sensu & motu animali.

consilio nasceretur? Et consequenter nulla esse posset, nec libertas, nec sapientia, nec providentia: quæ tamen inesse cogitandi vi sentimus.

Quinto: Cogitatio seu conscientia est res permanens: non tantum reminiscimur rerum gestarum 20. vel 30. vel 50. abhinc annis, sed conscii sumus a nobis ipsis easdem gestas fuisse. Atqui si conscientia esset motus materiæ, ut cerebri, vel sanguinis; subjectum cogitationis non esset permanens, & idem per multos annos, sed in perpetuo fluxu. Non haberemus memoriam, sed multo minus conscientiam *individuationis*. Neque hæc solvi potest difficultas, nisi defendatur conscientiam transferri ab uno systemate particularum moventium in aliud systema successive per plures annos: quo nihil absurdum magis esse potest; cum ex eo sequeretur qualitatem, qualis est conscientia individuationis, carere posse subjecto, & unam substantiam consciam esse posse a se illa facta esse, quæ a centum aliis personis facta sunt; id est, se & centum alias personas esse eandem personam.

3. Absurdum est sentire, cum Stratone, materiam omnem esse per se percipientem, cogitationemque pertinere ad ejus essentiam.

Primo: Quia id solum materiæ essentiale dici potest, sine quo nequit materia concipi; ideo extensionem, divisibilitatem, figurabilitatem, mobilitatem, impenetrabilitatem, ad illius essentiam pertinere dicimus; quia istas proprietates a materia dividere cogitando non possumus. Atqui vim illam vitalem, illam perceptionem naturalem, qualem admittunt Stratonici, facile a materia dividimus; immo nihil in materia præter prædictas qualitates imaginari possumus.

Secundo; si cogitatio esset essentialis materiæ, a materia non posset abesse, sed omnis materia illam contineret: & esset cogitationis eadem proportio, quæ extensionis seu magnitudinis. Atqui tamen experimur omnem materiam non habere illam vim cogitandi: in tota illa mole corporea, qua induimur, nulla pars est quæ cogitet. Nullam aliam viam ad tollendam vim istius rationis invenire potuit Hobbius, nisi hanc: docet perceptionem differre a sensu seu conscientia perceptionis; perceptionem vero in omni materia esse; sensum vero & conscientiam ex memoria pendere, quæ in organizatione sita est: vel sensum nasci ex varietate perceptionum sibi invicem succedentium (*a*). Sed hæc distinctio perceptionis & sensus seu conscientiæ, vanissima est; neque ullo modo intelligitur, quomodo una ab altera divelli possit. Perceptio sine sensu & conscientia est perceptio sine perceptione.

Tertio: Si Stratonici Philosophi agnoscant in materiæ particulis perceptionis tan-

(*a*) Itaque, ait, Physic. c. 25. sec. 5. *Sensioni adhæret proprie dictæ, ut ei aliqua insita sit perpetua phantasmatum varietas: ita ut aliud ab alio secerni possit. Si supponamus enim esse hominem oculis quidem claris, cæterisque videndi organis recte se habentibus compositum, nullo autem alio sensu præditum, eumque ad eandem rem, eodem semper colore & specie, sine ulla vel minima varietate apparentem obversum esse; mihi certe, quicquid dicant alii, non videre videretur: attonitum esse, & fortasse aspectare eum sed stupentem dicerem, videre non dicerem. Adeo sentire semper idem, atque non sentire ad idem recidunt.* Ibid. *scribit: Scio fuisse Philosophos, eosdemque viros doctos, qui corpora omnia sensu prædita esse sustinuerunt. Nec video si natura sensionis in reactione sola collocaretur, quomodo refutari possint. Sed etsi ex reactione etiam corporum aliorum, phantasma aliquod nasceretur; illud tamen, remoto objecto, statim cessaret. Nam nisi ad retinendum motum impressum, etiam remoto objecto, apta habeant organa, ut habent animalia; ita tantum sentient, ut nunquam sensisse se recordentur. Sensioni ergo quæ vulgo sic appellatur, necessario adhæret memoria aliqua.*

tantummodo semen & vim genitricem sensus & rationis; non sensum animalem, rationem, cogitationem reflexam & conscientiam. Nodum ergo non solvunt. Quærere licet unde & quomodo gignatur in animalibus sensus, & in hominibus cogitatio reflexa? Si dicant vitam illam naturalem & genitricem diversimode pro organorum diversitate sese exerere, incidunt in labyrinthos Epicureorum; & ipsis concedere coguntur per modificationem in organis factam rem oriri antea non existentem & nullum nexum cognationemve habentem cum organizatione.

Quarto: Cogitatio plane repugnat naturæ materiæ, seu corporis. Nam corpus est substantia constans multis partibus extra se invicem positis & separabilibus: & æque distinctis, ac sol & luna. Hanc materiæ naturam participant omnes illius proprietates: magnitudo corporis est multitudo partium juxta se positarum, & augetur vel minuitur, aut juxta positione novarum partium, aut earum subtractione. Figura tota corporis enascitur ex figuris partium exteriorum. Inertia, gravitas, motus corporis alicujus, pendet ex inertia, gravitate & motu partium, adeo ut non possis dividere corpus in partes duas vel tres, quin has omnes pariter qualitates dividas. Atqui cum hac partium multiplicitate, quam participant omnes materiæ qualitates, consistere non potest cogitatio. Nam cogitatio non tantum est disjuncta ab istis qualitatibus corporis (id est, non est longa, quadrata, ponderosa, iners, divisibilis, &c.) Sed est plane simplex & individua; una tantum valet quisque vi, qua res comparat, judicat, conficit; qua præterita tenet, complectitur præsentia, futura providet, qua per totam vitam quisque conscius est sibi, se eandem esse individuam personam successivis temporibus. Atqui hæc vis unica, simplex & individua in re multiplici esse non potest. Nam illa vis in multis partibus esse individua non potest; nisi omnes partes habeant eandem individuam vim; aut ex omnibus simul conjunctis efflorescat illa vis individua. v. g. Pone illam vim esse in corporibus A, B & C, vel erit in singulis, vel in conjunctione trium. Sed utrumque est absurdum. Primum certe est absurdum, quia qualitas individua corporis B, non potest esse qualitas individua corporis A, non magis quam gravitas, seu motus, seu natura, seu existentia corporis A potest esse gravitas, seu motus seu natura, seu existentia corporis B: non magis quam mea cogitatio possit esse alterius eadem & individua cogitatio. Quæque res habet suam naturam nec natura carere potest; quæque ergo res habet propriam individuationem, & individua qualitas, quæ adhæret naturæ cujusque rei, esse non potest qualitas individua alterius rei, magis quam natura A potest esse identica natura B. Secundum etiam non minus absurdum est: nam qualitas totius alicujus non potest esse diversa a qualitatibus partium; cum totum sit complexio partium, si natura aut qualitas totius differret a natura & qualitate partium, differret a seipsa, quod repugnat. Sic totum non potest esse extensum, nisi partes sint extensæ; totum non potest moveri, quin partes totius moveantur. Sed, inquies, rotunditas in circulo, globositas in globo, est affectio totius, quæ non est in partibus. Nequaquam: nam rotunditas esse non posset, nisi essent arcus seu partes efficientes rotunditatem, nec globus esse posset, nisi essent partes sphæricitatis.

Usi sumus solummodo hoc loco rationibus petitis ex multiplicitate partium materiæ & earumdem divisibilitate: alia argumenta contra animi extensionem quære infra, ubi de immensitate Dei. Vide de toto hoc argumento Cartesium, Mallebranchium, Dangeau: Clarkium, Baxter *de immortalitate animæ*.

ARGUMENTUM SEPTIMUM.

Ex materiæ & animi existentia.

PROPOSITIO.

Deum esse, qui cuncta in initio creavit & sua efficacia perpetuo conservat, ostendunt omnes, quibus constat mundus, substantiæ.

PROBATIO.

EX superiori propositione patet duplicem esse in mundo substantiam; materiam nempe, motus subjectum; & spiritum, cui insit cogitatio. Atqui utraque illa substantia non est per se existens, sed alterius Entis arbitrarium figmentum. Et primo quidem materiam rem creatam esse multiplici hac ratione conficitur.

1. Illud ens non est per se subsistens & independens, in cujus idea nullo modo includitur necessitas existendi, sed e contrario contingentia: nam si de rerum naturis judicandum sit, judicandum sane est ex ideis. Atqui in materiæ idea non includitur existendi necessitas, quia potest concipi non existens: nam id solum necessarium cogitatur, quod non potest cogitari non existens; sic dicimus partem necessario esse minorem toto, quia repugnat partem esse æqualem vel majorem toto: & dicimus e contrario motum corporis alicujus versus quamdam partem determinatam esse contingentem, quia idem corpus motum in contrariam partem facile cogitamus. Atqui materiæ partes omnes non existere facile cogitamus, ut unam, aut aliam quamvis, aut omnes simul.

2. Illud ens non potest esse necessarium, sed est dependens, quod nullos habet modos existendi necessarios, sed omnes contingentes & mutabiles. Atqui materia nullos habet modos necessarios.

Major propositio evidens est; nam quod necessario existit & sine causa, debet etiam habere modum existendi independentem a quavis causa; repugnat plane ut ens sit necessarium & independens ad *esse*, & contingens ac dependens ad *modum existendi*: quia cum existentia sine modo existendi esse nequeat, talis est modus existendi qualis existentia: immo res quævis necessaria vel contingens denominatur ex nulla re alia, quam ex modo existendi. Proindeque quod contingens est, mutabile & dependens ratione modi existendi, dependens quoque est ratione existentiæ.

Minor propositio nullam habet obscuritatem: quis enim modus materiæ necessarius & immutabilis est? Cogita illam in massam homogeneam & uniformem conglobatam, vel divisam in partes; cum his aut illis figuris, in hoc vel illo situ, in motu vel quiete, in statu fluiditatis vel soliditatis; nullum ex his modis dicere possis necessarium, quia modus contrarius æque possibilis est, illosque omnes successive induit materia: ergo ipsa materiæ existentia, quæ sine his modis contingentibus & mutabilibus esse nequit, est etiam contingens.

3. Materia est ens mere passivum, est enim res divisibilis, mobilis, figurabilis, locabilis, &c. Est res divisa, mota, figurata, &c. quæ qualitates certe sunt passivæ, seu significant hoc unum, materiam posse ab agente varie modificari, & esse jam modificatam. Tolle hanc capacitatem passivam a notione materiæ, omnem materiæ notionem sustulisti. Atqui quod passivum est, id factum & productum esse necesse est: Nam passivitas non magis concipi potest sine activitate, quam effectus sine causa; eadem omnino est connexio, seu relatio inter id, quod passivum est, & id per quod est passivum; quæ est inter effectum, & id per quod effectus existit. *Passivum* quippe & *activum* voces sunt, quæ habent eandem potestatem ac istæ, *effectum* & *efficiens*; quia activitas omnis est vera efficientia, & passio est revera effectus, & vice versa: & proinde si fieri posset, ut substantia passiva non esset effectus causæ alicujus, tunc effectus quilibet posset esse a se & independens: quod plane absurdum est.

Ergo

Ergo ex natura materiæ passiva concluditur materiam esse effectum. Hæc lucem & firmitatem ex sequentibus accipient.

4. Illud ens non potest esse necessarium & independens, cujus omnes proprietates non possunt aliter concipi, quam ut effectus causæ alicujus, immo ut effectus arbitrarii. Atqui omnes materiæ proprietates tales sunt. Proprietates corporum sunt, magnitudo, figura, situs, soliditas, motus, inertia; &c. Atqui hæ omnes proprietates seu modi non possunt aliter concipi, quam ut effectus causæ a materia distinctæ. Quid enim est magnitudo finita, nisi moles contingenter, & arbitrarie determinata, quam sine causa determinante cogitare non possumus. Sic quoque figura quævis, seu circularis, seu triangularis, &c. non necessitatis, sed voluntatis opus est; res figurata sine figurante effectus est sine causa. Sic motus seu corporis ex uno in alium locum translatio nulla alia ratione potest cogitari, quam ut effectus vis motricis. Sic soliditas sine cohæsione partium non est; cohæsio autem effectus est vis alicujus materiæ partes compingentis. Denique ista vis inertiæ, quam inesse materiæ suprà diximus, non alio modo intelligitur, quam ut effectus divini decreti, quo statuit materiam ad mutandum statum allaturam esse resistentiam. Ergo quicquid in materia experimur, non potest aliter concipi, quam ut effectus causæ a materia distinctæ; & in unaquaque atomo vis divina varia ratione conspicua est in determinatione magnitudinis, figuræ, situs, soliditatis, motus, inertiæ, &c. Dices fortasse atomum quamlibet natura sua finiri & ad talem magnitudinem, figuram, motum, duritiem, inertiam determinari. At per *naturam* vel intelligis ens aliquod, aliquam vim, distinctam a figura, duritie, &c. vel nihil. Sin primum, habemus quod volumus. Sin secundum, absorde loqueris.

Hoc idem sic brevius confici potest. Corpus vel habet *necessario* omnes magnitudines possibiles, omnes figuras, omnes situs, &c. vel habet *necessario* nullam magnitudinem, nullam figuram, &c. vel habet *necessario* unam figuram, unam magnitudinem, &c. vel denique habet magnitudinem, figuram, &c. *contingenter & ex voluntate* entis alicujus. Primum contradictionem involvit, nempe corpus habere *necessario* omnes simul magnitudines, omnes figuras, &c. Secundum repugnat: nam corpus sine aliquo ex illis modis existere non potest. Tertium contra experientiam est: nam corpora perpetuis vicissitudinibus obnoxia sunt. Ergo hæc omnia *voluntate* determinantur. Vide alia argumenta infra, ubi de Ente necessario.

Eædem rationes facile conferri possunt ad conficiendum, animos etiam esse substantias creatas. Nam omnia quoque in animis, sensus, affectiones internæ, vis intelligendi, & cætera sunt arbitraria voluntate determinata.

Objicies. Est illud Philosophiæ omnis certissimum principium, & ab omnibus Philosophis admissum: *ex nihilo nihil existere*. Ergo.

Respondeo: Principium esse Philosophiæ certissimum, ex nihilo nihil existere, hoc sensu intellectum, quod nihil, quod non fuit ante, possit existere sine efficientia causæ alicujus, vel quod a *nihilo nihil effici possit*. Idem principium esse falsum, eo sensu, *quod nihil, quod non fuit antea, ad existentiam adduci queat*. Igitur fatemur sine efficiente causa ex nihilo nihil posse oriri, quia rei non existentis nulla est efficientia: ex quo etiam conficitur nunquam fuisse nihil seu non omnia entia esse facta, sed naturam aliquam per se & necessario ab infinito tempore fuisse. Ex eodem principio sequitur, nihil produci posse, nisi ab ea natura, quæ parem saltem rei productæ perfectionem habet, & facultatem tantam, quanta sufficit ad illam producendam: effectus qui perfectior est causa sua, sine causa necesse est ortus sit, cum suæ causæ efficientiam excedat.

Ideoque si nullus in orbe motus foret, neque ulla præter corpora natura existeret, nullus motus unquam posset existere, cum corpora careant vi motrice. Idcirco etiam videtur nullam naturam finitam & imperfectam, novam substantiam producere posse, tametsi novis modis producendis par sit: quia efficientiam creatricem continere non posse videtur.

Hæc ipsa tamen verba sensum falsum continent, si nimirum per istas voces *ex nihilo*, terminus a quo tantum designetur, & hic illis sensus tribuatur, nihil quod non fuit antea ad existentiam ullo modo adduci posse. Hoc enim si universe verum esset, nulla posset esse productio seu efficientia, nullus motus, nulla cogitatio. Sed in nobis ipsis experimur facultatem, novas cogitationes in animis nostris, novosque motus in corporibus producendi; quod ipsum cogit Atheos, ut hanc propositionem restringant, & de substantiis unice accipiendam statuant. Quo etiam sensu falsa est propter rationes supra allatas, & hanc aliam: quia negari non potest creatio, quin tollatur potentia infinita. Nam quid est infinita potentia, nisi facultas perficiendi id omne quod non repugnat? Atqui non repugnat existere aliquam substantiam finitam & imperfectam, quę antea non fuit, atomum, v.g. vel animum. Qui ergo istud principium hoc sensu assumunt, assumunt nullam esse potentiam infinitam, quod est petitio principii.

At, inquies, istud principium, *ex nihilo nihil fit*, est etiam certissimum eo sensu, quod a causa efficiente etiam infinita nulla substantia produci possit. Nam 1. nequaquam creationem substantiæ ex nihilo cogitatione complecti possumus.

2. Istud principium experientia confirmatur: nam in naturalibus mutationibus, in generatione & corruptione corporum, nulla pars substantiæ vel destruitur, vel creatur; sed si ex nihilo substantiæ orirentur, res aliter sese haberet, ut observavit Lucretius:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus nasci posset, nil semine egeret;
E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamigerum genus & volucres, erumpere cęlo
Armenta & aliæ pecudes: genus omne ferarum
Incerto partu culta ac deserta tenerent.
Nec fructus iisdem arboribus constare solerent,
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.

3. Quia ut idem Poeta argumentatur:

Præterea nisi materies æterna fuisset
Antehac ad nihilum penitus res quæque redisset
De nihiloque renata forent quæcumque videmus.

Respondeo: Tam vanas esse illas Atheorum rationes, præter quas nullas habent alias, ut magnam ex ipsis accipiat authoritatem nostra conclusio.

Prima ratio sic procedit: non intelligo quomodo substantia ex nihilo producatur: Ergo substantia est nulla creata. Licebit ergo homini cœco a nativitate concludere nullos esse colores, nec corporum distantium situm & figuram posse cerni? Licebit ergo nobis omnibus concludere nullum esse in mundo motum, seu cogitationem? Nam non magis intelligimus, quomodo nascantur, quam quomodo oriantur substantiæ. Quod obscurum est in creatione est transitus a nihilo ad esse, qui transitus æque obtinet in motus & cogitationis productione. Si ergo ex motu & cogitatione concludere liceat esse vim motricem, & vim cogitandi, quam non habeo comprehensam: cur etiam non licebit concludere ex naturalibus & essentialibus proprietatibus rerum finitarum, quæ evidenter sunt contingentes, mutabiles & effectus arbitrarii, esse vim creatricem, etsi illam non complectar cogitatione. Profecto si sit vis aliqua necessaria, illa infinita est, ut modo ostendemus; & consequenter æque certi sumus & certiores, illam existere quæ par sit omnibus rebus possibilibus producendis, quam esse vim aliquam finitam illius participationem.

Se-

Secunda ratio Lucretii plane ridicula est, & efficit solummodo res non oriri ex seipsis, seu sponte sua, temere & sine consilio ac vi causæ efficientis.

Tertia ratio æque est inepta: si res quidem sponte sua temere prodirent ex nihilo, sine causa etiam interire & renasci iterum possent. Sed ubi existunt tantum efficacia potentiæ infinitæ, in nihilum redire non possunt, nisi subtractione istius efficaciæ per quam existunt. Hæc omnia multo melius retorqueri possunt adversus Epicuri & Lucretii hypothesim: in qua temere & sine causa cuncta, præter brutam materiam, *ex nihilo* erumpunt.

ARGUMENTA METAPHYSICA.

Esse Deum seu Ens hominibus excellentius, cujus numine & procuratione cuncta regantur, cum summa vi & auctoritate suadent argumenta moralia, sed parum explicant naturam illam divinam: ideoque videmus hominum vulgus, quod solummodo ex istis argumentis moralibus Deum intellexit, neque sese contulit ad rerum physicarum & metaphysicarum contemplationem, in magna opinionum perversitate circa Dei naturam ejusque virtutem fuisse. Argumenta physica, quæ exposuimus modo, in perfectiorem nos ducunt Dei cognitionem; dum ostendunt enim esse totius universitatis artificem solertissimum; totius naturæ, diffusione suæ virtutis, rectorem & quodammodo animam; & ipsarum etiam substantiarum omnium creatorem & adminiculum. Sed quæ jam exposituri sumus argumenta metaphysica interiorem Dei notitiam dabunt; scilicet, in quibus non tantum videbimus, quam habeat cum hominibus habitudinem, aut cum rebus creatis connexionem; sed qualis in se sit intelligemus. Et sicut profecto in locis jam explicatis, in moralibus & physicis rebus, nihil est, a quo profecti non possimus ad Deum ascendere; ita in mentis nostræ abstractis ideis, seu in mundo intelligibili nihil quoque est, quod divinam existentiam non demonstret: pene dixerim quod ipse Deus non sit. Id triplici argumento conficiemus: in primo existentiam *Entis summe perfecti*, ex existentia *Entis necessarii* colligemus. In secundo *perfecti & imperfecti*, *infiniti & finiti* notiones eandem Dei existentiam efficere probabimus. In tertio ostendemus *essentias rerum necessarias*, *& immutabiles earum relationes*, seu omnem *veritatem* conjunctam esse cum existentia Dei, qui *est sempiterna & immutabilis veritas*.

Inter argumenta hæc, quædam subtilia nimis & levia videntur multis, neque nos ipsi eandem vim omnibus inesse existimamus; tamen illa omnia breviter exponere constitutum est, quod nobis haudquaquam æquum videatur nostrum ingenium aliis, ut judicii normam, proponere, & moveat præterea summorum Philosophorum authoritas, quibus hæc omnia argumenta summopere placuerunt.

ARGUMENTUM OCTAVUM.

Ab existentia entis necessaiii.

PROPOSITIO.

Existere Deum, quo nomine hic intelligimus ens infinite perfectum, demonstratur ab existentia entis necessarii.

PROBATIO.

Nam profecto existit in rerum natura *ens necessarium*. Atqui ens necessarium est *infinite perfectum*.

Major propositio ab omnibus seu veteribus, seu recentioribus Atheis admissa est: & revera evidentissimis argumentis sic conficitur.

1. Aliquid existit. Atqui nisi esset ens aliquod necessarium, nullum ens existeret. Nam si nullum esset ens necessarium: entia quævis essent natura sua *contingentia*. Atqui si entia quævis essent natura sua contingentia, nullum ens existeret. Ens si quidem contingens illud est, quod ex se & ex natura sua ad existendum vel non existendum indifferens est,

est, quod proinde nisi ad existendum alia re, quam natura sua determinaretur, nunquam existeret. Atqui in hac hypothesi nulla alia res est, a qua determinaretur entis alicujus existentia. Ergo nullum ens existeret, quod falsum est. Vel sic brevius conficе: omnia entia existunt, vel ob causam aliquam externam, vel ob causam aliquam internam. Prius contradictionem involvit: si posterius verum sit, ergo entia omnia non sunt contingentia, sed est aliquod necessarium: nam ens necessarium illud est quod in natura sua continet rationem existentiæ suæ.

2. Vel existit ens necessarium quod natura sua necessario existit: vel entia seipsis debere originem contingenter, cum antea non extitissent: vel omnia entia producta fuerunt, uno ente aliud successive generante per totam æternitatem. Atqui dici nequit, 1. entia omnia contingenter sibi dedisse originem, cum antea non extitissent: quia in ista hypothesi res orirentur ex nihilo sine causa: nam res antequam existat est nihilum, & nullam habet efficientiam. 2. Dici nequit entia omnia fuisse successive procreata, nullamque esse primam causam improductam: nam jam demonstravimus progressum ejusmodi in causis producentibus supponi non posse, nec solvere difficultatem; quia tota illa series entium, cogitari potest, ut unum ens continuum sine principio & sine fine, nec tamen necessarium & independens, sed productum. Quod repugnat; cum nullum sit ens a quo producatur.

Minor propositio quoque certa est; nam

1. Vel ens illud quod est necessarium, est necessario finitum & imperfectum, vel est infinitum & perfectum. Seu, conversa propositione, vel finitum & imperfectum est necessarium, vel infinitum & perfectum est necessarium. Atqui finitum & imperfectum nullo modo est necessarium: bene vero quod infinitum & perfectum est. Nam quod multiplex est, quod varium est, quod in suo conceptu includit arbitrariam & contingentem determinationem, non potest dici necessarium: sed id solum quod simplex, quod unum, & in cujus conceptu nihil arbitrarium & contingens includitur. Atqui finitum & imperfectum est multiplex & varium, in ejus conceptu includitur contingens & arbitraria determinatio perfectionis, ut patet. Ens vero infinitum & perfectum unicum est, & simplex, & in ejus conceptu nulla perfectionis contingens & arbitraria determinatio includitur. Ergo finitum & imperfectum non est necessarium, sed potius infinitum & perfectum.

2. Ens necessarium continet in natura sua necessitatem existendi; seu ens necessarium illud est, de quo existentia necessaria nequit negari sine contradictione. Etenim si aliquid posset necessario existere præter id unum, quod in ipsa sua natura necessitatem existendi continet; sequeretur necessitatem illam existendi, quam res illa haberet, ex nihilo ortam esse, & in nihilo fundatam, eo quod neque ab ipsa rei natura, neque ab alia quavis causa oriri potuisset. Atqui solum ens infinitum & perfectum in sua natura necessitatem existendi continet: de solo illo ente cum contradictione negatur existentia necessaria. Quia in notione solius entis infiniti includitur existentia necessaria, non vero in notione cujuscunque entis finiti & imperfecti. Ergo ens necessarium est infinite perfectum.

3. Ens necessarium illud est, cujus existentia posita est in necessitate absoluta & antecedente insita in natura: nam juxta nostrum cogitandi modum ens necessarium, non est necessarium, quia existit ab æterno, seu consequenter ad æternam existentiam; sed existit ab æterno, quia necessarium est, seu quia necessitas quædam absoluta & quodammodo antecedens juxta nostrum concipiendi modum ratio formalis est existentiæ. Atqui ens cujus ratio existendi est absoluta & antecedens necessitas, non potest esse finitum & imperfectum. Nam illa necessitas absoluta & antecedens, quæ ratio

ratio existendi supponitur, nullum habet limitem, & exigit æqualiter omnem realitatem, omnes gradus perfectionis, totam entis amplitudinem. Non potes cogitare illam unquam in arbitrario aliquo gradu perfectionis aut aliqua contingenti realitatis limitatione consistere, quin statim, sublata necessitate illa absoluta, arbitrium supponas. Ergo ens necessarium, quod existit ex absoluta & antecedente necessitate, quam nulla res coercet, quam nullum arbitrium regit, est necessario infinitum & perfectum.

4. Si finitum & imperfectum esset necessarium, *ens* & *nihil* haberent quodammodo divisum imperium, & de nihilo plura possent prædicari, quam de ente. Cum finitum non contineret omnem realitatem possibilem, omnes metaphysicas rerum possibilium essentias; nihilum esset necessarium, esset æternum, esset immensum, esset infinitum, esset cognoscibile, immo contineret essentias rerum omnium possibilium, omnes earum rationes (*Vide argumentum decimum infra*). Atqui absurdum videtur asserere nihilum habere proprietates illas omnes entis, immensitatem, cognoscibilitatem, &c. Ergo infinitum & perfectum quod continet omnem realitatem, excluditque omne nihilum, est necessarium.

5. Ens necessarium unicum est, ut satis patet, & infra probabitur. Atqui ens unicum est necessario infinite perfectum. Nam habet omnes perfectiones possibiles & illæ perfectiones possibiles sunt infinitæ. Habet quidem omnes perfectiones possibiles: nam nulla est perfectio possibilis, nisi quatenus alicui subjecto inhærere potest. Atqui ens necessarium habet omnes perfectiones, quæ alicui subjecto possunt inhærere. Duo tantum sunt perfectionum subjecta, ens necessarium & ens contingens. Sed ens necessarium unicum habet manifesto omnes perfectiones proprias enti necessario: habet etiam omnes perfectiones entium contingentium, cum hæc non possint habere nisi illas quas ab ente necessario acceperunt. Ergo habet omnes perfectiones possibiles. Deinde illæ perfectiones possibiles numero sunt infinitæ: ille quippe numerus infinitus dicitur, qui absolutus est & cui nihil addi potest. Atqui perfectionum possibilium numero nihil addi potest. Quidquid enim extra perfectiones possibiles positum est, id non est in genere perfectionum. Ergo perfectiones possibiles sunt infinitæ. Ergo ens necessarium habet infinitas perfectiones; vel saltem tot & tantas habet, quot & quantæ haberi possunt; ita ut nihil ipso sit perfectius, nihil majus, nihil melius: sed tale ens Deus est. Ergo. Vide Clarkium, *de existentia & attributis Dei*, *& in resp. ad plures litteras ad calcem ejusdem operis*.

ARGUMENTUM NONUM.

Ab idea entis infiniti & perfecti.

PROPOSITIO.

Deum esse seu existere ens infinitum & perfectum probat ipsa idea infiniti & perfecti.

PROBATIO.

NAM certissime indita est mentibus nostris idea infiniti & perfecti. Sed hæc idea multiplicem suppeditat conficiendæ existentiæ Dei rationem.

Major propositio sic conficitur. Finitum ab infinito, imperfectum a perfecto cogitando distinguimus. Atqui nisi animis informata esset idea aliqua infiniti & perfecti, nec finitum ab infinito, nec imperfectum a perfecto distinguere possemus. Quæcunque enim cogitatione dividimus, aliquod nobis exploratum distinctionis fundamentum habere debent: quod aliud esse nequit præter interiorem sensum aut ideam. Quæ nec sensu nec idea percipiuntur, nec comparari nec dividi possunt, suntque respectu nostri quasi non existant. Ergo infinitum & perfectum, si comparentur cum finito & imperfecto, ab iisque cogitando dividantur necesse est, aut sensum ali-

quem

quem; aut ideam infiniti & perfecti habeamus (*a*).

Et profecto ridicule satis diceretur nos nullam habere illius rei notitiam, cujus existentiam multiplici argumento demonstramus, quam & Athei quoque admittere coguntur. Sed entis infiniti & perfecti existentiam superioribus argumentis jam confecimus, & etiam in hypothesi Atheorum, si tollatur mens infinita & perfectionibus absoluta, admittendum erit aliquid aliud infinitum, tum duratione, tum extensione: quod adeo verum est, ut omnes Athei arcem causæ suæ in *infinita materia* posuerint.

Neque movere quemquam debet quod infinitum comprehendere non possimus, aut informare talem notionem, quæ totam ejus infinitatem exhauriat. Nam habere ideam entis infiniti, est apprehendere ens, cujus naturæ sit nullos terminos habere, v. g. si immensitas esset adjuncta naturæ spatii: vel æternitas esset adjuncta naturæ temporis, cogitando spatium & tempus res infinitas apprehenderemus, licet ipsam earum infinitatem non complecteremur animo. Nullam rem etiam finitam comprehendimus, ita ut ejus noscamus essentiam, aut omnes proprietates & virtutes: num ergo dicendum est, nos rei nullius habere ideam (*Cartes. resp. ad obj. prim.*)?

Jam vero hæc idea entis infiniti & perfecti multiplici ratione confirmat existentiam Dei: 1. si consideres illius *originem* & *causam*: 2. si attendas ad ejus *constantiam*: 3. si ejusdem *naturam* perspicias.

1. Videtur quod a nulla alia causa quam ab ente infinite perfecto oriri potuerit.

Nam primo: prædicta idea non oritur directe & immediate a sensibus externis. Quia est longissime disjuncta ab omni qualitate sensili, seu coloris, seu soni, seu saporis, &c. ab omni etiam affectione qualitatem sensilem comitante, extensione, motu, figura, inertia, cohæsione, divisibilitate, &c. Quia etiam quidquid est realitatis seu perfectionis in aliqua re, id est formaliter vel eminenter in causa sua prima & adæquata, alias effectus existeret ex nihilo: unde sequitur realitatem objectivam ideæ entis perfecti, deberi formaliter contineri in ejus causa. Sed realitas objectiva ideæ entis perfecti, seu omnis perfectio non continetur in objectis sensibilibus.

Secundo: Eadem idea non est ab ipsa mente conficta per aggregationem omnium perfectionum rerum finitarum, earumque mentali amplificatione, uti contendunt Gassendus, Lockius, &c. quia 1. non mihi conscius sum, illam ideam a me aliquando confictam fuisse, conquisitis undique perfectionibus: congrua est menti meæ, domestica, nativa. Infirmior & imperfectior est mens humana, quam ut rei adeo præstantis notionem sibi informare queat: colligat omnes perfectionum ideas ex sensibus advenientes, omnes suarum perfectionum notiones adjungat, quantum poterit amplificet: illa idea factitia multum aberit ab *infiniti & perfecti* notione, quam gerimus in animis, & cum illa comparata vanitatis convincetur. Quia 2. mens non cudit suas ideas simplices, aut ex phantasmatis educit, uti credebant Aristotelici quidam, sed eas sibi informatas habet a natura, id est, sensu quodam interiori & nativo percipiuntur. At ista idea *infiniti* seu *perfecti* est simplicissima, omnisque compositionis expers. Nam infinitas seu perfectio est ens absolute, cui nulli limites adjunguntur. Perfecta seu infinita cognitio est cognitio absoluta, cui nulla ignorantia adjuncta est, seu cognitio sine ignorantia. Similiter infinita & perfecta

(*a*) Ideæ nomine, inquit Cartesius in resp. ad obj. tertias, intelligo cujuslibet cogitationis formam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscius sum, adeo ut nihil possim verbis exprimere intelligendo id quod dico, quin ex hoc ipso certum sit in me esse ideam ejus, quod verbis illis significatur.

cta potentia, nihil est nisi potentia absolute, in qua nihil cogitatur debilitatis & impotentiæ, seu virtus operandi sine adjuncta notione imbecillitatis. Hincque illam ideam infiniti seu perfecti nullo modo neque amplificare, neque imminuere, neque ullo modo discerpere possumus: sicut ideas omnes factitias mens ad arbitrium varia ratione componit: hæc plane immutabilis, & a mente independens videtur. Propterea etiam sicut circulus perfectus male diceretur defectus circuli perfecti, sed e contrario circulus imperfectus deficit a norma stabili circuli perfecti: sic quoque imperfectum omne & finitum, quod in sua notione semper includit arbitrariam limitationem, deficit a norma simplici, & neutiquam arbitraria, infiniti & perfecti. Ideæ hæ perfecti & infiniti non tantum simpliciores sunt, sed omnino clariores: quia ut quanto plus in re quaque lucis est, tanto illa clarior est & illustrior, sic quanto plus virtutis & veræ perfectionis natura quædam habet, tanto illa melius cognoscitur & facilius sentitur, vis ejus mentem potentius commovet: notioni limitationis, ignorantiæ, impotentiæ, &c. quid tenebricosum inest.

Addit Cartesius si omnino velis mentem activam esse & suas omnes ideas cudere, & inter alias hanc infiniti & perfecti; eadem ratione argumentari licebit ab origine tantæ activitatis, tam præclaræ facultatis, quæ valeat ipsius infiniti speciem sibi informare; quæ tanta facultas non minus requirit causam infinitam, quam idea ipsa infiniti.

Vide Cartesii med. tertiam. Vis omnis hujus argumenti, ut satis liquet, pendet ex natura & origine ideæ infiniti & perfecti: si sit accepta a sensibus, factitia, negativa, ut contendunt Gassendus & Lockius, evanescit omnis hujus rationis authoritas.

2. Confirmat Dei existentiam prædictæ ideæ *constantia*. Nam quarumcumque rerum notiones tam alte animis nostris infixæ sunt, ut nullo modo, quidquid moliamur, ejici vel evelli queant, illæ res existunt. Nam tunc existentia illarum rerum æque certa erit & eodem nitetur fundamento, ac quævis alia veritas: v. g. illa veritas, bis duo sunt quatuor, ideo certa est, quia illam idearum convenientiam nec mutare nec eliminare ex mente ullo modo licet. Atqui notio entis infiniti, æterni, immensi, potentissimi, omniscientis, ex harum idearum ordine est: quam nec mutare ullo modo, nec ex mente extirpare possumus, sed semper nobis invitis sese obtrudit. Finge nullam esse omnino substantiam, etiam facta hac absurda hypothesi obversabitur semper menti forma æternitatis, immensitatis; cogitabis infinitam multitudinem rerum possibilium & veritatum: hasque formas ad nihilum pertinere statuendum erit, dicendumque nihilum esse æternum & immensum, in nihilo contineri infinitas relationes & veritates, atque rerum infinitarum possibilitatem: quod videtur contradictionem involvere. Hoc argumento utitur Clarkius ad demonstrandam existentiam æternitatis successivæ, & spatii infiniti; sed multo melius confertur ad conficiendam existentiam entis infiniti & perfecti, sine quo æternitas & infinita extensio esse non possunt; at quod fortasse existere potest sine illa temporis successione & spatii diffusione.

3. Quidquid clare & distincte percipitur, illud est aut esse potest. Sed si ens perfectum esse potest, revera existit. Alias esset simul possibile & impossibile: possibile quidem ex hypothesi; impossibile quoque; tum quia, eo ipso quod non existeret, necesse esset non existere: tum etiam, quia non posset ulla ratione ad existentiam perduci; neque a se; quod res nulla sibi dare existentiam possit; neque ab alio, quia infinitum & perfectum non potest produci ab imperfecto & finito. Valet argumentum hoc, sive idea Dei supponatur positiva, vel negativa.

4. Quidquid in idea clara & distincta alicujus continetur, id de illa re affirmari potest, modo illa idea sit simplex & ab ipsa natura mentibus nostris insita, non conficta a mente. Atqui in idea

simplici & naturali entis perfecti includitur existentia necessaria, æterna & independens, utpote quæ non tantum perfectio est, sed fundamentum omnis perfectionis. Ergo.

Loquatur ipse pro se Cartesius magnus hujus argumenti, si non inventor, saltem deffensor (*Princ. Philoso. p.* 1. *c.* 14.). *Animus meus considerans inter diversas ideas, quas apud se habet, unam esse entis summe intelligentis, summe potentis, & summe perfecti, quæ omnium longe præcipua est, agnoscit in ipsa existentiam non possibilem & contingentem tantum, quemadmodum in ideis omnium aliarum rerum, quas distincte percipit, sed omnino necessariam & æternam. Atqui ex eo quod exempli gratia percipiat in idea trianguli necessario contineri, tres ejus angulos æquales esse duobus rectis, plane sibi persuadet triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis: ita ex eo solo quod percipiat existentiam necessariam & æternam in entis summe perfecti idea contineri, plane concludere debet, ens summe perfectum existere. Magisque hoc credet, si attendat nullius alterius rei idem apud se inveniri in qua eodem modo necessariam existentiam contineri animadvertat. Ex hoc enim intelliget, istam ideam entis summe perfecti non esse a se effictam, nec exhibere chimericam quamdam, sed veram & immutabilem naturam, quæque non potest non existere, cum necessaria existentia in ea contineatur* (*Vide med.* 5. *Cartesii*.).

Hoc argumentum cujusque judicio fine defensione relinquemus; dicemus tantum magnam illi accedere authoritatem ex suffragiis summorum in omni gente Philosophorum (*Jacquelot*, *Saurin*, *H. More*, *Gastrel*, *Lamy*, *Mallebranche*, *Stillingfleet*, *&c.*), & ex dissensione eorum, qui illud confutarunt, qui videntur potius suspicari vitium in argumento, quam perspectum illud habere. *Buddeus, inquit Fabricius, in Cartesii argumento reprehendit quod ideam infiniti & perfecti, pro re infinita & perfecta, quæ non nisi a Deo esse possit, venditet; & fallacia ambiguæ locutionis delusus ex eo, quod ens perfectissimum, siquidem existat, necessario existat, concluserit illud etiam existere. Joannes Norris negat primam ideam Dei esse, ut ens perfectissimum cogitemus, sed illud demum ideam Dei existentis consequi, veluti ideam trianguli consequitur, quod dico in illo latera junctim accepta sunt tertio majora. A Christiano Wolfio notatur Cartesium supponere rem ab Atheo vocatam in dubium, quod ens perfectissimum existere possit. Samueli Clarkio argumenti hujus obscuritas & defectus videtur latere in eo, quod ad ideam nominalem, sive definitionem entis per se existentis præcipue se extendit, neque sufficienti evidentia & consequentiarum valido satis nexu applicatur ad ideam realem istius entis actu extra non existentis*. Delect. argum. cap. 10. pag. 329. Adde etiam quod etsi viri perspicacissimi omnes ingenii nervos contenderint, ut hoc argumentum convincerent vanitatis, & varia exempla paralogismorum protulerint, quæ ejusdem generis esse asseruerunt, tamen successu caruerunt exempla illa: eorum vitia, & cum argumento hoc discrepantiam Cartesiani prodiderunt: v. g. hoc aliquibus probatum est. Quidquid in idea clara percipitur alicujus rei, id de illa re potest affirmari. Atqui in idea *horologii loquentis* includitur existentia actualis. Ergo. Sed illa idea *horologii loquentis* factitia est, non simplex, ut est idea perfecti, & ideo tantum concluditur de illo existentia actualis, quia jam in præmissis conjuncta fuit cum horologio idea neutiquam cognata & necessario cum eo conjuncta, vid. actualis loquelæ. Alii hoc exemplo utuntur, quicquid in idea clara, &c. Atqui in idea *æternæ materiæ* includitur existentia necessaria. Ergo existit necessario materia æterna. Sed in hoc argumento idem vitium est. Idea *æternæ materiæ* factitia est & falsum potius judicium, quam idea simplex & nobis connaturalis. Et profecto manifestum est exemplum nullum proferri posse: quia, ut observavit Cartesius ad essentiam nullius rei imperfectæ pertinet ne-

ces-

ceſſitas exiſtendi, ſed è contrario dependentia & arbitraria limitatio.

ARGUMENTUM DECIMUM.

Ex ſcientiæ immutabili natura, ſeu Æternis rerum ideis & neceſſariis earum rationibus.

PROPOSITIO.

Deum eſſe, id eſt, mentem infinitam, æternam, neceſſariam, univerſalem, immutabilem, probant immutabiles rerum eſſentiæ & rationes, in quibus poſita eſt omnis veritas & ſcientia.

PROBATIO.

NAM intelligitur a nobis veritas ut res infinita, æterna, univerſalis, neceſſaria & immutabilis, quæ poſita ſit in immutabilibus & neceſſariis rerum rationibus. Atqui illa immutabilis, infinita & neceſſaria veritas, quæ a nobis intelligitur, eſt modus mentis infinitæ, æternæ, univerſalis, neceſſariæ & immutabilis.

Major propoſitio per ſe evidens eſt: vixque poteſt ex argumentatione accipere authoritatem. Concipitur quidem veritas, ut *infinita*: idque vel ſola Geometria, quæ circa figuras & abſtractas extenſionis modificationes occupatur, ſatis declarat: infinitæ quippe figurarum ſunt ſpecies, & infinitæ figuræ cujuslibet proprietates, & figurarum inter ſe rationes. Eſt veritas res *æterna*, quæ ſemper fuit, eritque ſemper. Eſt ne aliquis, qui ſibi perſuadeat, ante Euclidem, Archimedem, cæteroſque Geometras propoſitiones eas, quarum veritatem detexerunt, veras non fuiſſe, aut fuiſſe ad veritatem & falſitatem indifferentes? Erant ergo veræ antequam detegerentur; nec, quantumvis connitamur animo, ullum poteſt tempus concipi, quo figuræ geometricæ, triangulum v. g. determinatam formam non haberet, aut non eſſet relatio certa & determineta inter latera trianguli; quæ cum omni tempore extiterit & demonſtrari potuerit; non conficta, ſed inventa a Geometris fuit. Eſt veritas res *univerſalis* rerum enim eſſentiæ & earum rationes, etiamſi tot in mentibus exiſtant, haud tamen idcirco diſcerpuntur, amplificantur, aut ullo modo commutantur; verum in omnibus uniusmodi, ejuſdemque generis ſunt. Quemadmodum unum eundemque vultum infinita referunt ſpecula; unius ſolis imaginem innumerabiles ſimul oculi conſpiciunt; unam eandemque vocem millie hauriunt aures: ita infinita mentium multitudo, unam eandemque audit vocem ſempiterni verbi; eaſdem rerum immutabiles formas videt; eadem æterna luce colluſtratur, cujus radii in mundum ſpiritalem univerſum, non ſecus ac ſolares in totum orbem corporeum diffunduntur. Eſt denique veritas res *neceſſaria & immutabilis*, id eſt, perpetuo & coſtanter eadem; quæ ſicut nunquam eſſe cœpit, ita nunquam eſſe, aut eodem eſſe modo, deſinet. Fac omnes pereant Geometræ, non ideo Geometricæ rationes peribunt. Univerſus hic corporeus mundus evaneſcat, & omnes quæ in eo ſunt intelligentiæ tollantur, impoſſibile tamen erit, rationes quæ nunc ab illis intelligentiis clare & evidenter percipiuntur, ſalvæ & incolumes non permaneant. Verum ſemper erit, tres angulos trianguli æquales eſſe duobus angulis rectis; in circulo lineam ordinatam perpendiculariter ad diametrum eſſe mediam proportionalem inter duas partes abſciſſas diametri. Nullum igitur dubium eſt, quin inviti concipiamus veritatem, ut quid æternum, infinitum, univerſale, neceſſarium & immutabile.

Deinde in veritate, in rationibus his æternis & immutabilibus poſita eſt omnis ars & ſapientia: & arte ac ſapientia omnia conſtituta ſunt. Nam nullum ordinem, nullum artificium ſine illis concipimus; multoque minus intelligimus quomodo ipſa ars & ſapientia ex re bruta oriri potuerit: ſunt ergo ipſa per ſe & rerum omnium principia. Nihilne ergo illud erit, quo cuncta conſtant atque fundantur? Quod viri ætatum omnium ſapientiſſimi tanto ſtudio, tot curis & laboribus detegere conati ſunt, rati nihil veritate & ſapientia illuſtrius, &

in ejus participatione vitæ hujus felicitatem positam esse?

Præterea certum est nos res nullas attingere in seipsis, sed tantum interventu alicujus ideæ: objecta sensilia percipimus per ideas qualitatum sensilium, & alias qualitates sensiles comitantes; & quia cogimur ab ipsa natura ideas has referre ad res externas, tanquam earum imagines, ideo res externas existere certo judicamus. At æque reales sunt perceptiones intellectuales rerum & earum relationum, easdemque natura cogente credimus *immutabiles* & *necessarias*, & a nostra perceptione vel existentia independentes. Vel, ut verbis utar authoris recentioris nobis in hac parte contrarii, *illæ res sensiles haberi debent* reales *& existentes*, *de quibus* sensus externi *in omni tempore idem testimonium tulerunt: & illæ res* certæ *sunt*, *quæ se se offerunt semper eodem modo*. Ergo & illæ res intellectuales debent haberi *reales* & *existentes*, de quibus *sensus interni & intellectuales* idem in omni tempore testimonium ferunt: & illæ res intellectuales *certæ* sunt, quæ sub eadem forma semper & omnibus sese offerunt: cur fidem habebimus sensui externo, non habebimus interno & intellectui? Cur major illius, quam hujus auhoritas? Cur sensitivam certitudinem admittemus, intellectualem & metaphysicam aspernabimur?

Minor propositio facile probatur, scil. veritatem necessariam, immutabilem & æternam esse *modum* mentis necessariæ, immutabilis & æternæ: nam quidquid reale & positivum est, vel est substantia, vel substantiæ modus: ergo infinita, æterna, immutabilis & necessaria veritas, vel est substantia aut alicujus substantiæ modus. Substantia autem illa quæcumque sit, æterna, infinita, necessaria & immutabilis est, ejusdem nempe generis, cujus est veritas, quæ in ipsa fundatur: substantiam certe finitam, recentem, contingentem, particularem, mutabilem, fundamentum esse modi infiniti, æterni, universalis, necessarii & immutabilis repugnat. Neque enim ullo modo potest in temporaneo fundari quod æternum est, in finito quod infinitum est, in particulari quod universale est, in contingenti quod necessarium est, in mutabili quod immutabile est. Deinde si prædictæ veritates nihil aliud essent quam substantiæ finitæ, contingentes, mutabiles aut harum substantiarum modi; supposita, quod fieri potest, earum destructione, ipsas quoque veritates perire necesse esset, sicut extincta luce pereunt colores, vel destructo corpore interit motus. Sed absurdum est veritatem æternam, immutabilem & necessariam perire. Ergo veritas hæc supponit mentem infinitam, & ejus existentiam demonstrat. Tandem omnes res finitæ & earum modi in suo conceptu dicunt aliquam relationem ad tempus & causam, pleræque etiam ad locum. Sed essentiæ rerum & earum rationes nullam talem dicunt relationem, quia revera, nec in loco existunt, nec tempore conditæ sunt, nec ullo modo creatæ, sed æternæ & necessariæ.

His argumentis usi sunt clarissimi Philosophi. Platonis (*In Protagoram*.) mentem sic expressit Cicero. *Essentias Plato negat gigni*, *sed semper esse*, *& ratione & intelligentia contineri*. (*In Metaphysicis*.) Aristoteles, qui etsi irriserit ideas Platonis, hoc idem docuit: *formam seu speciem rei nemo facit*, *nec ea generatur ullo modo*. Alibi easdem formas vocat *naturam immutabilem & immobilem*. Idem affirmat Cicero multis in locis, præsertim in libris de legibus (*Vide infra*, *ubi de immutabili natura legis naturalis*). Quos secutus Sanctus Augustinus præclare scribit. *Quapropter nullo modo negaveris esse incommutabilem veritatem*, *hæc omnia*, *quæ incommutabiliter vera sunt*, *continentem*, *quam non possis dicere tuam*, *vel meam*, *vel cujusvis hominis*. (*L. de libero arbitrio*). *Sed omnibus incommutabilia vera cernentibus*, *tanquam miris modis secretum & publicum lumen præsto esse ac se præbere communiter*. *Omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intelligentibus præsto est*, *ad ullius eorum proprie*

na-

naturam pertinere quis dixerit? (*a*) Huic etiam argumento subscribere debent ii omnes, qui ex ideis spatii & temporis infiniti concludunt eorumdem existentiam.

Ex alia parte adversus doctrinam hanc disputarunt olim, & nostris temporibus quamplurimi.

1. *Protagoras Abderites*, uti constat ex Platonis *theæteto*, asserebat nullam esse *immobilem essentiam*, nullam *absolutam & universalem veritatem*, sed tantum *relativam*; omnem *scientiam* non esse *comprehensionem naturæ immutabilis*, sed esse *sensum* ex motu corporum exortum: animam ipsissimos sensus esse dicebat; *& consequenter uniuscujusque hominis sensum aut opinionem unicam esse regulam omnis veritatis...: Quæcumque alicui videntur esse, ea esse illi cui videntur... Omnem visionem seu opinionem veram esse*. Ex quibus etiam sic concludebat: *Quæcumque civitas quædam sancit pro honestis vel inhonestis, pro justis & injustis, pro sanctis & profanis habenda esse, ea civitati illi reapse talia esse: nec in ejusmodi rebus ullus privatus alio privato, aut civitas civitate sapientior est*. Hæc Protagoræ sententia duobus nitebatur fundamentis. (*Vide Cudw. de ætern. justi & injusti not. l. 2.*), nempe doctrina Heracliti, qui nihil stare, sed omnia instar fluminis perpetuo fluere affirmabat, & atomica philosophia, quæ nihil nisi materiam & motum admittebat.

2. Eandem cum *Protagora* opinionem tenere deberent omnes *Democriti* & *Epicuri* discipuli; neque minus vani sunt, dum *scientiam* seu *comprehensionem veri immutabilis* ex fluxu atomorum temere vagantium educunt; quam cum ex earumdem motu ortam fingunt libertatem. Attamen non eo usque processerunt, sed contra in sensu judicium veritatis posuerunt. Dicebant res triplici ratione percipi *sensu*, *mente & affectione*; sed mentem & affectionem ex sensu derivabant: mentem quidem, quod omnis idea, seu species mentalis, quam vocabant *anticipationem* vel *prænotionem*, gigneretur vel *incursione*, cum res sensilis directe incidit in sensus; vel *proportione*, cum res accepta per sensum amplificatur vel minuitur; vel *similitudine*, cum ad instar rei, quæ fuerit sensu percepta, similem aliam imaginamur; vel *compositione* denique, cum duarum aut plurium rerum distinctas notiones in unam compingimus. Adeoque juxta ipsos notiones mentis abstractæ & universales, quas Plato & Aristoteles dicebant per se intelligibiles & menti domesticas ac nativas, ex rebus sensilibus arripiuntur: scilicet, mens visis pluribus singularibus, eorum variis discriminibus quasi sepositis, anticipationem ejus, quod comune est, effingit. Hanc philosophandi rationem nostris temporibus secuti sunt Gassendus, Lockius & alii.

3. Hobbius quoque philosophiæ Epicuri sese addixit, sed suo more quædam immutavit, vel enucleatius exposuit. Docet *originem omnium cogitationum esse sensum: nullam esse animi conceptionem, quæ non fuerit ante genita in aliquo sensuum, vel tota simul, vel per partes: causam autem sensionis esse externum corpus, sive objectum quod premit uniuscujusque organum, & premendo continuum efficit motum introrsum ad cerebrum, & inde ad cor; unde nascitur cordis resistentia & contrapressio, sive conatus cordis liberantis se a pressione per motum tendentem extrorsum; qui motus propterea apparet tanquam aliquid externum. Atque apparitio hæc sive phantasma, est id quod vocamus* sensionem .... *Postquam enim objectum remotum est, vel oculus clausus, imaginem tamen rei visæ retinemus, quanquam aliquanto obscuriorem: atque hæc est imago, a qua facultatem appellamus* imaginationem. *Quæ nihil aliud est quam sensio deficiens sive phantasma dilutum & evanidum; & est hominibus cum animalibus cæteris fere omnibus communis, sive vigilant, sive somniant: ... Eadem est res* imaginatio *&* me-

(*a*) Vide de hoc argumento Cudwoorth syst. intellect. & l. de æternis justi & injusti mensuris. Mailebranche entret. mètaphys. Œuvres polemiques t. 1.

memoria, *sed propter diversas considerationes diversis nominibus significata. Memoria multarum rerum dicitur* experientia ..... *Imaginationes dormientium sunt* somnia ... *Difficile est*, inquit, *& multis videtur impossibile inter sensum & somnium distinguere accurate. Ego quoties considero, quod in somniis, neque sæpe, neque constanter, eadem objecta, loca, personas actionesque imaginor, quæ vigilans; neque tam longam seriem cogitationum cohærentium reminiscor somnians, quam alias; & quoniam vigilans absurditatem somniorum meorum sæpe video, somnians autem cogitationum mearum vigilantis absurditates non video, satis persuasus sum vigilantem me scire quod non somniem, quanquam somnians videor mihi vigilare.* ... *Imaginatio, quæ in homine aliove animali, a sermone vel aliis signis voluntariis nascitur, appellatur* intellectus ..... (*ibid. c.* 3.) *Series imaginationum est* discursus; *ad quem revocatur, facultas inveniendi seu* sagacitas, reminiscentia, prudentia .... (*ibid. c.* 6.) Ratio, *nihil aliud est præter computationem, sive additionem & subtractionem nominum generalium, quæ ad notationem sive significationem cogitationum nostrarum recipiuntur* ..... *Apparet hinc rationem non esse, sicut sensus & memoria, nobiscum natam; neque sola, ut prudentia, experientia acquisitam, sed industria, scil. apta imprimis impositione nominum; deinde methodo recta procedendo a nominibus ad propositiones, & a propositionibus ad syllogismos, donec veniatur ad cognitionem consequentiarum nominum omnium quæ ad scientiam pertinent. Cognitionum duæ sunt species, altera facti, & est cognitio propria testium, cujus conscriptio est* historia. *Altera est consequentiarum, vocaturque* scientia, *conscriptio autem ejus appellari solet* Philosophia.

Doctrinam hanc brevius expositam habemus in objectionibus ad medit. Cartesii, his verbis. *Quid dicemus, si forte ratiocinatio nihil aliud sit quam copulatio & concatenatio nominum sive appellationum per verbum est. Unde colligimus* ratione *nihil* omnino *de* natura *rerum, sed de earum* appellationibus, *nimirum utrum copulemus rerum nomina secundum pacta, vel non. Si hoc ita sit, sicut esse potest, ratiocinatio dependebit a nominibus, nomina ab imaginatione, & imaginatio ab organorum corporeorum motu. Et sic mens nihil aliud erit, præterquam motus in partibus quibusdam corporis organici.*

4. Cl. author historiæ naturalis nuper vulgatæ superiorem doctrinam suam in multis partibus fecit. Docet omnem *veram & realem cognitionem* esse *sensum*, omnem *scientiam* esse *experientiam*; ideas abstractas principia cognitionis esse non posse, neque in talibus fundamentis quidquam poni præter templum errori sacrum (*a*). Hinc quoque alibi scribit *veritatem* esse rem vagam, quæ nullam habeat definitionem: veritates ipsas mathematicas, quæ primi ordinis censentur, esse positas in definitionibus seu suppositionibus *arbitrariis* & *relativis*: & ideo ipsas veritates, quæ ex talibus principiis deducun-

(a) *Est il bien difficile de voir que nos idées* ne viennent que par les sens, *que les choses que nous regardons comme* réelles *& comme* existentes *sont celles* dont nos sens nous ont toujours rendu le même témoignage dans toutes les occasions, *que celles que nous prenons pour certaines, sont celles qui arrivent & qui se présentent toujours de la même façon; que cette façon dont elles se présentent ne dépend pas de nous, non plus que la forme sous laquelle elles se présentent: que par conséquent nos idées, bien loin de pouvoir être les causes des choses, n'en sont que les* effets *& des* effets très-particuliers, *des effets d'autant moins semblables à la chose particuliere, que nous les généralisons davantage; qu'enfin nos* abstractions mentales (*toutes les perceptions qui ne sont pas sensations*) *ne sont que des* êtres négatifs *qui n'existent meme intellectuellement, que par le retranchement que nous faisons des qualités sensibles aux etres réels. Des lors ne voit on pas que les abstractions ne peuvent*

cuntur, esse quoque *arbitrarias* & *relativas* (*b*).

5. Denique adversus expositam supra doctrinam disseruit Cartesius in meditationibus suis metaphysicis, & in responsionibus ad objectiones adversus easdem meditationes. Non quidem cum Protagora sustulit omnem absolutam veritatem aut essentias rerum immutabiles; neque cum atomicis Philosophis & recentioribus metaphysicis sensum principium omnis scientiæ fecit, sed essentias ex Dei arbitrio dependere asseruit. *Repugnat*, inquit, *Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt, aut unquam fient; quia nullum bonum vel verum, nullumve credendum, vel faciendum, vel omittendum fingi potest, cujus idea in intellectu divino prius fuerit; quam ejus voluntas se determinarit ad efficiendum ut id tale esset: neque hic loquor de prioritate temporis, sed ne quidem prius fuit ordine, vel natura, vel ratione ratiocinata ut vocant. Exempli causa, non voluit tres angulos trianguli, æquales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse: sed contra, quia voluit tres angulos trianguli necessario æquales esse duobus rectis, idcirco jam hoc verum, & aliter fieri non potest.* Et alibi scribit (*In resp. ad obj. Gassend. adv. med. sam.*): *Quemadmodum Poetæ fingunt a Jove quidem fata fuisse condita, sed postquam condita fuere ipsum se iis servandis obstrinxisse; ita ego non puto essentias rerum, mathematicasque ullas veritates, quæ de ipsis cognosci possunt, esse independentes a Deo; sed puto nihilominus, quia Deus sic voluit, quia sic disposuit, ipsas esse immutabiles & æternas. Cum his igitur*,

Objicies 1. Omnis *intelligentia* nihil aliud est quam *sensatio* a rebus corporeis excitata. Atqui per *sensationem* non percipiuntur nisi res *singulares*, *mutabiles* & *temporariæ*.

Respondeo nego majorem, idque ob multiplicem causam.

1. Quia ex prædicto principio multa sequuntur absurdissima: videlicet, omnem opinionem esse veram, cum omnis sensus sit verus sensus: sequitur opiniones contradictorias posse esse simul veras, opinionem verbi gratia *Protagoræ*; & opinionem contrariam *Platonis*; nullumque esse commune criterium veritatis, sed privatum in uniuscujusque sensu. Sequitur nullum esse discrimen inter conceptiones vigilantis, & phantasmata somniantis, vel deliria febricitantium. Hæc con-

vent jamais devenir des principes, *ni d'* *existence*, *ni de* connoissances rèelles, *qu' au contraire ces connoissances ne peuvent venir que des* resultats de nos sensations *comparès, ordonnès & suivis, que ces resultats sont ce qu' on appelle* l' expèrience, *source* unique de toute science rèelle, *que l' emploi de tout autre principe est un abus, & que tout èdifice bâti sur des idees abstraites, est un* temple elevè à l' erreur? *t. 2. ch. 5. p. 77.*

(a) *Le mot de* vèritè *ne fait naître qu' une idèe vague; il n' a jamais eu de* dèfinition prècise, *& la dèfinition prise ellemême dans un sens gènèral & absolu, n'est qu' une abstraction qui n' existe qu' en vertu d' une* supposition..... *Il y a plusieurs espèces de vèritès, & on a coutume de mettre dans le premier ordre les vèritès mathematiques, ce ne sont cependant que de vèritès de* dèfinition; *ces vèritès portent sur des suppositions simples, mais abstraites, & toutes les vèritès en ce genre ne sont que des consequences composèes, mais toujours abstraites, de ces dèfinitions, nous* avons faitles *suppositions, nous les avons* combinèes *de toutes les façons, ce corps de combinaisons est la science mathèmatique, il n' y a donc rien dans cette science* que ce que nous y avons mis, *& les vèritè qu' on en tire ne peuvent ètre que des expressions differentes, sous lesquelles se prèsentent les* suppositions *que nous avons employèes; ainsi les vèritès mathèmatiques ne sont que les rèpètitions exactes des* dèfinitions *ou* suppositions.... *Et comme les* dèfinitions *sont les seuls principes sur lesquels tout est ètabli, & qu' elles sont* arbitraires *&* relatives, *toutes les consequences qu' on en peut tirer sont ègalement* arbitraires *&* relatives. *t. 1. p. 53. in 4.*

consectaria a *Protagora* & *Heraclito* admissa olim sunt, ideoque afferebant falsum illud esse principium: *impossibile est aliquid simul esse & non esse*: quod opinio posset esse simul vera & falsa.

2. Experimur inesse animis nostris nobiliorem facultatem *concipiendi*, *judicandi & ratiocinandi*, quæ de sensibus ipsis fert sententiam, fallacias & errores eorum aperit; docetque nihil in rebus externis esse simile qualitatibus sensibilibus, coloribus, sonis, calori, &c. quæ in nobis ex eorum præsentia excitantur. Hoc etiam confiteri cogebatur Democritus Atheisticæ sectæ princeps unus: *Democritus*, inquit Sextus Empiricus, *in regulis duas dicit esse cognitiones; alteram quidem per sensus, alteram vero per cogitationem. Ex quibus cognitioni quidem per cogitationem tribuit judicium veritatis, ac genuinam, & fide dignam esse testatur: cognitionem autem per sensus nominat tenebricosam, eripitque ei hoc quod in vero discernendo errare nequeat*.

3. Si *intelligentia* esset *sensatio*, nullæ essent in mente notiones, nisi rerum corporearum. Attamen innumeræ insunt animis notiones, quæ ad corpora nullo modo, aut ad ea sola non pertinent: tales sunt omnes conceptiones *perfectionum spiritalium*, sapientiæ, justitiæ, bonitatis, veritatis & falsitatis, conscientiæ, memoriæ, judicii. Hæc nec visu, nec tactu, nec olfactu intelliguntur; tantumque abest, ut a corporibus adveniant, ut nullo modo illas notiones cum materia conjungere possimus. Tales sunt conceptiones *respectuum* seu *relationum*, quæ existunt inter res corporeas & ex quibus exsurgit id quod *pulchrum* vel *deforme* nominamus: perceptio convenientiæ plurium rerum, vel inter se, vel cum fine aliquo, longissime distat a sensatione ab ipsis rebus excitata. Ex. gr. non sensu externo percipitur pulchritudo vel convenientia partium Æneidos, neque systematis Copernicani, neque magni ædificii, aut cujuscunque compositi, in quo spectanda convenientia partium inter se, & omnium cum intento fine. Tales sunt ideæ *numerorum*; quæ sine corporum ideis perfectissimæ esse possunt: *durationis*, quæ comitatur omnes operationes mentis: *extensionis*, & *spatii*, & *motus*, & *quietis*, quæ dicuntur *affectiones sensationem comitantes*. Tales denique sunt *ideæ simplices figurarum perfectarum*, circuli, trianguli, quadrati, &c. quarum nulla sunt corporea exemplaria; sed cum menti nativæ & domesticæ sint, eas ad res corporeas applicat: vel accidit nobis res corporeas contemplantibus, quod homini qui pictam amici absentis imaginem contemplatur. In illius hominis animo binæ sunt eodem tempore imagines & diversæ formæ; quarum altera impressa est a tabula, altera jam ante in mente extitit; hæcque norma & exemplar est ad quod illam expendit, & variorum vitiorum convincit. Ita in mente Geometræ res corporeæ non generant illas simplices & perfectas notiones, sed excitant solummodo; quæ excitatæ fiunt mensuræ imaginum corporearum (*Vide Cartesii med. 5. initio*). Atque, ut observat Aristoteles *analyt. post. l. 1. p. 226.* earum rationes quamvis per sensum aliquo modo perciperemus, tamen illas per sensum non *sciremus*, demonstrationem requireremus: quia *scire* est id, quod universale est, cognoscere.

4. Aliud multiplex discrimen inter *sensum* & *intelligentiam* notavit Plato. 1. *Sensus* est pura passio in organis sensuum per motum externum facta, cujus occasione alia succedit passio spiritalis in mente, aut est quædam cum corpore compassio; qua de iis rebus quæ pertinent ad statum corporis mens conscia fit: Caret omni vi activa qua possit ejus, quod recipit, notitiam comparare. *Intelligere* vero est interiori quadam mentis vi, eademque insita, nativa & domestica rei cujusdam notitiam consequi. 2. *Sensus* est mera perceptio formarum quarumdam corporearum, humilis & depressus jacet in rebus sensilibus, nec sese erigere potest atque ad notionem abstractam & universalem ascendere. *Intelligere* est rem aliquam reapse com-

comprehendere ope rationum quarumdam abstractarum & universalium, *per quas, ut Boethius loquitur, mens quasi desuper spectans, concepta forma quæ subsunt dijudicat*. 38. *Sensus* obscura est & parum accurata perceptio extremitatum naturæ cujusdam corporeæ, & accidentium ejus, interiorem statum, indolem & rationes sensus non assequitur: hincque fieri potest ut res quædam eadem maneat, & nihilo tamen minus respectu omnium sensuum mutetur, sub aliis nempe qualitatibus sensibilibus appareat, alio colore, odore, calore, &c. Solus *intellectus* veram rerum naturam, & immutabiles rationes perspicit atque comprehendit. 4. *Sensus* qui extra corpus perspiciunt, & rem objectam contemplantur, distant intervallo ab ea re, quam contemplantur. *Intellectus* autem rem quam novit & intelligit, interius & sine ullo intervallo expendit; ac quod vocabuli intellectus origo indicat, in interioribus, legit, intra se collecta ipsam rem complectitur. 5. *Sensus* corpora singularia externa, ope rei alicujus ab illis fluentis & quodammodo a posteriori percipit: omne enim quod in nobis per res sensibus subjectas extrinsecus producitur, nihil est, quam motus in organis sensuum. At *intelligere* non est percipere per impulsum organorum, sed per excitationem interiorum animi facultatum. 6. *Sensus* non est perceptio rei extra mentem positæ, sed passionis solummodo animæ: corpus cum acu pungitur, aut gladio vulneratur, nemo sibi persuaserit dolores exinde natos veras esse & absolutas qualitates in acu seu gladio ante sensum nostrum existentes: & idem verum est de omnibus aliis sensationibus. Immo vero adsunt hæ sensationes, ubi nulla est objectiva realitas; quod contingit iis, qui post abscissam manum sentiunt dolorem quasi in digitis, qui jam non sunt sui corporis. Quod accidit etiam dormientibus, furiosis, febricitantibus, quibus phantasmata obversantur. Et quamvis in vigilantibus phantasmata minus vivida sint, sensationes validiores; accidit tamen etiam in vigilantibus, seu metu, seu alia passione graviter commotis, ut sensationes phantasmatibus vincantur; & propterea multa cernant, vel audiant, quæ extra mentem non existunt. *Intellectus* vero ipsas rerum naturas attingit; id patet ex ipso judicio quod de sensibus fert, nam ea res, quæ in nobis pronuntiat, notiones rerum, quas sensus nobis informant, non absolute veras esse; phantasmatibus non semper credendum; non potest non sensu & imaginatione præstantior esse. Bene ergo scripsit Cartesius: *ipsamet corpora non proprie a sensibus, vel ab imaginandi facultate, sed solo intellectu percipi; nec ex eo percipi quod tangantur aut videantur, sed tantum ex eo quod intelligantur*. 7. *Sensus* ubi nimio splendore rerum percellitur; tunc obtunditur, frangitur. *Intelligentia* per veritates maxime splendidas haud debilitatur, sed è contrario roboratur. Quod discrimen ex eo nascitur; quod sensus nihil sit quam passio mediantibus organis corporis excitata, intellectus sine organis fortasse exerceat sese.

Objicies 2. *Abstractæ* rerum *ideæ*, quales sunt omnes perceptiones præter sensationes rerum particularium in sensibus externis genitas sunt *figmenta* animi humani. Scilicet inest homini facultas ideas complexas ex sensibus advenientes varia ratione dividendi, & unam qualitatem, cum aliis multis in ipsis rebus conjunctam, separatim considerandi, abstrahendique: hincque natæ sunt omnes prædictæ ideæ abstractæ, quæ eo magis dissimiles sunt rerum particularium, quo subtilior est abstractio (*Locke de intell. hum. l. 3. c. 3. 67. Essai sur l'origine des connoissances humaines sect. 5.*). Immo vero fortasse nihil aliud sunt quam *voces generales*, quibus nulla respondet idea, sed significatur multitudo rerum particularium (*Hobbes supra. Berkeley de princ. cog. hum.*) Jam vero hæc animi figmenta *arbitraria* sunt & *relativa*, utpote meræ *suppositiones* vel *appellationes* ex arbitrio pendentes, nullatenus vero naturis rerum congruentes (*Hist. nat. supra*). Ergo ad nullam *realem cognitionem* nos ducere possunt.

Respondeo omnes hujus argumenti partes non minus a veritate quam a communi omnium ferme veterum & recentiorum opinione abhorrere.

Nam 1. falsum est omnes nostras ideas, quæ non sunt rerum particularium per sensus externos, animi esse *figmenta*. Quia ex modo dictis manifestum est habere nos sensum interiorem, vim intelligendi sensu externo præstantiorem, cujus facultatis objecta naturalia sunt virtutes animi spiritales, ideæ incorporeæ & relationes omnes; cujusque ope spirituum æque perfecta est notitia ac corporum: latet intima utriusque natura, notæ sunt affectiones. Illud ergo axioma, *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*, verum esse poterit hoc tantum sensu, quod in intellectu nihil sit, cujus sensus occasio non extiterit. Neque hoc negat Cl. Lockius, at ejus quidam discipuli nobis vendunt doctrinam in objectione contentam, ut clavem novam omnis cognitionis humanæ, cujus ope omnem ex scientiis obscuritatem & errorem liceat depellere, & veritatis interiora adyta penetrare: miseranturque omnium hactenus Philosophorum sortem, qui sine hoc filo scientiarum labyrinthos ingressi sunt. Sed, quæso, hujus tam præclari inventi qui hactenus fructus extitere? Aut in quo tantum differt (differt sane quoad verba) ab obsoleta Peripateticorum doctrina, quod *conceptus animi* & rerum *rationes* ex *phantasmatis* ab *intellectu agente* educantur? Objicerent eis Platonici quod olim Peripateticis, quod intellectui tantum facultatis & vigoris concedant, quantam ipsi ei tribuerent, tantumque interfit inter utrosque quantum inter eum qui diceret, soli esse potentiam lucem ex nocte seu caliginoso aere educendi, aliumque qui solem contenderet pollere facultate lucem ex ipso corpore suo protrudendi. Utrique hi parem soli largiuntur vim & potestatem: verum hic apte magis & proprie enuntiat, quod ille minus accurate ac proprie tradit (*Cudw. de æt. just. not. l.* 4. *c.* 1.).

Quod vero spectat illos, qui abstractas & generales rerum notiones & rationes nihil esse statuunt, quam mera vocabula, quibus nulla subjecta potestas est, judicat Cudworthus (*Ibid.*) eos indignos esse cum quibus aliquis congrediatur, cujus sequimur judicium, quamvis impense veneremur unum, cui hæc doctrina placuit.

2. Parum refert quam habeant originem, seu existendi occasionem prædictæ ideæ. Quia argumentum nostrum petitur ex earum natura. Docuit Plato illas ideas ab ipsa mente naturali energia gigni: quæ sententia nescio quare ab omnibus jam deserta & derelicta sit. Docuit Mallebranchius illas perceptiones esse passiones ab immutabili & universali natura: quæ sententia, quamvis habeat aliquam obscuritatem, tamen æque intelligitur, ac illa passio, quam defendunt Athei, ex rebus corporeis. Immo vero cum major cognatio sit inter mentem & Deum, melius mihi videor intelligere, quomodo ab ipsa Dei natura afficiar, & de ejus modis certior fiam; quam quomodo a natura tangar corporea, & de ejus admonear affectionibus & proprietatibus. Quidam tandem recentiores, non sine supercilio & optimorum Philosophorum aspernatione, pronuntiant ideas omnes abstractas ortas esse primum in sensibus, & per mentis operationem a rebus particularibus esse separatas. Esto. Hæc verior sit sententia. Num ideæ abstractæ, & earum rationes erunt idcirco *figmenta relativa & arbitraria*? Nequaquam. Etiam in hac hypothesi ideæ simplices circuli & trianguli tam erunt passiones mentis, occasione sensationum exortæ, quam sensationes coloris & soni: & earum quoque rationes, ubi mens illas figuras contemplabitur, erunt quoque passiones ineluctabiles: non potest Mathematicus non sentire tres angulos in triangulo esse æquales duobus rectis. Quomodo ergo *figmenta* sunt? Deinde dicimus sensationem quamvis caloris, vel saporis, &c. esse *relativam*, quia ex mea sensatione colligere non possum, quid alia entia rationalia ad præsentiam talis objecti sentiant;

tiant; habet cum me solo relationem; & ex ea intelligo, quomodo se habeat objectum relative ad corpus meum. Sed ex abstractis ideis colligo quid omnia entia rationalia intelligunt; ex. gr. novi omnes intelligere tres angulos in triangulo esse æquales duobus rectis. Per hanc *intelligentiam communem* est inter omnes rationales societas & omnium ratio, lexque una communis: per *sensationem* vero, quia *particularis* & *relativa* est, nulla talis constituitur societas, & consonantia animorum. Sic etiam variæ ideæ factitiæ *arbitrariæ* sunt; Hippocentaurum fingere possum, ipsi alas addere, aliasque partes novas; deinde formam fictam discerpere, & alia ratione componere: estne idea circuli ejusdem generis? Possumne illam amplificare, discerpere, aut ulla ratione mutare? Nonne circuli ratio independens est a mente mea & in se necessaria: & propter hanc causam eadem & immutabilis in omnium mentibus? Ubi duæ ideæ componuntur, an cernitur *quævis* habitudo vel relatio, an non *una sola* quæ utriusque naturis convenit; & quam intelligimus Deum ipsum immutare non posse? Quisquamne intelligere potest; quid sit *veritas arbitraria*, *scientia arbitraria*, *sapientia arbitraria*? Nonne melius definierunt veritatem veteres, κατάληψιν τῶ ὄντος; id est; comprehensionem ejus quod necessario est; rem omnium minime vagam, sed clarissimam, certissimam & firmissimam; qua si homines ab ipso Deo non essent imbuti, omnia quæ condita sunt, nihil forent quam ludibria fortunæ, & atomorum, somnia, umbræ ac vanitas: *Artem & scientiam, ut præclare scribit Cudworthus* (*Cudw. de æt. justi not. l. 5. c. 2.*), *nemo negaverit res esse stabiles & veras, quoniam maximi ponderis & momenti effectus, tum in ipsa rerum natura, tum in universa hominum vita gignunt & producunt; at quis nescit eas tamen unice in contemplandis & conferendis inter se rerum relationibus, viribus & finibus versari? Quod si ergo hæc omnia umbra tantum essent ac simulacra, nihil nisi logicæ notiones, entiaque, ut ajunt, rationis, quomodo quaso res tam insignes & præclaras efficere possent? ipsa, hoc si verum esset, ars & sapientia tota esset futilis ac commentitia: perinde quoque foret, quid quisque ageret vel susciperet ad certam quamdam rem obtinendam & consequendam: omnes denique homines, quod Protagoras quondam censuit, æque sapientes & prudentes essent, nec ulla inter se ratione distarent. Adde his, si ab efficientia, vi & impulsione discederes, quæ in rebus corporeis ad unum motum tota redit, nullam fore aliam externam causam, per quam effici posset aliquid, neque virtus illa scientiis & artis*, quæ exemplaris causa *vulgo dicitur & a vi, impetu & cæca impulsione distinguitur, aliquid esset quam somnium & inane visum. Taceo virtutem, justitiam & honestatem, dato illo quod diximus, necessario inter fabulas & commenta fore referenda, cum bonum & malum morale nihil nisi relationes sint; quin etiam quod majus est, convenientiam rerum & dissensionem, utilitatem ipsam & inutilitatem, nihil nisi commenta & nugas fore.*

3. Propter has causas consequentiam nullo modo admittere possumus, quod ad nullam *veram* & *realem cognitionem* abstractæ perceptiones nos ducere valeant. Nam primo cum ideæ abstractæ, quocunque modo gignantur, habeant objectivam realitatem, eamque necessariam, immutabilem, & omnibus mentibus communem; per omnes scientias etiam speculativas, in quibus investigantur earum convenientiæ, acquiritur *scientia realis*: veritas omnis est res solida, non ficta & evanida. Deinde in omnibus scientiis mixtis, seu physico Mathematicis, in omnibus artibus, in quibus ex cognitis *observatione* viribus determinatur ope *abstractarum relationum* quomodo applicandæ sunt vires ad producendos certos effectus, comparatur etiam sine dubio *scientia realis*, quamvis non sit rerum actu extra nos existentium. Ex. gr. quando determinatur geometrice quæ inclinatio tormento bellico danda est, ut globus

ferreus ad certam distantiam deferatur: vel quæ curvatura danda sit proræ navis, ut cum maxima celeritate sulcet mare: quæ scientia si *ficta* & *vana* esset, non afferret tantas vitæ hominum utilitates. Sic quoque ex abstractis relationibus inter causas & effectus; nunc ex effectibus causarum *realem* cognitionem, nunc ex causis *realem* cognitionem effectuum comparamus. Ex. gr. determinant Physici ex lege gravitatis motus planetarum; & vicissim ex motu planetarum colligun legem gravitatis. Sic quoque & nos colligimus ex causis *finalibus*, ex virium naturalium *temperatione*, ex omnium rerum *aptitudine*, existentiam causæ intelligentis res mundanas procurantis: quæ cognitio, quamvis ex abstractis ideis relationum habeatur, *realis* tamen est, *certiorque*, quam est ea, quæ solo sensuum fundamento nititur.

Objicies 3. cum Cartesio. Quamvis voluntati humanæ tantum tribui non debeat, ut rerum essentias pro lubitu fingere, destruere & immutare possit; saltem hoc concedendum est voluntati divinæ. *Nam repugnat Dei voluntatem non fuisse ab æterno indifferentem ad omnia quæ facta sunt aut unquam fient; quia nullum* bonum *vel* verum *nullumve credendum vel faciendum*, *vel omittendum fingi potest*, *cujus idea in intellectu divino prius fuerit quam ejus voluntas se determinatis ad efficiendum*, *ut id tale esset*.

Respondeo rerum quidem vocabula & nomina mutari posse a voluntate; figura quæ quadratum dicitur, circulus dici potest. Verum si quis naturam quadrati dixerit, non id necessario esse quod est, sed in naturam circuli ex arbitrio Dei converti posse; essentiam circuli adsciscere posse essentiam trianguli sine ulla physica & reali mutatione, per metaphysicam quamdam essentiarum conversionem, non tantum quæ cogitatione consequi non possumus, sed aperte repugnantia nobis credenda proponit. Fuit quidem in Deo ab æterno *voluntas*, sed fuit etiam *sapientia*. Utra harum perfectionum, quas in Deo esse necessario intelligimus, alteri pareat, facile cognoscitur ex utriusque natura. Sapientia, uti a nobis concipitur, res est plane determinata, constans, immota, flecti nescia, neque ullo modo mutabilis; ideoque per se norma est & regula. Voluntas vero in se spectata, separata ab intellectu, cœca est & omni luce destituta, nulla ex parte definita, varia, mutabilis; regula igitur & norma esse non potest. Quapropter tum voluntas perfecta intelligitur, cum a veritate & sapientia dirigitur & inclinatur; non tollitur, sed moderatur. E contrario sapientiam & veritatem voluntatis arbitrio subjicere, & ad hanc tam variam & mutabilem facultatem componere non possis, quin sapientiam & veritatem sustuleris.

COROLLARIA.

Primum. Existentia Dei demonstratur a *posteriori*.

Nam demonstratio a posteriori illa est, in qua proceditur a notis effectibus ad ignotæ causæ investigationem; & consequenter argumenta a posteriori existentiæ Dei illa sunt, in quibus colligitur ex effectibus naturalibus existentia entis supra naturam, & omnium rerum moderatoris. Atqui in præcedentibus argumentis multa talia sunt: ut moralia, & physica, & illa metaphysica ex idea Dei, quam ostendimus a solo Deo mentibus nostris insculptam esse.

Secundum. Existentia Dei demonstratur a *simultaneo*.

Nam demonstratio a *simultaneo* ea est, in qua neo proceditur ab effectibus ad causam, nec a causa ad investigationem effectus: sed in qua existentia alicujus entis probatur per quædam attributa magis nota, quæ soli illi enti convenire posse demonstrantur. Sic verbi gratia, cum concludimus ex vi cogitandi, & ex vi movendi esse in mundo substantiam spiritalem a corpore secretam, cujus hæ vires attributa sunt, ista demonstratio est a simultaneo; non a priori certe, quia vis cogitandi non est causa substantiæ spiri-

ritalis; non etiam a posteriori, quia vis cogitandi non est effectus naturæ spiritalis, sed ipsa ejus natura seu essentiale attributum. Multa quoque exempla demonstrationum a simultaneo suppeditat Geometria; ut cum datis basi & altitudine trianguli demonstratur area; vel datis area & altitudine demonstratur basis. Atqui existentia Deo demonstratur per attributa quædam, quæ supponuntur magis nota, quæque demonstrantur soli enti perfectissimo posse convenire: talis est illa demonstratio metaphysica ducta ex æternis veritatibus, quæ supponuntur magis notæ, quam substantiæ æternæ spiritalis existentia; & quæ demonstrantur nihil aliud esse, quam modos immutabiles æternæ & infinitæ mentis.

Tertium. Existentia Dei demonstratur a *priori*.

Nam demonstratio a *priori* illa est, in qua proceditur a causa cognita ad investigationem effectus; vel a ratione aliqua antecedente ad consequentem ex illa rei alicujus existentiam: sive in qua existentia rei alicujus colligitur, vel ex causa ejus efficiente, vel ex causa formali, quæ per mentem concipitur ut antecedens rei existentiam & determinans modum existendi. Atqui etsi Deus nullam habeat proprie dictam suæ existentiæ causam, nihilque sit tempore prius Deo; tamen nostro concipiendi modo & in ordine nostrarum idearum est aliquid Dei existentia prius, nempe necessitas existendi: ex qua Deum existere & talem esse probamus; quæque proinde concipitur, ut causa formalis Dei existentiæ, ejusque perfectionum, ut patet ex illa demonstratione metaphysica ducta ab ente necessario. Nisi existentia Dei hanc haberet rationem fundamentalem, dici posset Deum existere casu & fortuito, vel existere sine causa; saltem nullam aliam rationem afferre possemus, nisi hanc Atheorum pro cujuscunque rei existentia; ideo nempe existere, quia existit. Et tunc non repugnaret, ut existere desineret, aut non existeret ubique. Uti Epicureus dicit atomum existere, quia existit, & existere hoc in loco quia existit in hoc loco.

Quartum illa propositio, *Deus est*, nota est *per se*, *quoad se*.

Nam Scholastici illam propositionem *notam per se quoad se*, dicunt, cujus prædicatum est de natura seu essentia subjecti, qualis est illa, *homo est animal*. Atqui in ista propositione, *Deus existit*, prædicatum est de essentia subjecti. Non minus quippe existentia essentialis est Deo, quam animalitas homini, ut confectum est in argumentis metaphysicis.

Quintum. Illa propositio, *Deus est*, nota est *per se*, *quoad nos*.

Nam illa propositio dicitur *nota per se*, *quoad nos*, cui auditis & intellectis terminis mens statim acquiescit. Atqui talis est illa propositio, cum demonstratum fuerit in argumentis moralibus sensum numinis esse omnibus hominibus naturalem & sponte nasci & adolescere, ut nascitur quævis alia affectio naturalis: & ex argumentis Physicis pateat, omnem naturam parentem suum tam alte prædicare, ut ad ejus vocem obsurdescere homines nequeant: & denique in metaphysicis confectum sit, nos statim atque rectam Dei notionem animis informavimus, non posse ab ejus idea existentiam dividere.

Sextum. Ergo non solum existentia Dei a nullo *invincibiliter* ignoratur, sed revera nulli sunt Athei *speculativi*, sed tantum *Practici*.

Atheus *Practicus* ille dicitur, qui ita vivit ac si nullus Deus esset, sensumque numinis animo insitum præfocare conatur. Tales quidem multi sunt.

Atheus *speculativus* ille est, qui Deum nullum revera agnoscit: vel quia de Deo illi nunquam contigit cogitare, Deumque ideo ignorat; vel quia rationibus convictus est, nullum esse Deum. Tales omnino nullos esse, sequitur ex his omnibus, quæ hactenus disputata sunt. Adeoque haud dubitandum, quin illi omnes, qui olim & hisce nostris temporibus Atheisticam impietatem professi sunt, id fecerint, non ex interiore persuasione, quam habere nunquam potuerunt, sed a quadam singularitatis affecta-

ctatione, aut ingenii levitate, aut perversitate cordis:. Imprimis hoc certum est, multos esse homines, qui non tam ex sincero amore veri scientiis adjungunt animos, seseque conferunt ad scribendum, quam ex famæ atque existimationis cupiditate; eosque in id maxime conniti, ut omnium in se oculos convertant doctrinæ singularitate; tantaque esse solet singularitatis hæc illecebra, ut ad absurdissimas defendendas opiniones & ab omni sensu abhorrentes traduci se facillime patiantur. Hinc sine dubio factum est, ut quidam de omnibus dubitare se dixerint; alii materiæ existentiam, alii motum, alii quietem negaverint, alii hujus principii veritatem, *impossibile est aliquid esse simul & non esse*; & uno verbo quicquid in opinionibus certissimum est, inficiati sint. Deinde illi qui adversus religionem sermonibus vel scriptis perorant, non id faciunt quia sunt soluti metu Numinis; sed plerumque quia magis illo metu interius eliduntur, a quo solvere se omnibus modis conantur: observatur quippe ab ipso Lucretio Atheos esse omnium hominum maxime meticulosos, omnibus ærumnis adfectos vivere, in rebus adversis acrius advertere animos ad religionem, verasque tunc voces pectore ejici, eripi personam, manere rem: & hoc suum in scribendo poemate consilium fuisse fatetur, ut metum hunc Acherontis ageret funditus ex suorum in schola Epicuri condiscipulorum animis.

EXAMEN

PRIMÆ PARTIS ETHICES SPINOSÆ

Quæ est de Deo.

CUM hujus Athei systema, propter novam, quam invenit, loquendi formam, abhorrentem a communi sermone, vix intelligi queat; & multorum acutissimorum hominum torserit ingenia; necesse imprimis est illud breviter enucleare: quod melius fieri non posse putamus, quam comparando hanc novam doctrinam cum veterum Atheorum opinionibus, & investigando qua in re consentiant, & in qua videantur dissentire. Sic quippe veterum Atheorum aperta & perspicua placita Spinosæ tenebris lucem aliquam fortasse afferent. Deinde expendemus novi systematis principia ut intelligamus an ex illis aliqua addita sit Atheismo auctoritas. Et denique breviter quibus argumentis universum ædificium convelli possit, indicabimus.

EXPOSITIO DOCTRINÆ.

1. Hoc commune Atheorum omnium principium semper fuit & esse debet, *unicam* existere *substantiam*, *necessariam*, *improductam*, *infinitam*; quam veteres, vel *materiam primam*, vel *extensionem infinitam*, vel *atomos* vocabant: Spinosa vero dicere amat *Deum* (*Prop.* 5. 6. 7. 8. 11. 14.), qua appellatione quandoque etiam veteres utebantur.

2. Sequitur hujus unicæ substantiæ *attributa* vel *affectiones* esse *extensionem* & *cogitationem*, quod etiam probat Spinosa (*Parte* 2. *prop.* 1. 2.).

3. Sequitur omnia entia particularia corpora & mentes esse *partes* illius unicæ substantiæ, uti etiam docet Spinosa (*Parte* 2. *in cor. prop.* 115. *Hinc sequitur mentem humanam partem esse infiniti intellectus Dei*.). Corpus est pars extensionis certa ratione modificata: mens est singularis cogitatio seu idea rei alicujus singularis actu existentis. Sed amat quoque illa vocare *modos* extensionis & cogitationis; quia partium distinctio ingratam multiplicitatis notionem adjunctam habet (*Parte* 1. *prop.* 15.).

4. Athei omnes, præter Stoicos, docebant, nullam esse *communem* toti substantiæ, vel vim fictricem *arte* & *via* progredientem, vel sapientiam universi moderatricem. Proindeque nullas esse *causas finales*, contra quas fuse disputat Spinosa (*App. ad prop.* 36.); neque ens aliquod perfecta intelligentia, bonitate & felicitate præditum, qualem nos Deum esse putamus; sed hoc tantum sensu substantiam unicam dici posse perfectam, quatenus infinita est & infinitorum numero modorum subjectum, ita quoque Spinosa (*Parte prim. prop.* 30. 31. 32.):

in.

in scholio ad prop. 17. habet: *infra absque ope hujus prop. ostendam, ad Dei naturam neque* intellectum, *neque voluntatem pertinere ..... Si ad aeternam Dei essentiam intellectus & voluntas pertinent, aliud sane per utrumque hoc attributum intelligendum est, quam quod vulgo solent homines. Nam intellectus & voluntas, quae Dei essentiam constituerent, a nostro intellectu & voluntate toto caelo differre deberent, nec in ulla re praeterquam in nomine convenire possent, non aliter scil. quam inter se conveniunt canis signum caeleste & canis animal latrans.*

5. Veteres *Atomici* Philosophi nullam aliam vim, praeter motum agnoscebant, qui repetitis impulsibus in aeternum propagaretur, & esset omnium modorum tum corporeorum, tum spiritalium, quos *accidentaliter* producebat, temerarius artifex. At *Hylozoitae* seu *Stratonici* praeter motum, vim cogitationum, appetituum & volitionum per se & naturaliter effectricem admittebant. In illo Epicureos (*a*), in hoc Stratonicos sequitur Spinosa (*b*).

Juxta ipsum Deus seu unica substantia agit necessario, sive quatenus *res cogitans*, sive quatenus *res extensa*. Quatenus res cogitans, producit cogitationes singulares, quae mentes hominum sunt. Quatenus res extensa, producit corpora, cum omnibus eorum mutabilibus affectionibus. Sed cum corpora, tum mentes non producuntur ab unica substantia exerente aliquam agendi *facultatem*, sed per seriem successivam infinitam causarum finitarum: generatim enim pronuntiat parte prima prop. 28. *Quandocunque singulare, sive quaevis res, quae finita est, & determinatam habet existentiam, non potest existere, nec ad operandum determinari, nisi ad existendum & operandum determinetur ab alia causa, quae etiam finita est, & determinatam habet existentiam; & rursus haec causa non potest etiam existere neque ad operandum determinari, nisi ab alia quae etiam finita est, & determinatam habet existentiam, determinetur ad existendum & operandum, & sic in infinitum.*

At quoniam mens & corpus idem sunt, & eadem potentia est movens & cogitans, existit inter cogitationes mentis & affectiones corporis mutua sympathia, seu harmonia naturalis, *ordo & connexio idearum*, ut ponit Spinosa prop. 7. p. 2. *idem est ac ordo & connexio rerum: modus extensionis, & idea illius modi una eademque res est; sed duobus modis expressa. Ex. gr. circulus in natura existens, & idea circuli existentis, una eademque est res, quae per diversa attributa explicatur, & ideo sive naturam sub attributo extensionis, sive sub attributo cogitationis, sive sub alio quocunque concipiamus, unum eundemque ordinem, sive unam eandemque causarum connexionem, hoc est easdem res sequi reperiemus. Neque ulla alia de causa dixi, quod Deus sit causa ideae, v. g. circuli quatenus tantum est res cogitans, & circuli quatenus tantum est res extensa, nisi quia esse formale ideae circuli, nisi per alium cogitandi modum tanquam causam proximam, & ille iterum per alium & sic in infinitum potest percipi; ita ut quamdiu res, ut cogitandi modi considerantur, ordinem totius naturae, sive causarum connexionem, per solum cogitationis attributum explicare debemus; & quatenus ut modi extensionis considerantur, ordo etiam totius naturae per solum extensionis attributum explicari debet, & idem de aliis attributis intelligo* (*c*).

6. Tan-

(*a*) Lemma tert. post. prop. 13. secundae partis. *Corpus motum vel quiescens ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio & sic in infinitum.*

(*b*) Parte quint. prop. secund. nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum vel quietem nec ad aliquid, si quid est, aliud determinare potest.

(*c*) Parte quint. prop. prima: ut habet pro cogitationes, rerumque ideae ordinantur, & concatenantur in mente, ita corporis affectiones, seu rerum imagines ada-

6. Tandem ex his principiis sequitur omnia evenire ex *necessitate naturæ* illius unicæ substantiæ (*Prop.* 16. *primæ partis*); hanc unicam substantiam, cum extra illam nihil existat, dici posse rerum omnium *causam immanentem* (ibid. *prop.* 18.); & *res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuisse* (*Prop.* 33. ibid.).

Cum hæc principia Atheis veteribus & Spinosæ communia sint, liquet certe illos re ipsa non dissentire: videamus ergo quid sibi hic velit novis illis, quibus utitur, formis loquendi.

1. Duplicem distinguit naturam cum veteribus Cabbalistis *naturantem & naturatam*: per priorem intelligit, *id quod per se est, & per se concipitur; seu talia substantiæ attributa, quæ æternam & infinitam essentiam exprimunt; hoc est, Deum, quatenus ut causa libera consideratur*. Per naturam autem *naturatam* intelligit, *id omne, quod ex necessitate Dei naturæ, sive uniuscujusque Dei attributorum sequitur; hoc est, omnes Dei attributorum modos, quatenus considerantur, ut res quæ in Deo sunt, & quæ sine Deo nec esse, nec concipi possunt* (*Schol. ad prop.* 29.). Ex hisce definitionibus liquet istas voces novas designare solummodo unius & ejusdem rei, seipsam *modificantis* & per seipsam *modificatæ*, varios aspectus.

2. Docet *naturam naturantem* esse *liberam*; quia *ex solis naturæ legibus & a nemine coacta agit*, quam libertatem sic explicat in ep. 23. ad Oldenb. *Hic paucis explicare volo, qua ratione ego fatalem omnium rerum & actionum necessitatem statuam: nam Deum nullo modo fato subjicio, sed omnia inevitabili necessitate ex Dei natura sequi concipio, eodem modo ac omnes concipiunt ex ipsius Dei natura sequi, ut seipsum intelligat; quod sane nemo negat ex divina natura necessario sequi, & tamen nemo concipit, Deum fato aliquo coactum, sed omnino libere, tametsi necessario seipsum intelligere*. Primus Spinosa *necessitatem physicam* & *libertatem* conjunxit. *Naturam* vero *naturatam* negat esse *liberam*: quia determinatur ad existendum a *natura naturante*: & cum omnia corpora & mentes pertineant ad *naturam naturatam*, nullam agnoscit in hominibus aut quavis mente particulari *libertatem*. Nihil hic habemus præter verba nova.

3. Docet unicam substantiam concipi posse duplici ratione *abstracte* scil. & *superficialiter*, prout nempe ipsam *imaginamur*: vel ut *substantiam*, quod fit per *intellectum*: quod si ad quantitatem attendamus, prout in imaginatione est, quod sæpe & facilius a nobis fit, reperietur *finita*, *divisibilis*, & ex *partibus* conflata. Si ad quantitatem prout vero in intellectu est attendamus, & eam, quatenus substantia est, concipimus, quod difficillime fit, tum *infinita*, *unica* & *indivisibilis* reperietur. *Nam cum vacuum in natura non detur; substantia corporea, quatenus substantia, non potest habere partes realiter distinctas & consequenter non potest dividi: est illa ubique eadem, nec partes in eadem distinguuntur, nisi quatenus materiam diversimode affectam esse concipimus: unde ejus partes modaliter tantum distinguuntur, non autem realiter. Ex. gr. aquam quatenus aqua est, dividi concipimus, ejusque partes ab invicem separari; at non quatenus substantia est corporea, eatenus enim (quia vacuum est impossibile) neque separatur neque dividitur. Porro aqua, quatenus aqua generatur & corrumpitur; at quatenus substantia, nec generatur, nec corrumpitur*.

adamussim ordinantur & concatenantur in corpore. Et ep. 15. quod autem ad mentem humanam attinet, eam etiam partem naturæ esse censeo, nempe quia statuo, dari etiam in natura potentiam infinitam cogitandi; quæ quatenus infinita in se continet totam naturam objective, & cujus cogitationes procedunt eodem modo, ac natura, ejus idearum. Deinde mentem humanam hanc eandem potentiam statuo, non quatenus infinitam, & totam naturam percipientem; sed finitam, nempe quatenus tantum humanum corpus percipit & hac ratione mentem humanam partem cujusdam infiniti intellectus statuo.

generatur & corrumpitur: at quatenus substantia, nec generatur nec corrumpitur. Ex hisce valde manifestum est, Spinosam in unica sua substantia partes revera agnoscere, quæ sint subjecta variarum affectionum seu motus, seu cogitationis; alias quadratas, alias rotundas; alias motas in Orientem, alias in Occidentem; alias lætas, alias tristes, &c. & in hoc solummodo dissentire ab aliis Philosophis, quod sermonem immutare velit, illasque partes *modos* appellare: propterea quod illæ unicam *ubique cohærentem* substantiam efficiant, & non sint a se invicem *diversæ*, nisi propter *diversitatem modificationum* & *singularem existentiam*. Sæpius ipse communi formæ loquendi sese accommodat, & in loco modo laudato scribit: *Quamvis hoc non esset (id est, quamvis materia non esset indivisibilis & ex partibus conflaretur) nescio cur materia divina natura indigna esset; quandoquidem extra Deum nulla substantia dari potest, a qua pateretur.... Quare nulla ratione dici potest substantiam extensam divina natura indignam esse, tametsi divisibilis supponatur, dummodo æterna & infinita concedatur*.

SYSTEMATIS SPINOSÆ FUNDAMENTA.

Cum nihil novi, præter voces, referat Spinosæ doctrina, videamus jam an attulerit aliquam Atheismo suis rationibus auctoritatem: an non tota celebritas systematis orta sit ex principiorum obscuritate & illa admiratione, quam in hominibus indoctis & levibus pariunt res reconditæ, & a vulgi intelligentia disjunctæ. Certe Spinosæ principia, quæ per se clara esse deberent, adeo sunt involuta, ut nulla alia ratione possimus illa exponere, quam explicari solent arcanæ notæ & verba quædam minus usitata linguæ alicujus, uti dicitur, mortuæ: videlicet comparando loca varia, in quibus eadem verba usurpantur, sicque sensum ex concordantibus locis expromendo. Hoc ergo modo rem tentemus.

DEFINITIONES.

Prima. *Per causam sui intelligo id, cujus essentia involvit existentiam, sive id, cujus natura non potest concipi, nisi existens*.

Satis ineptum est definire *causam sui*, quæ nulla est: ens necessarium non nisi valde improprie, sic dici potest.

Secunda. *Ea res dicitur in suo genere finita, quæ alia ejusdem naturæ terminari potest. Ex. gr. corpus dicitur finitum, quia aliud semper majus concipimus. Sic cogitatio alia cogitatione terminatur: at corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore*.

Ex hac definitione sequitur, *infinitum in suo genere* esse id, quod alia re *ejusdem naturæ* terminari non potest, seu, de quo nulla res *ejusdem naturæ* negari potest. Et *infinitum in omni genere* erit illud, quod nulla alia re *cujuscumque naturæ* terminari potest, seu, de quo *nulla res* negari potest. Ergo *Deus*, qui est illud infinitum in omni genere, est *congeries omnium rerum*. En universum systema in unica definitione.

Deinde, quamvis illam vocem, *potest*, adjecerit Spinosa ad fucum faciendum, illius tamen hic revera sensus est: *ea res dicitur finita in suo genere, quæ alia ejusdem naturæ terminatur*, ut patet ex prop. 8. ex qua definitione directe sequitur substantiam extensam & materialem esse infinitam: neque *vi creatrice*, quæ diversæ naturæ est, posse finiri.

Certe hæc definitio plane absurda est; cum finitum non definiatur per causam finitudinis, seu efficientem, seu formalem: & sit contraria communi hominum intelligentiæ. Nam concipimus corpus aliquod finitum esse, etiamsi nulla alia corpora existerent, aut etiam possent existere; & etiam ex altera parte concipimus rem infinitam, etiamsi res finita ejusdem naturæ genericæ existat: nempe concipimus intelligentiam seu cogitationem infinitam in Deo & finitam in mente humana.

Tertia. *Per substantiam intelligo id, quod in se est & per se concipitur: hoc est,*

est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius a quo formari debeat.

Hujus definitionis duplex sensus est: alius generalior, ut substantia sit id quod in se est & per se concipitur absque conceptu, seu *subjecti* cui inhæreat, seu *causa* a qua producatur. Alter sensus est minus generalis; ut substantia sit id, quod in se est & per se concipitur sine *subjecto* inhæsionis. Hic posterior est omnium Philosophorum, juxta quem substantia alia potest esse *creata*, alia *increata*. Sed non est sensus Spinosæ: nam ad priorem sensum determinatur in propos. secunda, & in cor. prop. quart. & in scholio ad prop. dec. In hac ergo definitione, assumit *substantiam* esse *ens necessarium* & *independens*. Quæ positio universæ doctrinæ summa est. Immo falsa est hæc definitio, si substantia consideretur relative ad modos suos: nam substantia neque existere, nec concipi potest sine modis existendi; & per modos existendi cognoscitur, saltem a nobis, qui rerum essentias non habemus perspectas.

Quarta. *Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens.*

Difficilis est hujus definitionis sensus. Nam in definitione sexta & propositione nona videtur distinguere attributum a substantia; cum illud multiplex, hæc unica dicatur. At axiomate primo, & prop. quarta & alibi attributum cum substantia confunditur: *Extra intellectum, inquit, nihil datur præter substantias & affectiones, id est, modos*. Exemplis quibus utitur Spinosa, melius intelligitur, quid sit attributum, quam ex ejus definitionibus. *Extensio* est attributum, *cogitatio* est attributum unicæ, quam admittit, substantiæ; aliaque infinita attributa esse supponit, quæ tamen nullibi explicat. Videbimus modo attributum in systemate Spinosæ non esse ens reale, sed abstractam mentis notionem.

Quinta. *Per modum intelligo substantiæ affectiones, sive id quod in alio est, per quod etiam concipitur.* Clarius exprimitur hæc definitio prop. 15. modi sine substantia nec esse nec concipi possunt, & in scholio ad prop. 10. habet: per modificationem autem intelligo, id quod in alio est, & cujus conceptus a conceptu rei, in qua est, formatur. Si exempla quicquam conferre possunt ad sensum Spinosæ pervidendum, nosce corpora omnia esse modos unicæ substantiæ quatenus extensæ; & mentes omnes esse modos ejusdem quatenus cogitantis; motum esse quoque modum corporis, id est, modum modi.

Manifestum est falsam esse definitionem sensu exposito: nam nedum modus sine substantia non possit concipi; contra substantiam non concipimus nisi per modos. Ex corporibus arripimus notionem substantiæ corporeæ, & ex mentibus notionem substantiæ spiritalis. Et etiam motus qui apud Spinosam est modus modi, non includitur in conceptu substantiæ corporeæ, sed est aliquid reale substantiæ corporeæ adjectum.

Sexta. *Per Deum intelligo ens absolute infinitum, hoc est, substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit.*

Explicatio. Dico absolute infinitum, non autem in suo genere; quicquid enim in suo genere tantum infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus; quod autem absolute infinitum est, ad ejus essentiam pertinet quicquid essentiam exprimit & negationem nullam involvit.

Hæc definitio respondet aptissime definitioni finiti supra traditæ, & ex utraque sequitur ens infinitum esse *collectionem omnium realitatum*.

Septima. *Ea res libera dicetur, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit, a se sol adeterminatur (quamvis necessitate physica & cæca, ut prop. 17.) necessaria autem, seu potius coacta, quæ ab alio determinatur ad existendum & operandum certa & determinata ratione.*

Singularis sane libertas, quæ atomis Epicuri convenit!

Octava. *Per Æternitatem intelligo ipsam existentiam quatenus ex sola rei æternæ definitione necessario sequi concipitur.*

Ex-

Explicatio. Talis enim existentia ut æterna veritas, sicut essentia concipitur, propterea que per durationem aut tempus explicari non potest, tametsi duratio principio & fine carere concipiatur.

Est hæc definitio necessariæ existentiæ, non æternitatis; & ex ea sequitur nulla esse decreta æterna, quæ necessaria non sint.

AXIOMATA.

Primum. *Omnia quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt.*

Verum est duplici sensu. 1. Omnia quæ sunt, vel existunt in se & independenter ab alio, vel in alio, id est, dependenter a virtute alterius. 2. Omnia quæ sunt, vel sunt in se, id est, sunt subjecta; vel in alio, id est, sunt qualitates subjecto inhærentes. Sed falsum est 3. sensu, si intelligas omnia, quæ sunt esse in se & independentia, vel in alio, id est, esse qualitates subjecto independenti inhærentes; & hic obscurior sensus, est sensus Spinosæ. Ex quo sequitur nihil existere præter substantiam in se & independentem atque ejus modos.

Secundum. *Id, quod per aliud non potest concipi, per se concipi debet.*

Ambiguitatem habet propter voces *per se*. Etsi non concipiamus quomodo materia creata sit, tamen non debet concipi, ut increata.

Tertium: *Ex data causa determinata necessario sequitur effectus: & contra, si nulla detur determinata causa, impossibile est, ut effectus sequatur.*

Ambiguum est. Verum quidem, ubi agitur de causis *necessariis* vel *actualibus*: falsum, si transferatur ad causas *liberas* & *potentiales*. Hisce existentibus non *necessario* sequitur effectus, sed est solummodo *possibilis*.

Quartum. *Effectus cognitio a cognitione causæ dependet & eandem involvit.*

Ambiguum est. Immo vero, effectus *formaliter*, ut aiunt, spectatus, involvit cognitionem causæ suæ: quia *duo correlata sunt simul cognitione*. Non vero effectus *materialiter* spectatus. At prop. sextæ, & prop. 25. hoc sensu generali sumitur & concluditur mundum non posse esse creatum, si ejus conceptio non involvat conceptionem Dei. Ex hoc axiomate conjuncto cum definitione sexta concluditur omnes effectus cum per causam suam concipiantur, esse *modos* causæ suæ.

Quintum. *Quæ nihil commune inter se invicem habent, etiam per se invicem intelligi non possunt: sive conceptus unius alterius conceptum non involvit.*

Ambiguum est. Verum si intelligas communitatem *relationis* & *naturæ genericæ*: qualem admittimus inter mentem omnipotentem & res creatas. Falsum vero est, si intelligas communitatem *naturæ specificæ*. Nam etsi causæ & effectus non sit eadem specifica natura, v. g. intelligentiæ & mundi, tamen ex ordine mundi intelligentiæ colligo existentiam. Quamvis corporum translatio sit diversæ naturæ a vi motrice, ex corporum tamen translatione colligo existentiam vis motricis.

Sextum. *Idea vera debet cum suo ideato convenire.*

Falsum est eo sensu, quo illud interpretatur Spinosa, sed ad rem nostram non pertinet fallaciam aperire.

Septimum. *Quidquid ut non existens potest concipi, ejus essentia non involvit existentiam.*

PROPOSITIONES.

Prima. *Substantia prior est natura suis affectionibus.*

Demonstratio: patet ex definitione tertia & quinta.

Substantia neque esse, neque concipi potest sine modo existendi, ergo non est prior natura modo suo.

Secunda. *Duæ substantiæ diversa habentes attributa nihil inter se commune habent.*

Demonstratio: patet ex definitione tertia. Unaquaque enim debet esse & per se concipi, sive conceptus unius conceptum alterius non involvit.

In falsa vel captiosa definitione non potest poni nisi falsa vel captiosa propositio. Sensus hic est, Deus & materia.

si essent duæ substantiæ diversa habentes attributa, uti vulgo putatur; nihil inter se commune haberent, id est, ut modo videbimus, una alterius causa esse non posset. Nos vero ex alia parte dicimus duas substantias diversa habentes attributa habere communem relationem causæ & effectus, & posse unam per aliam concipi, causam per effectum, creatorem per creaturam.

Tertia. *Quæ res nihil commune inter se habent, earum una alterius caussa esse non potest.*

Demonstratio. Si nihil commune cum se invicem habent, ergo per axioma quintum nec per se invicem intelligi possunt, adeoque per axioma quartum una alterius causa esse non potest.

Axioma quartum & quintum captiosa sunt, ut supra diximus: ergo & hæc propositio. Nihil commune est inter tremorem nervorum opticorum & visionem, aut quemvis alium motum in sensuum organis & sensationes, unum tamen alterius causa est vel moralis seu occasionalis, vel physica. Nihil commune est inter vim motricem, vel volitionem mentis & membrorum motum, experimur tamen hunc motum esse earum causarum effectum. Sic quamvis inter corpora & vim creatricem nihil commune concipiam, cum cogito eorum attributa: tamen hanc illorum causam esse intelligo. Immo idem admittendum est in ipso Spinosæ systemate, in quo natura naturata, ad quam juxta Spinosam pertinent omnia corpora & omnis intellectus, seu finitus, seu infinitus, producitur a natura naturante, quæ non majorem habet analogiam cum natura naturante, quam canis signum cœleste, & canis animal latrans. Scilicet Spinosa in natura naturante nihil concipit, præter vim cœcam procreatricem omnium modorum corporeorum & spiritualium, finitorum, & infinitorum mentium humanarum & intellectus divini. Hæret ergo in iisdem difficultatibus quas nobis objicit.

Quarta. *Duæ aut plures res distinctæ, vel inter se distinguuntur ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum.*

Demonstratio. Omnia quæ sunt, vel in se, vel in alio sunt per axioma primum. Hoc est per definitionem tertiam & quintam extra intellectum nihil datur præter substantias, earumdemque affectiones, nihil ergo extra intellectum datur per quod plures res distingui possunt præter substantias (sive quod idem est per definitionem quartam) earum attributa, earumque affectiones.

Falsa est hæc propositio, quia manifestum est res non tantum distingui per diversitatem attributorum & affectionum; sed etiam per separatam existentiam. Circulus A & circulus B, eo ipso, quod separatim existant, diversi sunt. Ipsius spatii & temporis partes, quamvis simillimæ, habent tamen distinctam existentiam: & sine dubio in Spinosæ unica substantia infinite extensa partes admittendæ sunt distinctæ & diversæ, nisi communem loquendi formam & communem sensum quis aspernari velit.

Quinta. *In rerum natura non possunt dari duæ aut plures substantiæ ejusdem naturæ sive attributi.*

Demonstratio. Si darentur plures distinctæ deberent inter se distingui, vel ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum, per propositionem quartam. Non ex diversitate attributorum, quia supponuntur ejusdem esse naturæ sive attributi. At si ex diversitate affectionum tantum distinguuntur, cum substantia sit prior suis affectionibus per propositionem primam, depositis ergo affectionibus & in se considerata, hoc est, per definitionem tertiam & quartam, vere considerata, non poterit concipi ab alia distingui: hoc est per propositionem præcedentem non poterunt dari plures, sed tantum una.

Hæc propositio in priori posita est, confundit Spinosa notiones maxime communes, seu potius formam loquendi mutat; eas res solummodo distinctas esse vult, quæ habent *diversam essentiam*, cum alii omnes illas distinguunt quæ habent *diversam existentiam*.

Sex-

Sexta. *Una substantia non potest produci ab alia substantia.*

Demonstratio. In rerum natura non non possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi per propositionem præcedentem, hoc est per propositionem secundam, quæ aliquid inter se commune habent. Adeoque per propositionem tertiam una alterius causa esse nequit, sive una ab alia produci nequit.

Propositio hæc deducitur ex tribus falsis propositionibus: & eadem est vanitas sequentium omnium.

Septima. *Ad naturam substantiæ pertinet existere.*

Demonstratio. Substantia non potest produci ab alia, per propositionem præcedentem, erit itaque causa sui, id est, per definitionem primam, ipsius essentia involvit necessario existentiam, sive ad ejus naturam pertinet existere.

Octava. *Omnis substantia est necessario infinita.*

Demonstratio. Substantia unius attributi, non nisi unica existit, per propositionem quintam; ad ipsius naturam pertinet existere, per propositionem septimam: erit ergo ipsius natura vel finita vel infinita. At non finita; nam per definitionem secundam, debet terminari ab alia ejusdem naturæ, quæ etiam necessario debet existere, per propositionem septimam. Adeoque darentur duæ substantiæ ejusdem attributi: quod est absurdum per propositionem quintam. Existet ergo infinita.

Nona. *Quo plus realitatis aut esse unaquæque res habet, eo plura attributa ipsi competunt.*

Demonstratio. Patet ex definitione quarta.

Decima. *Unumquodque unius substantiæ attributum per se concipi debet.*

Demonstratio. Attributum est id quod intellectus de substantia percipit tanquam ejus essentiam constituens per definitionem quartam. Adeoque per definitionem tertiam per se concipi debet.

Hanc propositionem addidit Spinosa, ut obviam iret Cartesii argumento; in quo ex diversitate conceptuum, quibus *extensio* & *cogitatio* apprehenduntur, concluditur rem extensam & rem cogitantem esse entia diversa: cumque illam ponat in duabus definitionibus pro lubitu confictis, manifestum est hic esse *petitionem principii*. Si stemus definitioni *substantiæ* traditæ a Spinosa, sequetur *extensionem* esse *substantiam*, *quia per se concipitur*: & *cogitationem esse substantiam*, quia *per se concipitur*: & juxta axioma quintum has substantias nihil *commune* inter se habere, quia *conceptus unius conceptum alterius non involvit*.

Undecima. *Deus sive substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam essentiam exprimit, necessario existit.*

Demonstratio. Si negas, concipe, si fieri potest, Deum non existere. Ergo per axioma septimum ejus essentia non involvit existentiam. Atqui hoc per propositionem septimam est absurdum. Ergo Deus necessario existit.

Duodecima. *Nullum substantiæ attributum potest vere concipi, ex quo sequatur, substantiam posse dividi.*

Demonstratio. Partes enim in quas substantia, sic concepta, divideretur, vel naturam substantiæ retinebunt, vel non. Si primum, tum per propositionem octavam unaquæque pars debebit esse infinita, & per propositionem sextam causa sui, & per propositionem quintam constare debet ex diverso attributo, adeoque ex una substantia plures constitui poterunt, quod per propositionem sextam est absurdum. Adde quod partes per propositionem secundam nihil commune cum suo toto haberent, & totum per definitionem quartam & propositionem decimam absque suis partibus, & esse, & concipi posset, quod absurdum esse nemo dubitare poterit. Si autem secundum ponatur, quod scilicet partes naturam substantiæ non retinebunt: ergo cum tota substantia in æquales partes esset divisa, naturam substantiæ amitteret & esse desineret: quod per propositionem septimam est absurdum.

Decimatertia. *Substantia absolute infinita est indivisibilis.*

De-

Demonstratio eadem est quæ propositionis duodecimæ. Addit: *ex his sequitur, nullam substantiam corpoream, quatenus substantia est, esse divisibilem.*

Decimaquarta. *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia.*

Demonstratio. Cum Deus sit ens absolute infinitum, de quo nullum attributum, quod essentiam substantiæ exprimit, negari potest per definitionem sextam, isque necessario existat per propositionem undecimam. Si aliqua substantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, sicque duæ substantiæ ejusdem attributi existerent, quod per propositionem quintam est absurdum; adeoque nulla substantia extra Deum dari potest & consequenter concipi. Nam si posset concipi, deberet necessario concipi ut existens. Atqui hoc per primam partem hujus demonstrationis est absurdum. Ergo extra Deum nulla dari, neque concipi potest substantia,

Pergit. *Hinc clarissime sequitur. 1. Deum esse unicum; hoc est per definitionem sextam, in rerum natura nonnisi unam substantiam dari, eamque absolute infinitam esse. Sequitur 2. rem extensam & rem cogitantem, vel Dei attributa esse, vel per axioma primum affectiones attributorum Dei.*

Decimasexta. *Ex necessitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis, hoc est omnia quæ sub intellectum infinitum cadere possunt, sequi debent.*

Demonstratio. Hæc propositio unicuique manifesta esse debet, si modo ad hoc attendat, quod data cujuscumque rei definitione plures proprietates concludit, quæ revera ex eadem (hoc est, ipsa rei essentia) necessario sequuntur, & eo plures, quo plus realitatis rei definitio exprimit, hoc est, quo plus realitatis rei definitæ essentia involvit. Cum autem natura divina infinita absolute attributa habeat per definitionem sextam, quorum etiam unumquodque infinitam essentiam in suo genere exprimit, ex ejusdem ergo necessitate infinita infinitis modis, (hoc est, omnia quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) necessario sequi debent.

Omnia hic assumit Spinosa, sine ulla probatione.

Vigesimanona. ***In rerum natura nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate divinæ naturæ determinata sunt ad certo modo existendum & operandum.***

CONFUTATIO SYSTEMATIS SPINOSÆ.

Revocari potest Spinosæ doctrina ad propositiones tres. Prima est ***unicam*** existere ***substantiam***, ***extensam*** & ***cogitantem***, ex cujus ***naturali vi*** & ***efficientia***, sed ***cæca*** & ***bruta***, omnia ***intra se*** producuntur ***necessario***, ita ut nihil detur contingens, sed omnia determinata sint ex necessitate naturali ad certo modo existendum & operandum. Secunda est, hanc substantiam unicam ***nullas habere partes*** & esse plane ***indivisibilem*** & ***immutabilem***. Tertia est, hanc substantiam esse ***summe perfectam***, quod contineat omnem realitatem, omnes modos entis.

Prima propositio continet doctrinam omnium Atheorum; & directe confutatur omnibus argumentis, seu moralibus, seu physicis, seu metaphysicis, quæ hactenus explicata sunt. Confutabitur etiam in sequentibus hujus operis partibus, speciatim vero, in articulis de ***immensitate Dei***, ubi ostendemus extensionem & cogitationem in eodem subjecto consistere non posse; de ***libertate Dei***, ubi conficiemus omnia in rerum universitate esse arbitrarie constituta; ***de attributis Dei moralibus***, quæ cum necessitate illa ferrea & cæca existere nequeunt; & ubi ***de libertate hominis & lege naturali***.

Secunda & tertia propositio formam loquendi continent Spinosæ propriam, quam si ostenderimus non tantum esse abhorrentem a communi sermone, sed alienum ab omni ratione, erit certe Spinosæ systema ex omni parte confutatum.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Unica Spinosæ substantia cogitans & extensa composita est ex partibus realiter distinctis, divisibilis est & mutabilis; & consequenter non est ens necessarium propter rationes in argumentis superioribus allatas.

PROBATIO.

1. Ut principiis Spinosæ utar: *substantia est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius a quo formari debeat*. Atqui juxta eumdem Spinosam cogitatio non indiget conceptu extensionis, a qua formari debeat, sed per se concipitur: sic quoque extensio non indiget conceptu cogitationis a quo formari debeat. Ergo extensio & cogitatio sunt duæ substantiæ. Immo hujusmodi attributa, quæ per se concipiuntur infinita agnoscit in Deo Spinosa. Ergo vel falsa est substantiæ definitio, vel infinitæ sunt substantiæ.

Hanc objectionem in scholio ad propositionem decimam præoccupare voluit; ubi sic legimus: *Ex his apparet quod, quamvis duo attributa realiter distincta concipiantur, non possumus tamen inde concludere, ipsa duo entia, sive duas substantias constituere*. Quidni? *Quia id est de natura substantiæ ut unumquodque ejus attributorum per se concipiatur; quandoquidem omnia, quæ habet, simul in ipsa semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit; sed unumquodque realitatem seu esse substantiæ exprimit*. Hoc eodem redit, ac si dixisset: *nolo agnoscere plures partes substantiales esse realiter distinctas, si simul semper conjunctæ fuerint, neque una fuerit ab alia producta, & unaquæque realitatem substantiæ exprimat*. Potest certe Spinosa rerum nomina mutare pro arbitrio, sed hac mutatione existimare se novam doctrinam condere, eamque demonstrare, hominis delirantis est.

In eodem scholio habet: *si quis autem jam quærit, ex quo ergo signo diversitatem substantiarum poterimus dignoscere, legat sequentes propositiones, quæ ostendunt in rerum natura non nisi unicam substantiam existere, eamque absolute infinitam esse, quapropter id signum frustra quæreretur*. Quod eodem redit, ac si dixisset nullum haberi tale signum. Et revera nullum aliud signum præter conceptum clarum realis distinctionis, esse potest. Quod signum nunc admittere, nunc non admittere, hominis est ridicule secum dissentientis.

2. In illa substantia sunt partes realiter distinctæ, ubi sunt modificationes contrariæ & repugnantes quæ in eadem parte esse nequeunt: v. g. si finita extensio A moveatur versus Orientem, & alia extensio finita B. moveatur versus Occidentem, negat communis hominum intelligentia A esse B, quia tunc moveretur eodem tempore in contrarias partes, quod est absurdum. Atqui Spinosa in Deo agnoscit modos ejusmodi infinitos, contrarios & incompatibiles. Ergo necesse est ut illos distribuat in partes diversas unicæ suæ substantiæ. Et revera, quamvis placuerit Spinosæ varias partes substantiæ unicæ *modos* appellare, illis *modis* tribuit ea omnia quæ nos tribuimus *partibus*, *separatam existentiam*, *efficientiam propriam*; certas *affectiones particulares* seu *modos*, ut patet ex propositione 2ª. *Quodcunque singulare, sive quævis res, quæ finita est & determinatam habet existentiam, non potest existere nec ad operandum determinari, nisi ad existendum & operandum determinetur ab alia causa, quæ etiam finita est & determinatam habet existentiam, & rursus hæc causa non potest etiam existere, neque ad operandum determinari, nisi ab alia, quæ etiam finita est, & determinatam habet existentiam, determinatur ad existendum & operandum: & sic in infinitum*. Et parte secunda inter prævias definitiones hæc septima est; *per res singulares, intelligo res quæ finitæ sunt & determinatam habent existentiam. Quod si plura individua in una actione ita concurrant, ut omnia simul unius effectus sint causa, eadem omnia eatenus, ut unam rem singularem considero*. Et axioma quartum ibidem est: *nos corpus*

quod-

quoddam multis modis affici sentimus. Inepte ergo solummodo formam loquendi immutavit, dum partes substantiæ *modos* appellat, eosdemque contra communem sensum aliorum modorum *subjecta* efficit.

3. Expendamus rationes, quibus Spinosa substantiæ extensæ & modorum infinita varietate distinctæ indivisibilitatem confirmavit.

Primo hujus indivisibilitatis hæc legitur demonstratio propos. 13. *Si enim divisibilis esset, partes, in quas divideretur, vel naturam substantiæ absolute infinitæ retinebunt; vel non. Si primum, dabuntur ergo plures substantiæ ejusdem naturæ, quod per propositionem quintam est absurdum*. Sed supra ostendimus propositionem quartam, in qua hæc demonstratio ponitur, esse falsam.

Secundo. In scholio ad eandem propositionem invenimus hanc aliam demonstrationem. *Quod substantia sit indivisibilis, simplicius ex hoc solo intelligitur, quod natura substantiæ non potest concipi, nisi infinita; & quod per partem substantiæ nihil aliud potest intelligi quam substantia finita; & quod per propositionem octavam manifestam contradictionem implicat*. Propositio quarta deducitur ex propositionibus evidenter falsis & temere assumptis: imprudenter adversari communi omnium intelligentiæ, hoc apud Spinosam est demonstrare.

Tertio. In scholio ad propositionem 15. habet. *Non minus absurdum est ponere, quod substantia corporea ex corporibus sive partibus componatur, quam quod corpus ex superficiebus, superficies ex lineis, lineæ denique ex punctis componatur*. Quis hoc concedet Spinosæ, non est difficiliorem cogitationem puncti mathematici, quam corporis solidi: aut non magis repugnare, ut substantia corporea ex punctis inextensis, quam ex partibus extensis componatur.

Quarto. Pergit *ibidem*. *Atque hoc omnes, qui claram rationem infallibilem esse sciunt, fateri debent, & imprimis ii, qui negant dari vacuum. Nam si substantia corporea ita posset dividi, ut ejus partes realiter distinctæ essent; cur ergo una pars non posset annihilari, manentibus reliquis, ut ante, inter se connexis? Et cur omnes ita aptari debent, ne datur vacuum? sane rerum, quæ realiter ab invicem distinctæ sunt, una sine alia esse & in suo statu manere potest. Cum igitur vacuum in natura non detur, sed omnes partes ita concurrere debent, ne detur vacuum, sequitur hinc etiam easdem non posse realiter distingui, hoc est, substantiam corpoream, quatenus substantia est non posse dividi*. Est-ne hominis prudentis ponere sententiam tam abhorrentem a communi omnium intelligentia in opinione tam incerta & explosa a maxima parte Physicorum, qui sine vacuo motum existere non posse contendunt? Sed quidquid sit de hac controversia, manifestum est materiam tam esse partibus distinctam, in systemate Cartesii, qui vacuum negat, quam in systemate Newtoni vacuum admittentis; quia in utroque corpora omnia, v. g. Sol & Luna separatam habent & independentem a se mutuo existentiam, nec magis identificantur per interjectum æther, quam per vacuum interpositum.

Quinto. Tandem omnes objectiones ibidem sic præoccupat. *Si quis tamen jam quærat cur nos ex natura ita propensi simus ad dividendam quantitatem? Ei respondeo, quod quantitas duobus modis a nobis concipitur, abstracte scilicet sive superficialiter, prout nempe ipsam imaginamur; vel ut substantia, quod a solo intellectu fit. Si itaque ad quantitatem attendimus, prout in imaginatione est, quod sæpe & facilius a nobis fit, reperietur finita, divisibilis & ex partibus conflata; si autem ad ipsam, prout in intellectu est, attendimus, & eam, quatenus substantia est, concipimus, quod difficillime fit, tum, ut jam satis demonstravimus, infinita, unica & indivisibilis reperietur. Quod omnibus, qui inter imaginationem & intellectum distinguere sciverint, satis manifestum erit: præcipue si ad hoc etiam attendatur, quod materia ubique eadem est, nec partes in eadem distinguuntur, nisi quatenus materiam*

riam diversimode affectam esse concipimus, unde ejus partes moraliter tantum distinguuntur, non autem realiter. Ex. gr. aquam; quatenus aqua est, dividi concipimus, ejusque partes ab invicem separari; at non, quatenus substantia est corporea: eatenus enim neque separatur, neque dividitur. Porro aqua, quatenus aqua, generatur & corrumpitur; at quatenus substantia, nec generatur, nec corrumpitur. At vanissima est hæc distinctio: nam substantia unica considerata per *intellectum* est pura abstractio mentalis nullum habens objectum reale. Substantia considerata per *intellectum* est substantia sine modo existentiæ. Atqui substantia existere non potest sine modo existendi. Seu quod eodem redit, nullæ res existunt nisi res singulares, nullæ cogitationes nisi singulares, nulli motus nisi singulares juxta propositionem 28. primæ partis. Et juxta axioma 5. secundæ partis nullas res singulares præter corpora & cogitandi modos percipimus; quæ omnia pertinent ad naturam *naturatam* juxta scholium propos. 29. & concipiuntur per *imaginationem*. Quid ergo erit natura *naturans*, quæ concipitur per *intellectum*? An substantia sine modo & sine attributis? Sed nulla talis esse nec concipi potest. An substantia cum vi motrice vel vi cogitandi? At juxta Spinosam propos. 28. jam laudata nulla est in unica sua substantia *facultas*, nihil præter *actuales* motus & cogitationes. In scholio ad propos. 48. parte secunda scribit. *Eodem modo demonstratur in mente nullam dari facultatem absolutam intelligendi, cupiendi; unde sequitur has & similes facultates, vel prorsus fictitias, vel nihil esse præter entia metaphysica, sive universalia, quæ ex particularibus formare solemus*. Natura ergo *naturans* quatenus distinguitur a natura *naturata*, est pura abstractio mentalis.

PROPOSITIO SECUNDA.

Substantia unica Spinosæ non est ens infinite perfectum.

PROBATIO.

1. SUBSTANTIA unica Spinosæ vel diceretur infinite perfecta, quatenus est *naturans* & concipitur per *intellectum*: vel quatenus est *naturata* & concipitur per *imaginationem*: sed neutrum dici potest. *Natura naturans* nullam habet facultatem, nullam vim, nullum modum, ut modo dictum est; nihil est aliud quam abstracta idea substantiæ vel extensionis cum abstracta idea cogitationis & virium, quæ *actualiter* tantum existunt in *natura naturata*. Atqui idea abstracta nullum habens objectum actuale non est certe *ens infinite perfectum*, sed *ens rationis*. Neque *natura naturata*, quæ revera sola actualiter existit, est ens infinite perfectum. Nam Spinosa in scholio ad propos. 15. docet extensionem corpoream non constare ex partibus, quia partes finitæ infinitum componere nequeunt. Atqui *naturæ naturatæ* modi sunt finiti. Ergo infinitum nequeunt constituere.

2. Ens infinite perfectum illud dicere solemus, quod habet omnes perfectiones in infinito gradu, scientiam, bonitatem, omnipotentiam, libertatem, imperium; quod nullas ex alia parte habet imperfectiones. Atqui juxta Spinosam unica substantia quovis modo consideretur non habet illas perfectiones, nisi nomine, ut patet ex superiori expositione: habet vero omnes imperfectiones corporum & spirituum, cum ex illis confletur; in Deo existunt omnes figuræ, motusque corporum; omnes sensationes etiam molestissimæ animorum, quas omnes imperfectiones a Deo non amovet Spinosa nisi per vanissimam illam distinctionem *naturæ naturantis*, & *naturæ naturatæ*, vel substantiæ conceptæ per *intellectum* & per *imaginationem*. Sed profecto cum *natura naturans*, seu substantia concepta per

intellectum, sit pura mentis abstractio, seu, ut ejus verbis utar, res factitia & ens metaphysicum ac universale, quod ex particularibus efformare solemus: si nullas habeat imperfectiones, nullas habebit etiam perfectiones.

Nihilominus Spinosa omnibus ferme argumentis metaphysicis supra traditis utitur ad demonstrandam summam perfectionem suæ unicæ substantiæ per *intellectum* conceptæ & in scholio ad propos. sic concludit. *Perfectio igitur rei existentiam non tollit, sed contra ponit; imperfectio autem contra eandem tollit, adeoque de nullius rei existentia, certiores esse possumus, quam de existentia entis absolute infiniti seu perfecti, hoc est, Dei. Nam quando quidem ejus essentia omnem imperfectionem secludit, absolutamque perfectionem involvit, eo ipso omnem causam dubitandi de ipsius existentia tollit, summamque de eadem certitudinem dat; quod mediocriter attendenti perspicuum fore credo*. Hæc pronuntiat *de natura naturante*, cui nullum concedit, neque *intellectum*, neque *voluntatem*, neque ullam omnino *facultatem;* & cujus nomine, quatenus dividitur a *natura naturata*, nihil intelligere possumus præter *extensionem infinitam*, cui essentiæ loco tribuit *potentiam*: nam hæc est propos. 34. *Dei potentia est ipsa ipsius essentia*. Cujus propositionis hanc singularem tradit demonstrationem: *ex sola enim necessitate Dei essentiæ sequitur, Deum esse causam sui per propos.* 11. *& omnium rerum per propos.* 16. *Ergo potentia Dei, qua ipse & omnia sunt & agunt, est ipsa ipsius essentia*. At quid esse potest hæc *potentia*, quæ est *causa* Dei & omnium rerum? Quæ non est vis motrix, nec vis cogitandi, nec ullo modo habet rationem facultatis? Si ullus sensus tam obscuro sermoni tribuendus sit, dicendum erit Spinosam per potentiam illam causam Dei & omnium rerum intelligere *necessitatem existendi*, quam scholastici plerique vocant *gradum constitutivum divinæ essentiæ*, & quam quidam metaphysici *antecedentem* vocant, atque existentiæ Dei *causam formalem*. Adeoque *extensio necessaria* considerata sine ullis aliis perfectionibus erit *ens infinite perfectum*. Hoc tueri, quid aliud est, quam insanire?

Hæc *natura naturans* producit juxta Spinosam *naturam naturatam?* videamus, quo sensu huic summa perfectio tribui possit; quomodo *naturæ* hujus *naturatæ* accessione, una natura effici possit perfectissima. Statuit propos. 16. *ex necessitate divinæ naturæ, infinita infinitis modis* (hoc est, omnia quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) *sequi debent*. Cujus propositionis demonstratio supra descripta est; hæc summa est: *Entis necessarii infinita realitas est. Ergo ex ejus natura infinita infinitis modis sequi debent: id est, sequi debent omnes affectiones possibiles corporeæ, & spiritales*.

Concedimus antecedentem propositionem. Ens necessarium sine dubio habet infinitam realitatem, continet *formaliter* omnes perfectiones, ut loquuntur scholastici, *simpliciter simplices*, & quæ sunt *meliores ipsæ quam non ipsæ;* quæ nullam habent adjunctam imperfectionem, nec aliam perfectionem majorem aut æqualem excludunt. Continet etiam *eminenter* & *virtualiter* omnes perfectiones *simplices*, quæ non sunt meliores ipsæ, quam non ipsæ, vel quæ imperfecti quidpiam habent adjunctum, vel opponuntur perfectionibus excellentioribus: has, inquam, continet *cogitatione & potentia*. Nullo alio modo evolvere ideam entis infinite perfecti possumus, quam accumulando ex una parte omnem veram perfectionem; & ex altera parte omnem imperfectionem & limitationem excludendo.

Sed negamus ex infinita Dei realitate infinita infinitis modis sequi ad sensum Spinosæ, ita ut de illo nihil negari possit. Nam 1. Spinosa de Deo suo quamplurima negat & ea quæ maximam continent perfectionem: quæ nisi Deo negaret, inutile foret ei tribuere gradus entis finitos. Negat in Deo existere intelli-

telligentiam infinitam, sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, libertatem, &c. quas perfectiones cum Deo tribuamus inutile est tribuere ideas, volitiones, vires humanas, & alios quosvis definitos gradus entis. 2. Cum Spinosa nos jubet concipere ens perfectum, ut ens infinitum *extensive*, non *intensive*: loco unius entis ponit collectionem entium innumerabilium cum diversis & distinctis existentiis, quarum una non supponit aliam. Finge atomos Epicuri numero infinitas habere omnes istas perfectiones simplices corporum & mentium; unam esse quadratam, rotundam aliam, aliam triangularem, &c. unam habere unum gradum velocitatis, aliam duos, aliam tres, &c. aliam lætam, aliam tristem, aliam justam, aliam injustam, &c. Quis enim mentis compos dixerit istam discordem multitudinem atomorum esse unum ens in genere perfectionis infinitum? 3. Hæc idea entis finiti *extensive* habet omnes difficultates, quæ adjunctæ sunt extensioni infinitæ, tempori infinito, numero infinito; quæ longe majores sunt, quam quæ adjunctæ sunt ideæ entis perfecti *intensive*. 4. Supra confecimus *perfectiones simplices*, seu modos mentium & corporum esse *arbitrarios* effectus causæ liberæ (*pag.* 137.), neque esse posse modos *necessarios* entis *a se existentis* & *immutabilis*.

THEOLOGIA NATURALIS, DE NATURA DEI.

SECTIO SECUNDA.

De Natura & Attributis Dei.

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura Dei generatim.

Solemus *essentiam* seu *substantiam* Dei ab ejus proprietatibus & attributis dividere; illamque cogitare, uti *substratum* aliquod, cui inhæreant proprietates tanquam accidentia in subjecto. Sed cum hujus *substrati* seu *subjecti*, non in rebus modo divinis, verum ne in naturalibus quidem, quisquam sibi notionem distinctam fingere possit; vane institueretur de illa disputatio: haud minus ac si cœci de coloribus disererent. Per *naturam* igitur Dei hîc intelligimus complexionem divinarum perfectionum, sive attributorum, sive proprietatum; per quas revera nobis innotescit. Tolle ab idea Dei necessitatem existendi, æternitatem, immensitatem, immutabilitatem, intelligentiam, bonitatem, potentiam; omnem ejus naturam sustulisti: sicut si tollas a materia extensionem, soliditatem, divisibilitatem, mobilitatem: nescio an relinquetur idea ullius rei, quam vocare possis *essentiam* materiæ.

Sub hoc igitur titulo instituemus solummodo quæstiones tres. 1. An & quomodo Dei natura & perfectiones cognosci a nobis possunt? 2. An & quomodo divinæ perfectiones sint a se invicem distinctæ? 3. An sit inter Dei atrributa aliquod primum, a quo alia fluere concipiuntur; & quodnam illud sit? Quæstiones has, cum non magnam habeant utilitatem, valde breviter concludemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An & quomodo natura Dei cognosci possit?

Triplex vulgo distinguitur cognitio: *abstractiva* nempe, quæ comparatur non ex rei ipsius contemplatione, sed ex ejus operationibus & effectibus: sic colligitur natura Dei ex admirabili mundi opificio; ad hanc etiam refertur cognitio ex ideis & revelatione. *Intuitiva*, quæ rem spe-

speculatur, ut in se est & immediate: hanc speramus in altera vita. *Comprehensiva* denique alia dicitur cognitio, quæ omnes rei alicujus partes, & rationes complectitur: totamque rei naturam interius perspicit & exhaurit.

Omnis de *intuitiva* Dei cognitione disputatio aliena est a nostro instituto: & de *comprehensiva* Dei cognitione hoc solummodo dicendum habemus, quod finitis mentibus non competat. Quippe cum Deus contineat infinitam realitatem, omnes rationales rerum essentias, omnem veritatem: non potest perfecte & comprehensive cognosci, nisi cogitatione infinita, cujus capax creatura non est, quæ Dei, non creaturæ attributum est. Igitur pauca solummodo addemus de cognitione *abstractiva*, quæ propria est præsentis status.

Plures recentiores nimium videntur deprimere abstractivam hanc cognitionem: negant illam esse ullo modo veram scientiam, seu arripere posse nos ex rebus creatis, aut ex ipsa revelatione ullam sinceram divinæ naturæ notitiam. Aiunt ejus attributa esse *toto genere* disjuncta ab illis perfectionibus, quarum formam habemus in animis, & nos non debere illas attribuere Deo, sensu *univoco*, sed sensu tantum *analogico*; id est, debere nos cogitare, in Deo esse aliquid supra nostrum intellectum, quod respondeat aliqua ratione istis nostris perfectionibus, quamvis cum illis non habeat veram similitudinem etiam *genericam* (*a*). In eadem sententia etiam plures veteres christiani fuerunt, ut Boethius, qui scripsit *Deum non esse vere substantiam: sed ultra substantiam*. Et auctor cœlestis Hierarchiæ, falso nuncupatus Dionysius Areopagita, qui Dei sapientiam vocat *absurdam*, *irrationabilem & stultam sapientiam: quia est ultra omnem sapientiam, & prudentiam*.

PROPOSITIO.

Cognitio abstractiva divinæ naturæ, quam habemus in hac mortali conditione, vera est & sincera: seu ex effectibus naturalibus, ex ideis menti nostræ congenitis, ex creaturarum perfectionibus apprehendimus perfectiones Dei, si non perfecte & quoad modum infinitum, saltem ut in se sunt & quoad speciem.

PROBATIO.

NAm primo, nullo modo intelligitur quomodo perfectiones in Deo esse possint diversi generis & speciei a perfectionibus creaturarum. Scientia enim res una est & immutabiliter eadem in omnibus mentibus; verbi gr. ratio convenientiæ inter tres angulos in triangulo & duos rectos, eadem est respectu omnium entium intelligentium, non enim hæc ratio contrahitur in hominis mente & amplificatur in divina, sed eadem in utraque est, quia æque est necessaria & immutabilis, ac ipse Deus. Sic etiam justitia res est constans & uniformis: est siquidem constans voluntas sequendi in agendo immutabilem rerum ordinem. Sicut igitur hic ordo rerum est regula uniformis, constans, flecti nescia; necesse est justitiam esse ejusdem generis in omnibus mentibus. Sic quoque benevolentia ejusdem generis & speciei est in Deo & homine: quid enim in quopiam ente esse potest, quam voluntas benefaciendi vel felicitatem communicandi? Idem de potentia aliisque omnibus divinæ naturæ virtutibus dici potest.

2. Si divinæ perfectiones essent diversi generis ab illis quas in creaturis deprehendimus, vel quas cogitando assequi possumus, ista nostra *analogica*, uti vocatur, cognitio, revera non esset cognitio. Verbi gratia, tametsi possimus hominem a nativitate cœcum testimonio hominum & multiplici experientia convincere, esse in hominibus aliis sensum, quo

(*a*) Vide lib. qui inscribitur anglice: The procedure, extent and limits of human understanding.

quo ipse caret, visionis videlicet, quo corpora distantia apprehendere possunt; tamen ista ejus convictio & persuasio non potest dici cognitio visionis. Atqui analogica cognitio est prorsus ejusdem generis ac ista cognitio hominis cœci, quia divinæ perfectiones supponuntur toto genere disjunctæ a perfectionibus nobis cognitis, sicut facultas videndi dividitur natura ab aliis sensibus, quorum cæcus notitiam habet.

Præterea quomodo in ista Christianorum quorumdam sententia homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei? Hæc certe similitudo in nulla re potest consistere quam in similitudine perfectionum. Quomodo Deus proponi nobis posset in exemplum, quod debeamus imitari? Scriptum est: *sitis imitatores Dei. Sitis misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est. Sitis perfecti, sicut pater vester perfectus est.* Si harum perfectionum nullam haberemus veram notionem, nostræ imitationis objectum esse non possent: nam ille qui imitando assequi aliquid conatur, debet id cognoscere quod imitatur. Cum etiam in scripturis sacris hominum judicium appellat Deus circa suas agendi rationes, si ejus perfectionum moralium notionem nullam rectam habeamus? Cur ait apud Isaiam? *Habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam.* Cur apud Ezechielem? *Audite ergo Domus Israel: numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt?* Cur denique in iisdem scripturis refertur viros sanctos divinarum perfectionum notiones sibi efformasse & judicasse quid Dei justitiæ conveniret, quid non conveniret? Cur Abraham sic cum Deo contendit? *Numquid perdes justum cum impio? .... Absit a te ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius: non est hoc tuum qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.* Cur Jeremias Dei nomine hæc præcipit? *Hæc dicit Dominus: non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur: scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & judicium & justitiam in terra: hæc enim placent mihi, dicit Dominus.* In quo loco asseritur in eo positam esse omnem hominis gloriam, quod divinis perfectionibus cognoscendis par sit.

3. Denique nulla ratio cogit nos hanc simplicem & obviam divinæ naturæ explicationem deserere: & ad illam obscuram & tenebricosam rationem analogicam recurrere. Perfectiones quidem Dei sunt omnes necessariæ, æternæ, independentes, immutabiles, perfectæ, infinitæ; in creaturis vero sunt contingentes, temporariæ, dependentes, mutabiles, imperfectæ, finitæ. Sed denominationes istæ afficiunt solummodo *modum* & *gradum* perfectionum, non ipsam *speciem*. Nam primo quod existit dependenter, vel in tempore, vel mutabiliter, habet certe realem existentiam, sicut id quod necessarium est, independens & æternum. Cognitio vel potentia dependens & nova est tamen cognitio & potentia; non quidem cum istis adjunctis quæ afficiunt modum existendi in Deo; sed tamen ejusdem generis. Nam abstracta idea cognitionis & potentiæ, quæ genus constituit, tam potest applicari cognitioni & potentiæ dependenti & mutabili, quæ heri orta est & cras cessabit; quam cognitioni & potentiæ independenti & immutabili, quæ nunquam esse cœpit neque interibit. Secundo, non differunt genere perfectum & imperfectum, sed gradu tantum, secundum majus & minus. Potentia perfecta est facultas quidlibet efficiendi, seu potentia sine adjuncta imbecillitate ulla: potentia imperfecta, est facultas quædam efficiendi. Sic scientia perfecta, est perceptio omnium rerum possibilium & rationum omnium, quæ sunt inter res possibiles, id est, scientia sine ignoratione, scientia imperfecta est cognitio aliquarum tantum rerum, & quarumdam tantum rationum inter illas res:

hæc

hæc ſane non genere ſunt diſtincta, ſed gradu. 3. Denique non differunt genere infinitum & finitum: tum quia finitum & infinitum idem omnino ſunt ac imperfectum & perfectum, quæ non differre genere modo diximus. Tum etiam quia ubi dicimus Dei perfectiones ſcientiam & potentiam eſſe infinitas, hominis ſcientiam & potentiam eſſe finitas, ſupponimus eſſe ſimilitudinem aliquam genericam: alias nullo modo utraſque poſſemus comparare. Nam ſi divinæ perfectiones eſſent toto genere disjunctæ a noſtris, ut ſonus a colore; non magis dicere poſſemus in Deo eſſe ſcientiam infinitam, quam dicere poſſumus viſionem eſſe ſonum infinitum: hi termini igitur finitum & infinitum nedum includant diſtinctionem in *genere*; e contrario applicari non poſſunt, niſi rebus quæ habent hanc genericam ſimilitudinem. Ergo cum informare animis volumus Dei diſtinctam ideam, hoc ſolummodo cavendum eſt, ne defectus & limitationes, quæ modum finitum noſtrarum perfectionum comitantur, illi tribuamus. Noſtra cognitio, v. g. oritur ex ſenſatione, vel reflexa cogitatione, vel ex diſcurſu: non ſic cognoſcit Deus. Omnibus noſtris affectibus adjuncta eſt perturbatio quædam, quæ a Deo omnino exulat, &c.

QUÆSTIO SECUNDA.

An & quomodo attributa divina inter ſe diſtinguuntur.

Incidimus hic in controverſiam ſcholæ celeberrimam, quam omnino prætermittere nefas foret, tamen non tantam habere videtur utilitatem, ut in illa expendenda multum immoremur; & præterea ejus determinatio pendet ex interiori Dei eſſentiæ notitia, a qua profecto longiſſime diſtamus.

Duplicem ſcholaſtici diſtinctionem eſſe docent; aliam *realem*, quæ intercedit etiam nemine cogitante inter entia realia: aliam *rationis*, quæ fit per mentem in re ſimpliciſſima.

Diſtinctio realis triplex diſtinguitur: alia *major* dicitur, nempe quæ eſt inter diverſas ſubſtantias, ut inter corpus & animam; vel inter ea quæ relative opponuntur, ut inter tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis. Alia *minor* vocatur quæ eſt inter rem & ejus modum: quæ ita inter ſe differunt, ut ſubſtantia ſine iſto modo eſſe poſſit, non vice verſa: ita corpus diſtinguitur a figura ſua. Alia denique *formalis* nuncupatur, quæ intercedit inter illa, quæ unam eandemque habent exiſtentiam, ut inter duas proprietates inſeparabiles ejuſdem ſubſtantiæ: quales ſunt in Deo ſcientia & potentia.

Diſtinctio *rationis* duplex: alia *rationis ratiocinantis*, quæ fit per mentem ſine ullo in ipſa re fundamento & ſolummodo naſcitur ex imbecillitate mentis, quæ totum objectum, licet ſimpliciſſimum, unica cogitatione complecti nequit. Alia dicitur *rationis ratiocinatæ*, quæ non ſolum fit per mentem ex imbecillitate, ſed etiam quia eſt in re fundamentum diſtinguendi: & ideo cum in re ipſa ſpectatur, vocatur *virtualis*.

Qui inter Theologos ſcholæ *nominales* olim dicti ſunt, negabant aliam inter divina attributa diſtinctionem admittendam, præter diſtinctionem *rationis ratiocinantis*. Qui *Thomiſtæ* dicuntur, ſuam fecerunt diſtinctionem *rationis ratiocinatæ* ſeu *virtualem*. *Scotiſtæ* acriter defendunt diſtinctionem realem formalem. At revera duplex tantum eſſe poteſt de hac re ſententia, neque ullo modo niſi nomine differunt *Thomiſtæ* & *nominales*. Nam eodem plane redit, ſi dicas cum his, adeo eſſe *imperfectam mentem humanam*, ut non niſi ſub diverſis & inadæquatis formis Deum valeat aſſequi, an vero dicas cum Thomiſtis adeo eſſe *perfectum Deum*, ut non niſi ſub diverſis & inadæquatis formis a mente poſſit intelligi. Utraque diſtinctio rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ eodem modo definitur apud utramque familiam: eſt diſtinctio mentalis rei in ſe ſimpliciſſimæ ratione *connotati* ſeu *effectuum*, quos al-

aliquo modo respicit. Iisdem quoque exemplis familia utraque ad explicandam suam sententiam utitur. Commune est exemplum, virtus solis liquefactiva ceræ & indurativa luti. Fundamentum legitimum distinguendi quod admittunt Thomistæ, nihil aliud est quam summa Dei perfectio, seu æquivalentia pluribus causis; quam perfectionem & æquivalentiam *Gersonus* & cæteri *nominales* nunquam negaverunt. Sed magis proprie loquentes dicebant causam distinctionis esse imbecillitatem ingenii humani; non summam Dei perfectionem: alias Deus ipse sua attributa cogitatione divideret.

Sententia quæ mentalem tantum distinctionem admittit, eo quod simplicitati divinæ magis faveat, majorem Deo perfectionem attribuere videtur. In hac opinione Deus unico & simplicissimo actu omnia intelligit, vult, agit: omnes proprietates divinæ, quamvis nobis variæ videantur ac multæ, reapse tamen unum idemque sunt: non secus, atque solis lux, una licet sit & simplicissima, tamen si incidens in nubem frangatur, oculis nostris speciem præbet Iridis variis distinctæ coloribus. At revera nobis, qui ex perfectionibus mentium creatarum & variis ideis, divinæ naturæ notionem informamus, omnino est incomprehensibilis hæc simplicitas: neque ex nulla re argumentum pro simplicitate non intelligibili, cujus nulla extra Deum repræsentatio est, capere possumus: eum Scotistis hæc argumenta sese offerunt. Primo, perfectiones mentis divinæ & mentium humanarum sunt *ejusdem generis*, & tantum differunt *modo* existendi & *gradu*. Sed perfectiones mentium humanarum sunt formaliter distinctæ; scientia in animo distinguitur formaliter a volitione & potentia. Deinde conceptuum diversitas unicum est criterium diversitatis entium; sic omnes res distinguimus: sed divina attributa diversimode concipiuntur. Scientia & vis creatrix res nobis tam distinctæ videntur, quam circulus & triangulum. Sicut varia de triangulo affirmare licet, quæ circulo non conveniunt, v. gr. quod trianguli capacitas sit minima omnium figurarum, circuli vero capacitas maxima: sic etiam contraria de scientia & vi creatrice affirmamus. Scientia cuncta possibilia necessario complectitur & habet immutabile objectum. Vis creatrix ad pauca se extendit eaque mutabilia; nec necessaria. De hac insolubili quæstione hæc sufficiant, de qua etsi longiorem institueremus disputationem, nihil ad clariorem rei intelligentiam afferre possemus.

QUÆSTIO TERTIA.

An sit inter attributa Dei aliquod primum a quo cætera fluere cogitemus, & quod sit quodammodo divinæ essentiæ constitutivum.

Circa quæstionem hanc satis otiosam, sed quam scholæ consuetudo sacram fecit, tres sunt Theologorum sententiæ. Thomistæ contendunt *intellectionem* in Deo esse primum istud attributum, constitutivum divinæ essentiæ; sed inter ipsos lis est, utrum intellectio *radicalis* seu facultas intelligendi, an intellectio *actualis*, hoc nomine donanda sit. Scotistæ vero pro *infinitate* dimicant. Sed a Theologis vulgo ad hunc honoris & dignitatis gradum præ cæteris omnibus perfectionibus effertur *necessitas existendi*.

PROPOSITIO.

Necessitas existendi, inter Dei attributa illud est, quod potiori jure dici debet gradus divinæ essentiæ constitutivus.

PROBATIO.

NAM illud attributum præ cæteris omnibus diei debet gradus divinæ essentiæ constitutivus quod in Deo primum est; quod Deum a quovis alio maxime dividit; quod a nobis concipitur ut fons & origo cæterarum omnium perfectionum, ita ut possint ex illa a priori demonstrari. Atqui 1. necessitas existendi est quid primum in Deo, nihil enim concipimus prius, quam ipsum esse.

se. Prius est *esse*, quam *esse intelligens*, quam *esse infinitum*. 2. Illud attributum, magis quam alia quævis perfectio Deum dividit a quovis alio ente: nam entis divisio prima & maxime obvia atque generalis, illa est, entis per essentiam & entis per participationem; nullæ sunt res magis oppositæ, quam res necessaria & res contingens, quæ se habent, ut ens & non ens. Quippe ens necessarium est ens simpliciter, ens vero contingens, dependens & precarium est primordialiter tantum possibile seu non ens. *Intellectio* certe quam defendunt Thomistæ non adeo dividit Deum & alia entia, cum istam perfectionem omnes mentes participent. Nec *infinitas* seu *summa perfectio*, cum sit quidam modus existendi, nunquam adeo disjunctus esse potest ab alio modo existendi; ac ipsa essentialis existentia Dei est a naturali, ut ita loquar, non entitate aliarum omnium rerum.

3. Necessitas existendi adeo est fons & radix nostro concipiendi modo omnium perfectionum divinarum, ut ex illa omnes demonstrentur a priori. Hoc enim jam supra confecimus, ubi probavimus existentiam entis perfectissimi ex necessitate existendi. Idem omnis sequens disputatio efficiet in qua singulas Dei perfectiones ex hoc principio derivatas fluere ostendemus.

Hinc intelligitur quam consentiens veræ philosophiæ sit narratio instituta in Genesi, in qua scribitur Deum, quærenti Moysi, *quis esset*, & quod *nomen* haberet, respondisse, se esse *ens per naturam* seu *ens necessarium*: *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De divinis Attributis.

Attributa Dei in tres classes commode tribui possunt: Prima continebit illa attributa, quæ concipiuntur ut modi existendi entis necessarii, quæque ita pertinent ad substantiam a se existentem, ut nequeant communicari creaturis: ideo illa appellabimus *attributa incommunicabilia*: qualia sunt *infinitas*, *æternitas*, *immensitas*, *immutabilitas*, *unitas*. Secunda Classis illa habebit, quæ concipiuntur, non ut modi entis necessarii simpliciter, sed ut modi entis viventis, vel ut facultates seu virtutes: talia sunt *vita*, *scientia*, *voluntas*, *potentia*, *libertas*, *felicitas*. Hæc attributa, quoniam participantur a creatis mentibus, dicemus *attributa communicabilia*. Tertia, illa denique complectetur, quæ habent habitudinem seu relationem cum *lege æterna* & *immutabili*, quæque propterea *moralia* dici possunt qualia sunt *sapientia*, *sanctitas*, *bonitas*, *justitia*. Hæc vero attributa moralia cum sint exercitatio attributorum secundæ classis, proprie pertinent ad disputationem de divina providentia, & propterea in subsequenti sectione de illis differemus.

De atttibutis Dei incommutabilibus.

De infinitate Dei.

Infinitum, si ad grammaticalem nominis potestatem attendas, videtur esse quid mere negativum: carentiam enim termini ac finis sonat; & revera hunc habet sensum cum applicatur abstractis notionibus rerum finitarum, ut temporis, extensionis, numerorum, velocitatis, &c. Finitæ naturæ & earum proprietates cum absolutam & veram infinitatem assequi nunquam possint & semper incrementorum capaces sint, earum magnitudo abstracte considerata est negative infinita seu caret terminis. At infinitum Philosophice consideratum est aliquid maxime positivum, cum nihil sit aliud quam *summa & absoluta perfectio* (*Vide pag.* 154.).

Duo quæri possunt, an Deus sit infinitus seu summe perfectus? Et quomodo intelligenda est summa Dei perfectio? utrique quæstioni jam satisfecimus. Priori, in argumentis metaphysicis existentiæ Dei (*Vide pag.* 137.), ubi ostendimus

mus rem eam, quæ certis tantum gaudeat perfectionibus, non omnibus; aut finito quodam perfectionum modo & mensura; voluntate causæ effectricis ad illam finitam & arbitrariam amplitudinem determinatam esse: adeoque naturam primam, quæ nullam agnoscat causam limitantem, habere omnes perfectiones. Posteriori quæstioni respondimus præsertim in disputatione de systemate Spinosæ, ex qua colligitur, Deum eo sensu esse infinitum, quod habeat *formaliter* omnes perfectiones *puras* & *absolutas*, quas scholastici vocant *simpliciter simplices*, id est, illas omnes, quæ nullam habent sibi adjunctam imperfectionem, nec ullam aliam excludunt perfectionem; qualis est, verbi gratia, *scientia perfecta*. Quod contineat tantum *virtualiter*, id est, uti effectus est in causa perfectiones *simplices* seu *secundum quid*, quæ quidpiam imperfecti habent ex sese, aut alteri perfectioni seu æquali, seu majori opponuntur; quales sunt motus, figura &c.

De æternitate Dei.

Sit aliquod ens necne, cui nec ortum, nec interitum tribuere possimus, & quod proinde æternum sit, nullus unquam negavit. Sed cum in tempore omnia quæ novimus *successive* durare videantur; ejusdemque durationis notionem quandam adjunctam habeat omnis mentis actio, aut passio; ardua & difficilis extitit quæstio de divina natura, *an successive duret*. In diversas abiere partes viri gravissimi in omni retro antiquitate & etiam nunc in hac ætate nostra: alii statuunt naturam divinam simplicem & immutabilem, omnia semper eodem ac unico actu intelligentem & volentem, nullo modo successive durare, nec ullam temporis continuationem sibi adjunctam habere. Deus juxta hos ipsius temporis, omniumque temporalium parens, nec fluit, nec labitur; sed in constanti stabilitate sua labentem omnium temporum seriem; idque quod nos mortales tempus præteritum, præsens & futurum nominamus, simul continet. Negant tamen hanc stantem æternitatem concipi debere ut breve quoddam temporis momentum, quod consistit, vel informandam esse illius ideam ex rerum mutabilium duratione: habere quamque rem pro sua indole & natura durationem propriam; ideoque rerum quarum imperfecta natura fluminis instar decurrit, perpetuisque motibus & vicissitudinibus agitatur, duratio necessario succedens est, præteriens, & fluens: hæ naturæ perpetuo ex præterito tempore in præsens descendunt, semper futurum spectant, semper denique eventurum esse aliquid, quod nondum adest, sed appropinquat, vel sperant, vel metuunt. Verum id quod stabili gaudet & immobili natura, ejus quoque duratio stabilis, nullique fluxui obnoxia esse debet: nunquam illud, ejus quod possidet, amittit aliquid vel relinquit; nunquam, ut consequatur aliquid, cujus nondum compos est, procedere pergit. Plato (*a*) olim & tota ejus familia, aliique maximi nominis apud antiquiores in hac fuere opinione: inter quos Boethius, cujus maxime probata est hæc æternitatis definitio. *Est* juxta eum *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*.

Alii contra, illique gravissimi viri de religione etiam optime meriti hanc non capientes sententiam, nimiæ illam subtilitatis arguunt & rotunde statuunt æternitatem esse durationem successivam seu tempus infinitum.

In hac difficili quæstione, quæ humani ingenii vires longe superat, vix quicquam

(*a*) *Erat*, *est & erit*, partes sunt temporis, & male illa transferimus ad æternam naturam; huic *est* tantum competit; *erat* vero & *erit* pertinent solummodo ad res in tempore fluentes, sunt enim motiones. Illa semper immobilis natura nec senior, nec junior ullo modo esse potest. In Timæo p. 37. Vide Philonem Judæum, Proclum, Plotinum, Simplicium, Plutarchum. Hanc quoque opinionem secuti sunt plerique Ecclesiæ Patres & omnes ferme scholastici.

quam satis exploratum possumus affirmare, præter hoc solum, esse ens ortu & fine carens: quod prima propositione breviter confirmabimus. Et cum verisimilior videatur, & authoritate magnorum virorum magis confirmata sententia prior, etsi conceptu difficilior, illam etiam paucis adstruere conabimur.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus est ens æternum, seu principio & fine caret.

PROBATIO.

1. DEus est ens necessarium, seu interna necessitate existit, seu necesse est Deum existere. Atqui quod necesse est existere, id nunquam non fuit, & nunquam non futurum est.

2. Deus si non sit æternus, aliquando habuit initium. Atqui habere initium non potuit. A quo etenim? Non ab alio, cum sit ens primum. Non a seipso; nulla res sibi dare potest existentiam, cum rei non existentis nulla virtus, nulla efficacia sit.

3. Id pro vero habendum est, in quo omnes consentiunt. Atqui, ut Boethius notat lib. 5. de consol. phil. prosa 6. *Deum æternum esse cunctorum ratione utentium commune judicium est*. Et Cicero etiam observavit, *naturam*, *quæ Deorum informationem nobis dedit*, *eandem menti nostræ indidisse*, *Deos esse beatos & æternos*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Æternitas Dei non est duratio successiva sine principio & fine, seu tempus infinitum.

PROBATIO.

1. SI æternitas sit successio infinita momentorum semper fluentium seu tempus infinitum, duo contradictoria affirmari possunt: videlicet infinita sæcula jam esse præterita & non esse præterita. Infinita præterierunt ex hypothesi, nam tempus infinitum supponitur. Præterita tamen sæcula nullo modo sunt infinita, nam illorum numerus novis advenientibus sæculis perpetuo augetur; & illud tantum infinitum est, cui addi nihil potest. Sic etiam affirmari potest ab origine divina nativitatem hominis esse infinite distantem & non esse. Erit enim infinite distans ex hypothesi, cum intercedant infinita sæcula. Non erit profecto: nam illa omnis duratio, quæ est præterita, fuit aliquando præsens, alias non esset præterita; sed quod præsens fuit non potest a nobis intervallo infinito distare; numero potest designari aliquo distantia, uti manifestum est.

2. Duplex æternitatis pars distingui potest; illa quæ jam præterita est, quæ dicitur æternitas a *parte ante*: & illa quæ est futura, quæque dicitur æternitas a *parte post*. Ejusdem prorsus naturæ sunt hæ duæ æternitates & eadem ratione illas animo informamus. Nam informamus notionem æternitatis *a parte post*, cum cogitamus ens aliquod posse durare ultra quodvis temporis futuri spatium. Et informamus notionem æternitatis *a parte ante* cum cogitamus ens aliquod potuisse existere ante quodvis determinatum temporis intervallum. Atqui absurdum est dicere æternitatem a *parte post* posse unquam evolvi, quoniam infinitum non potest exhauriri. Ergo æque absurdum est dicere æternitatem *a parte ante* jam evolutam esse, quia exhaustum supponeretur infinitum.

Objicies. Pervertit omnes maxime communes notiones sententia hæc, ponit pro divino attributo quiddam minime intelligibile; & est obnoxia insuperabilibus difficultatibus.

Respondeo hosce characteres esset totidem notas veritatis. 1. Nec debent nec possunt in hac disputatione communes notiones in divinam naturam transferri. Nullam habemus ideam durationis, nisi illius fluentis & perpetuo labentis creaturarum finitarum, quarum existentiæ par-

partes omnes aliquando futuræ erant, postea præsentes sunt, & aliquando erunt præteritæ. Talem durationem infinitam nunquam evadere posse, videmur clare intelligere: nam quantumvis remotam temporalis rei originem concipiamus, nunquam poterimus efficere ut non cogitemus omnia momenta durationis istius successivæ & prætereuntis fuisse præsentia: & consequenter illam originem haud magis infinite distantem cogitare possumus, quam numerum infinitum compositum ex successiva unitatis additione: vel aliquid in spatio infinito collocatum, quod a nobis infinite distet seu cujus distantia metiri non possit. Hæc enim notio temporalis durationis valde accurata est, & nunquam errabimus quamdiu illam applicabimus entibus tantum mutabilibus & finitis. Ex ea concludere licet mundum non esse æternum, non esse infinitas generationes, &c. sed illa non magis Deo convenit, quam idea mutationis & fluxus perpetui.

2. Est etiam character veritatis in hac sententia quod modus existentiæ necessariæ sit incomprehensibilis. Quid enim verius est, quam infinitum Deum necessarium & immobilem non posse comprehendi a finitis mentibus? Et præsertim ubi non agitur de perfectionis alicujus specie, sed modo; qui tantum distare debet a modo nostrarum perfectionum, quantum independentia a dependentia, necessitas a contingentia, immutabilitas ab inconstantia, infinitum a finito.

3. Non mirum est, quod res a nostris sensibus disjunctæ & abhorrentes a communibus notionibus, multis videantur difficultatibus obnoxiæ, ubi ad illarum communium notionum trutinam expenduntur. Sed male hoc tentatur, recusamus illam normam, nullas ex illis ortas objectiones admittimus, nisi ubi agitur de specie attributorum, quam quidem ex animi nostri sensibus & virtutibus utcunque apprehendimus; sed modum nullo modo. v. g. scientiam esse in Deo concludo & utcunque apprehendo ex humana intelligentia; sed quomodo Deus cognoscat, eadem ratione intelligere non possum. Sic quoque existentiam Deo tribuimus, eamque necessariam, quam autem connexionem habeat eum successione temporis plane nescimus.

De immensitate Dei.

Easdem, quas in superiori disputatione, hic difficultates experimur & ex eodem fonte natas. Deum a nulla re abesse facile concedunt omnes, qui illius agnoscunt existentiam, sed in explicando modo divinæ immensitatis magna dissensio est. Cum ea omnia corpora inter quæ versamur spatium quoddam aut locum replere videantur, & cum omni rei, cujus habemus distinctam notionem, sit conjunctus loci, quo contineatur, sensus; difficilis nascitur quæstio: *an Deus etiam cum spatio diffundatur*. In diversas partes abiere tum Philosophi, tum Theologi. Quidam Deum, omnemque naturam cogitantem ita simplicem censent, ut neque cum spatio coextendi, aut locum quemvis occupare possint; quod hoc sine partibus vere diversis, utcunque similibus & cohærentibus, concipi nequeat: & ex eo confirmant opinionem suam, quod spirituum affectiones & vires omnes, sensus, cogitatio, conscientia, &c. nullo modo per locum extensum porrigi videantur. In hac sententia tota fuit Platonis schola (*a*) cum Aristotele aliisque bene multis veteribus Philosophis,

N 2

(*a*) Tertium genus locus est, qui omnibus quæ gignuntur sedem exhibet.... cum ad hunc animo respicimus, somniamus quodammodo, necessariumque putamus, ut quidquid est, in aliquo sit loco positum; & quod neque in terra neque in cœlo sit, minime esse credimus: hoc somnio & imaginatione adeo tenentur homines constricti, ut hæc & similia etiam a pervigili vereque existente natura dividere non valeant. *Plato in Timæo*, *p.* 535, Deus non in alio quodam est, non in terra non in cœlo, sed idipsum, per seipsum, cum seipso uniforme sem-

phis, hanc quoque ſecuti ſunt ferme omnes Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores.

Alii haud pauci doctiſſimi viri negant debere nos a communibus notionibus & a luce quodammodo ad tenebras animos transferre: & contendunt exiſtere neceſſario ſpatium infinitum & æternum, quod omnes res corporales & ſpiritales contineat; quodque nihil aliud ſit, quam ipſa divina immenſitas. Quandoquidem hujus immenſitatis ſpatioſæ notionem nulla poſſimus induſtria ex animis noſtris extirpare; hoc argumento eſſe ajunt, pertinere illam ad ens neceſſarium, cui exiſtentiam ſine contradictione denegare non poſſumus. Hi igitur Philoſophi res omnes formaliter extenſas aſſerunt & in quadam *condenſatione* ſubſtantiarum differentiam ponunt. Deo propriam eſſe extenſionem infinitam & ſubtiliſſimam; ita ut quasvis alias ſubſtantias facile penetrare queat: materiam vero eſſe extenſionem maxime craſſam & ſolidam: & inter Deum & materiam innumerabiles ſubſtantias poſſibiles eſſe, quarum ſubtilitas magis vel minus a ſumma Dei ſimplicitate recedit, & quæ propterea etiam magis vel minus activæ ſunt. Hujus opinionis patroni inter veteres plures extiterunt, & a recentioribus aliquibus Philoſophis præſertim inter Anglos Newtono, Clarkio, Lockio, aliiſque defenſa fuit: quorum quædam placita ſunt multum abhorrentia a receptiſſimis notionibus. Nempe Newtonus inter quęſtiones, quas propoſuit in fine optices, hanc habet: *An non ſenſorium animalium eſt locus cui ſubſtantia ſentiens adeſt, & in quem ſenſibiles rerum ſpecies per nervos & cerebrum deferuntur, ut ibi præſentes a præſente ſentiri poſſint? . . . . . . An non ex phænomenis conſtat eſſe entem incorporeum, viventem, intelligentem, omnipræſentem, qui in ſpatio infinito, tanquam ſenſorio ſuo, res ipſas intime cernat, penituſque perſpiciat: totas intra ſe præſens præſentes complectatur; quarum quidem rerum, id quod in nobis ſentit & cogitat, imagines tantum ad ſe per organa ſenſuum delatas, in ſenſoriolo ſuo percipit & contuetur?* Novimus etiam eosdem Philoſophos, etſi mentem ſuam clare nunquam libris vulgaverint, exiſtimaſſe, Deum in creanda materia nihil aliud egiſſe, niſi hoc unum: nempe effeciſſe ut pars ſuæ immenſitatis ſolida exiſteret. De qua opinione conſule notam editoris gallici in librum quartum Lochii.

Non defuerunt aliqui, qui mediam inter has oppoſitas ſententias viam inſiſtere voluerunt; quique hoc modo utrosque componere tentarunt. Docent Deum quidem prorſus non extendi, ſed tamen ubique in ſpatio infinito diffuſum eſſe, ita ut totus ubique præſens ſit. Finitas etiam mentes, tametſi parte ſui interiori non ſint diſtentæ, ſemetipſas tamen in certam quandam extenſionis externæ ſeu loci amplitudinem diffundere, per quam ita certo cuidam ſpatio alligatæ ſunt, ut ſimul totæ in ſingulis ejus partibus adſint. Hincque nata eſt diſtinctio celebris, *ubi circumſcriptivi*, quod corporibus, & *ubi definitivi*, quod ſpiritibus convenit. Hanc ſententiam ſcholaſtici ſecuti ſunt, quæ valdè obſcura & ſubtilis eſt, nihilque aliis referre videtur, niſi voces ſenſu vacuas, vel conſociationem idearum repugnantium. Quomodo enim, ajunt, res quædam in amplitudinem loci ſe ſe poteſt extendere & tamen non eſſe extenſa, extenſionem occupare & replere ſine extenſione?

Nos vero tantas dirimere lites nullum mortalem poſſe putamus, & hanc ſolam in his quæſtionibus utilitatem quærendam eſſe, ut tenuitatis noſtræ conſcientia excitetur, & ingenii deprimatur arrogantia. Verum quoniam prior opinio, etſi

ſemper exiſtens. Cætera vero omnia, quæ pulchra ſunt, illius participatione pulchra ſunt. *Idem ſymp. p.* 331. Vide *Ariſtotelem phyſ. cap. ultimo & in libris metaphyſ. & de anima*, *Plotinum*, *Simplicium*, *Porphyrium*. Unde mirum eſt Baylium Dict. crit. t. 4. art. *Simonide* & alibi aſſeruiſſe hanc doctrinam ante Carteſium a nemine defenſam fuiſſe.

etsi obscurior, non tot patet incommodis, magisque habet approbationem Philosophorum maximorum, illam, post assertum breviter divinæ immensitatis dogma, defendemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus est immensus seu rebus omnibus, tum corporeis, tum spiritualibus, intime præsens est.

PROBATIO.

1. DEus est ens necessarium, seu ens quod existit ex interna & absoluta necessitate, quam nulla vis coercet. Atqui tale ens necessario immensum est, seu a nulla re potest abesse. Nam absoluta necessitas æqualiter exigit, ut sit ubique, ac ut sit alicubi: contradictionem involvit, ut possit ab aliquo loco abesse, quia aberit sine causa. Pone uni tantum loco adesse, tollis uniformem illam, absolutamque necessitatem, quæ supponitur causa existendi interior, & inducis arbitrium seu arbitrariam determinationem unius loci, cui adsit, præ omni alio.

2°. Deus est ens infinitum & perfectissimum. Atqui ens infinitum & perfectissimum a nulla re vel loco potest abesse, id enim nec infinitum cogitatur, quod ullis terminis circumscribitur; nec perfectissimum, quod caret excellenti proprietate ubique existendi.

3. Deus est omnium rerum fabricator, est omnium operationum naturalium primus author, est omnium substantiarum adminiculum, ita ut nequeant sine ejus virtute existere. Atqui divina virtus agere non potest, ubi ipse Deus præsens non est & quodammodo in distans: quia nihilum non potest agere. At ubi substantia Dei non est, ibi est nihilum Dei.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus non est formaliter extensus, seu spatium, quod fingitur infinitum, non est divina immensitas.

PROBATIO.

ID efficitur illis rationibus, quibus probatur animos omnes nullo modo extensos esse.

1. Si spiritus omnis extensus sit, necesse est aut quamlibet animi extensi partem esse animum & partis ejusmodi quamlibet partem esse quoque mentem, aut non esse. Atqui utrumque absurdum est: primum quidem; nam si nulla pars animi extensi animus est, propriaque sibi intelligentia valet; certum est omnino, neque totum quod ex omnibus his constat partibus, mentis particeps esse posse: quia ex nihilo nihil fit. Coagmentatio rerum vita vacuarum seu in quibus est nihilum vitæ, non potest continere vitam, non magis quam ex collectione rerum non extensarum potest componi extensio. Cum totum aliquid nihil revera sit, quam partium collectio; differre natura a partibus non potest. Secundum etiam dici non potest: nempe singulas animi extensi partes esse totidem animos, qui sua gaudent intelligentia atque vita; quia tunc tot essent mentes, quot partes: in qua hypothesi omnes essent supervacaneæ præter unam: & præterea intimo sensu intelligimus rem, quæ in nobis est particeps cogitationis, non esse multiplicem.

2. Sic concicere licet: Si spiritus qui sentit ac percipit in nobis extensus esset, partesque haberet extra partes, unum ex his tribus affirmandum est: aut quamlibet naturæ hujus extensæ partem objectæ rei partem tantum percipere; aut singulas ejus partes totam rem objectam comprehendere; aut denique unum quoddam punctum esse individuum, quod singulas objectæ rei partes & totum simul percipiat, ad quod tanquam ad centrum omnes reliquæ partes tanquam totidem

tidem lineæ tendunt. Atqui primum dici nequit; quia tunc nihil erit in nobis, quod rem universam comprehendat; partes comparet cum partibus. Secundum etiam dici nequit: tunc enim quotquot animus punctis constabit, toties rem unam eandemque totam percipiet; id est, infinitæ unius rei perceptiones simul exorientur in nobis, & erit quisque spiritus multitudo personarum percipientium. Tertium verò eligere, est incidere in sententiam eorum, qui negant spiritus esse extensos: nam punctum individuum esse extensum nequit. Et præterea ejusmodi punctum in re extensa, juxta omnes Philosophos qui continui divisibilitatem in infinitum admittunt, nullum est. Aliunde non intelligitur, quare in eadem re extensa unicum punctum sit cogitans, alia non sint: neque etiam quomodo minimum istud punctum complecti valeat tantam rerum varietatem quantam percipimus.

3. Constat experientia esse in animis multarum rerum species, quæ imaginande nequeunt informari; ideoque nec longitudinis aliquid, nec latitudinis, nec crassitudinis habent, quales sunt notiones virtutum & vitiorum. Fingimus etiam animo formas potentiarum & virtutum, nunc crescentium, nunc imminutarum; quibus omnibus nihil extensionis inest. Omnes abstractæ rerum essentiæ dividi nequeunt. Quin etiam, mens nostra ipsas res extensas, nec extense, nec dividuo percipit: Si spatium mille passuum animo tecum expendas, non plus loci cogitatio hæc occupat in animo, aut animum magis dilatat, quam si de exapeda vel pede cogites. Atqui si illa res, quæ in nobis sentit ac percipit, esset natura extensionis particeps, haud ea cuivis rei, quam sentimus, æque esset accommodata, nec simili plane modo rerum majorum & minorum notiones animo informaret: minime vero omnium, res omni omnino magnitudine vacuas cogitando sibi effingeret, immo nullæ tales intelligibiles essent. Hanc argumentationem Aristoteles putat nulla via elevari posse.

4. Si spiritus finiti essent formaliter extensi, essent etiam *corporei*, quia certe haberent omnes corporum proprietates. Essent primum *extensi* ex hypothesi; essent etiam *figurati*, nam haberent extensionem terminatam seu circularem, seu triangularem, seu quadratam, &c. certe extensio finita sine figura esse nequit. Essent etiam *mobiles*, possent transferri de loco in locum; & motus inter ipsos etiam communicaretur juxta certas leges seu impulsionis, seu gravitatis, &c. Essent iidem *divisibiles*: posset sane Deus dimidiam partem creaturæ extensæ annihilare servata alia dimidia parte; vel posset duas dimidias partes a se invicem disjungere. Substantiam sane extensam sine positione partium extra partes non concipimus. Essent iidem *impenetrabiles* & *solidi*: nam illa substantia impenetrabilis & solida dicitur, quæ locum suum replet, & cujus partes firmiter cohærent, ob nullam aliam causam materia impenetrabilis & solida habetur. Atqui si spiritus extensi sint, replent locum suum, eorum partes valde cohærent, cum nulla vi nisi divina possint divelli. Denique facile concipimus substantiam quamlibet vere & formaliter extensam posse in *organa* distribui, & varios continere motus, qualis est motus sanguinis in corpore humano. Uno verbo ab idea substantiæ extensæ nullo modo separare possumus omnes corporis affectiones. Ergo, &c.

5. Nullam habemus aliam judicandi regulam præter claram distinctamque perceptionem. Atqui clare & distincte disjunguntur cogitatio & omnes animi virtutes ab extensione: neque ullo modo possumus aut extensionem cogitare cum vi cogitandi, aut vim cogitandi vestire extensione.

6. Tandem, quod Deum attinet, valde absurdum videtur negare Deum esse totum ubique, & partem solummodo illius esse in hac rerum universitate corporea. Hoc tamen necessario dicendum est, si spatium sit ipsa divi-

na.

na immensitas. Nam Deus infinite extensus non potest esse totus, v. g. in sole, cum infinitas spatii, quæ divinum attributum supponitur, in sole non sit. Immo alia pars divinæ immensitatis erit in sole, alia in terra; & quisque planetarum motu suo varia peragrat & metitur divinæ substantiæ partes.

Objicies. Nulla est idea clarior illa spatii; quidquid obnitamur animo, illam mente pellere non possumus; inviti spatium, ut quid *infinitum*, *immobile*, *æternum* & *necessarium* cogitamus; dum facile materiam limitibus circumscribimus. Ergo spatium habet objectivam realitatem, quam materia non habet.

Respondeo. Distinguo consequens. Ergo habet objectivam realitatem, in mente tum humana, tum divina: sicut alia bene multa, *tempus*, *numerus*, *æternæ veritates*, Concedo. Extra mentem omnem divinam & humanam, seu est proprietas entis alicujus distincta a cogitatione, vel aliqua substantia existens necessario & ab æterno. Nego. Idea spatii valde clara est, esto. Sed non est clarior quam idea temporis, vel numeri, vel illarum rationum, quæ sunt inter numeros & figuras: ut spatium cogitamus infinitum & æternum; sic quoque cogitamus tempus infinitum, numeros infinitos, veritates infinitas & æternas. Igitur non magis concludere debemus spatium esse realem aliquam proprietatem æternam & infinitam extra mentem omnem, quam concludere licet, tempus, numerum, veritates esse entia realia extra intellectum omnem. Quid ergo spatium est? Est abstracta idea extensionis corporeæ; sicut tempus est idea abstracta durationis entium mutabilium: ut veritates æternæ sunt abstractæ notiones rationum, quæ sunt inter res possibiles vel existentes. Quare illud ut infinitum semper cogitamus? Quia illam abstractam extensionem, quam mente comprehendimus, possumus augere in infinitum, eadem possumus etiam in infinitum minuere. Eadem prorsus ratione tempus augemus & minuimus in infinitum; numeros addimus & frangimus in infinitum. Quare materiæ terminos ponimus, non spatio? Quia materia est vere existens extra mentem, quæ natura sua necessario circumscribitur: at extensio est abstracta idea, quæ præscindit ab omni amplitudine determinata. Sic quoque cujusque rei finitæ extra mentem existentis durationem finitam cogitamus, neque aliter possumus apprehendere: ipsam tamen abstractam temporis notionem sub forma indefinita concipimus. Res numeratas quoque semper certo & finito numero definitas cogitamus, etsi ipsi numeri infiniti censeantur. Quamobrem manifestum est omnibus rebus abstracte sumptis nullos limites ponere nos & sub forma infiniti negativi concipere, spatia, tempora, numeros, velocitates & quæcunque alia incrementi perpetui capacia sunt: quia mens habet perpetuam facultatem augendi id quod nunquam esse potest absolute & positive infinitum, neque potest mens res illas tanquam finitas concipere: nisi tollas ab illa istam suam facultatem perpetuo augendi. Concludendum ergo est illam infinitatem spatii, temporis, numeri, &c. esse infinitatem potentialem, seu capacitatem accipiendi incrementa, non absolutam & actualem infinitatem, extra mentem existentem; & illam esse unice positam in illa facultate, qua gaudet animus duplicandi, triplicandi, & quacunque ratione multiplicandi, quidquid capax est amplificationis. Et idcirco etiamsi posueris numerum aliquem esse infinitum, perget animus augendo & finget duos infinitos numeros, infinitum infinito majus, multiplicabit in infinitum ipsum infinitum. Adeo hæ operationes ingenii nostri lusus sunt.

Objicies 2. Multum disjuncta est a communi omnium intelligentia illa de substantiis non extensis opinio, habet multas inextricabiles difficultates.

Primo? illæ substantiæ non extensæ vel minima sunt physica, quæ cum exilita-

litate sint incredibili secari amplius & dividi nequeunt: vel puncta sunt mathematica, quæ nemo, nisi mente & cogitatione assequi potest. Atque mille harum substantiarum in unius acus cuspide saltare poterunt, quæ ridicula notio risu excipienda potius est quam serio confutanda.

Secundo: quodcunque nec parvum est, nec magnum; nec spatium occupat, nec loci situsque inter cætera corpora particeps est: id omnino nihilum est: Magnitudo enim & extensio veram constituit illarum rerum, quæ vere existunt, essentiam; nec sine extensione cogitari potest vel substantia vel accidens.

Tertio: qui naturas inextensas defendunt, hi etiam docent easdem esse totas in toto spatio & simul totas in qualibet parte spatii: quod plane absurdum est. Etenim si tota Dei natura existat in loco A, nihil ejus esse potest in puncto B; aut si hoc etiam contineat divinam aliquam naturam, alia sit necesse est, tota ab illa altera discrepans. Similiter si animus noster totus unam corporis partem replet, nisi multiplicatus in aliis partibus totus existere non poterit: nec unicus existere totus in toto corpore.

Quarto: si substantiæ inextensæ sint, locum nullum occupant; si locum nullum occupant, sunt immobiles, quod videtur absurdum. Ex eo etiam sequeretur posse animum finitum toti rerum universitati præsentem esse, illamque moderari.

Respondeo hæc omnia argumenta a veteribus nostræ sententiæ defensoribus præoccupata fuisse & confutata.

Primo: negant Plotinus & Porphyrius Deum aut alias substantias non extensas dici posse, vel puncta physica, vel puncta mathematica. Priora enim magnitudinem habent, partesque extra partes, & cogitatione dividi possunt. Puncta vero mathematica, quamvis magnitudine careant, habent situm & positum. *Punctum*, ait Aristoteles, monas est, quod situ gaudet & posita. Spiritus vero, neque habet magnitudinem, neque situm: non possis illum dicere magnum vel parvum, nec collocatum ad Septentrionem vel ad Meridiem. Proinde nec in cuspide acus nec usquam alias saltare potest.

Secundo. Populi opinionibus servire est, pro nihilo illud omne habere, quod non habet partes extras partes. Cum animum avocamus a sensibus & phantasia: quam multa sine ulla forma extensa cogitamus? Illa, quæ rebus omnibus præsidet sapientia; illa virtus, quæ omnia continet immensamque molem pro arbitrio versat, habetne ipsa molem aliquam?

Tertio. Necesse est ut substantia spiritalis tota adsit illis rebus quibus adest; ac si contrarium statueremus, nempe partem substantiæ spiritalis in parte corporis tantum existere; incideremus in id vitium quod nobis exprobatur, confitentes rem individuam in partes secari posse. Sed adest pluribus partibus sine multiplicatione, ut vis motrix una adest omnibus partibus corporis moti, & sapientia divina una & individua adest omnibus partibus universitatis. Rem ita esse colligimus ex ipso communi omnium sensu naturæ insito, quo credimus Deum esse ubique; quod profecto esse non posset, si Deus esset diffusus, & unaquæque pars ejus ita disponeretur, ut una pars in uno loco, alia in alio loco existeret: Sic enim Deus dissiparetur, neque pars unaquæque tota divina natura esse posset.

Quarto. Sine dubio non competit spiritibus motus sicut corporibus: nec illa vi, qui *impetus* dicitur & corpora transfert, agitantur. Possunt tamen hoc sensu moveri, quod successive variis rebus *cogitatione* præsentes esse possint, & vi cogitationis procreatrice hoc sensu agitari: ac propter hanc eandem rationem efficere potest Deus potentia sua, ut spiritus finitus omnibus rebus creatis præsens sit cogitatione, easdemque, ut corpus suum nunc regit, moderetur.

Aliæ sunt objectiones Physicorum, quibus conficiunt necessarium esse vacuum

cuum ut existere possit motus, quas ingenue fatemur nos solvere non posse. Si omnia essent, inquiunt, plena corporibus nullo modo intelligere possemus qua ratione fluida, sive liquores in perpetuo motu esse queant. Nam non possunt liquidorum particulæ perpetuò situm mutare inter se, quin spatiola vacua relinquant: nullaque est materia quæ possit sese aptare tam subitis & tam variis mutationibus pororum, ut eos perpetuo accuratissime compleat. Oporteret illam subtilem materiam esse actu in infinitum divisam, quod omnino concipere non possumus, & redderet illam ad omnes usus inutilem: cum materiæ in infinitum divisæ, seu quæ nullam haberet massam, nullum momentum esse posset, nulla vis, neque ad movendum, neque ad sistendum. Argumentum etiam insuperabile petitur ex inertia, quam materiæ omni inesse experientia & ratione intelligimus: quæ efficit ut materia omnis movenda resistat pro quantitate molis suæ, eum qua tanta resistentia in mundo pleno demonstratur motum existere non posse. Præterea intelligimus his Deum posse lunam vel aliud quodcunque corpus in nihilum redigere, cæteris in eodem statu divina virtute conservatis, quod tamen esse non posset, nisi vacuum esset possibile. Hisce & similibus rationibus multi adducti sunt, ut spatium vacuum admitterent; quod cum æqualiter distet a materia solida & a spiritu inextenso, & tamen proprietas extensionis sine subjecto esse non possit; illud dixerunt substantiam simplicissimam cujus unica sit aut saltem cognoscatur proprietas, videlicet extensio. Quot & quantas etiam habet hæc sententia difficultates!

De immutabilitate Dei.

Etsi immutabilitas negativum aliquid videatur significare: positiva nihilominus sensu philosophico in Deo proprietas est, per quam scilicet idem semper permanet: multoque magis mutabilitas & inconstantia defectus constantiæ est & immutabilitatis, quam constantia defectus mutabilitatis.

PROPOSITIO.

Deus est immutabilis.

PROBATIO.

1. Quidquid mutatur, vel mutatur a causa externa, vel a causa interna. Atqui Deus experiri mutationem a causa externa non potest; cum sit independens, singularis & disjunctus ab omni alia re, nullique externæ impressioni obnoxius. Non ab interna causa: nam nulla alia concipi potest divinæ existentiæ, ejusque modorum, quam necessitas absoluta existendi; quæ cum sit eadem semper & uniformis, exigit ut Deus semper idem sit in omni tempore.

2. Deus est ens infinite perfectum. Atqui tale ens nullam accipit mutationem: quia nullam de novo acquirere perfectionem potest, cum jam omnes habeat: neque ullam deperdere, cum sint omnes indissolubili nexu conjunctæ, nec una esse possit sine aliis. Vel sic confice, Deus est immutabiliter talis, qualis est necessario. Sed est necessario in forma perfectissima. Est ergo immutabiliter in illa forma.

3. Qua in re experiri mutationem posset? An ratione existentiæ, sed illa necessaria est. An ratione loci? Sed immensus est. Omnia in ipso vivunt, moventur & sunt. An ratione temporis? Sed immobiliter æternus est, & in stante sua æternitate omnes temporum differentias continet. An ratione cognitionis? Sed quid latere potest infinitam scientiam? An ratione consiliorum? Sed a perfectissima mente omnis abest animi levitas, quæ ex ignorantia aut incogitantia in ipsis hominibus proficiscitur.

In hac denique sententia summa semper fuit omnium Philosophorum consensio, *illam necessario existentem essentiam Dei, quæ est ipsa æquabilitas, ipsa pulchritudo, ipsa singularitas; quæ est* ipsum

ipsum ens; nullam experiri posse mutationem. Plato in Phœdone.

Aliquam habet difficultatem attributi hujus cum libertate & variis divinæ providentiæ actibus conciliatio, de qua vide art. de libertate Dei.

De unitate seu singularitate Dei.

Per *unitatem* intelligimus, non solum illam singularitatem, quæ excludat omnis alterius entis *æqualis* & eorumdem perfectionum consortis existentiam. Sed & omnis alius naturæ necessariæ & a se existentis seu independentis consortium. Adeoque veram naturæ divinæ unitatem negarunt.

1. Quotquot duas naturas ab æterno existentes, nempe materiam & Deum admiserunt, quique sic duo rerum principia, alterum efficiens, alterum, quod fingeretur, docuerunt. Hoc dogma Academicis, Peripateticis & Stoicis tribuit Tullius in Acad. Quæst. 1. *Naturam dividebant in res duas, ut altera esset efficiens; altera autem quasi huic se præbens, ex qua efficeretur aliquid: in eo quod efficeret vim esse censebant; in eo quod efficeretur materiam quamdam* (*a*): At juxta eundem Philosophi hi duo ista rerum principia sic commiscebant, ut reipsa non nisi una fierent eademque natura, *in utroque tamen utrumque*, pergit Cicero, *neque enim materiam ipsam cohærere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia: nihil est enim, quod alicubi non esse cogatur*. Immo Stoici has res multo magis confundebant: docebant enim rem efficientem materialem esse, ignemque aliquem subtilissimum. Sed quidquid sit de horum opinione certum est fuisse quamplures Philosophos, qui simplices & spiritales mentes professi, duo diversa rerum principia ab æterno simul extitisse asseruerunt, materiam videlicet, & Deum segregatum ab omni concretione corporea. Sic *Anaxagoras* sensit, sic *Archelaus*, sic *Atticus*, sic plures alii. *Pythagoram* quoque in hac sententia fuisse Numenius author est. *Platonem* idem sensisse Plutarchus & Laertius scripserunt. *Aristotelem* eandem fovisse sententiam persuasum multis fuit. *Porphyrius*, *Jamblychus*, *Proclus & Simplicius*, etsi docuerint Deum caput esse atque causam rerum omnium, tamen putaverunt materiam esse æternam. Quorum omnium atque suam sententiam sic exponit Plutarchus (*t.* 2. *Op. p.* 1014.). *Præstat igitur Platonis, (quam Heracliti) sententiam sequi, atque hoc dicere & canere, mundum a Deo esse factum. Nam & mundus omnium operum est pulcherrimum, & Deus omnium causarum præstantissima. Substantiam autem & materiam, ex qua factus est mundus, non natam, sed semper subjectam opifici disponendam se atque ipsius similitudine, quantum fieri potest, effingendam sese præbuisse. Non enim ex nihilo extitit mundus, sed ex eo quod non pulchre, non recte, nec perfecte sese haberet, quomodo fiunt domus, vestis, statua*. Immo vero quidam viri doctissimi hanc opinionem attribuunt omnibus generatim antiquioribus sapientibus. Vide ed. lat. *Cudworthi* cum notis & diss. doctissimi interpretis, & *Beausobre* in historia Manicheismi.

Hoc dogma tenuerunt olim etiam multi Christiani, qui idcirco *materiarii* vocati sunt, inter quos *Hermogenes* celebris fuit, quem præsertim ex origine mali disputasse legimus apud *Tertullianum* l. contra Hermog. p. 138. *Præstruit*, ait *Tertullianus*, *Dominum aut de semetipso fecisse cuncta, aut de aliquo.... Negat illum ex semetipso facere potuisse, quia partes ipsius fuissent, quæcunque ex semetipso fecisset Dominus; porro in partes non devenire, ut indivisibilem, & indemutabilem, & eundem semper, qua Dominus. Ex nihilo non potuisse eum facere sic contendit, bonum & optimum definiens Dominum; qui bona & optima* tam

(*a*) Dicunt Stoici nostri duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiunt, causam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura si nemo moveat. Causa autem, idest, ratio, materiam format. Sen. ep. 65.

tam velit facere, quam sit: immo nihil non bonum atque optimum, & velle eum & facere. Igitur omnia ab eo bona & optima oportuisse fieri secundum conditionem ipsius. Inveniri autem & mala ab eo facta, utique non ex arbitrio, nec ex voluntate: nihil incongruens & indignum sibi faceret. Quod ergo non arbitrio suo fecerit, intelligi opportere ex vitio alicujus rei factum ex materia esse sine dubio.

2. Præter hanc æternam & necessariam materiam, & Deum, multi olim quasi tertium quoddam principium excogitarunt; quippe cum non intelligerent quomodo sub regimine Dei summe boni malum oriri potuisset, & vanam ineptamque ducerent opinionem, quæ materiam *qualitatis omnis & virtutis vacuam*, causam mali faciebat, quod esset inobsequens voluntati Dei; putarentque in illo systemate malum non in materiam, sed in Deum ipsum refundendum esse; huic materiæ æternæ adjunxerunt *naturam* seu *vim* quamdam ratione carentem & maleficam, inordinatis ac turbulentis motibus materiam perpetuo cientem: hanc naturam Plutarchus vocat *animam contrariam & contrariorum opificem: animam incompositam, turbulentam & mente vacuam:* nominat quandoque *necessitatem*, eo quod sine consilio agat: atque eam ipsum esse *fatum* asserit, de quo Poetæ & Philosophi tam multa scripsere. Hi Philosophi igitur sic explicant originem rerum; ut nihil omnino productum fuerit ex nihilo, neve bonum, neve malum: ac juxta eos Deus, cum mundum condere voluit, hæc effecit. Primo materiam digessit, & suum elemento cuilibet locum assignavit. Deinde ne recte constituta denuo convellerentur, mundi animam emendavit, quantum potuit, ejusque inordinatos ac turbulentos motus temperavit. Et tandem de sua propria substantia partem addidit, quæ varios ejus motus sic dirigeret; ut hæc rerum omnium pulchritudo nasceretur. Quidquid ergo mali est in mundo, originem habet ab ista malefica anima, quam Deus omnino corrigere non potuit: quidquid vero boni, ab illa parte divina, quæ principatum obtinet: & æquabili lege omnia continet. Ut mundus universus, sic homo quisque, ex tribus istis partibus componitur, nempe *materia vi inordinata & aura cœlesti*.

Huic ultimæ opinioni valde deditus fuit *Plutarchus*, qui summo studio conatus est in illius patrocinium trahere omnes præclarissimos Philosophos. Vide *syst. intell. Historiam Manichaismi. Manichaismum ante Manichæos*.

3. Superioris sententiæ amplificatio quædam fuit Manichæorum doctrina. Hi etenim in hoc solummodo a recensitis Philosophis differebant; quod existimarent, juxta veterem quandam Chaldæorum, Phœnicum, & Persarum aliquorum opinionem (*vide Hist. Man.*), in ista æterna materia naturaliter gigni varii generis animantia, & Dæmonas malos, unumque aliorum Principem: duoque sic statuerint imperia æterna; aliud *lucis* repletum infinitis beatis Spiritibus, in quo regnaret Deus optimus, maximus; aliud *tenebrarum*, in quo imperitaret Princeps Dæmonum, *Hyle* dictus, eum suis consortibus. Audiamus ipsum Manichæum (*apud S. August. lib. contra ep. Man. c. 13.*). *In exordio fuerunt duæ substantiæ, a se se divisæ: & luminis quidem imperium tenebat Deus pater, in sua sancta stirpe perpetuus, in virtute magnificus, natura ipsa verus, æternitate propria exultans, semper continens apud se sapientiam & sensus vitales: per quos etiam duodecim membra luminis sui comprehendit, regni videlicet proprii divitias affluentes. In unoquoque autem membrorum ejus sunt recondita millia innumerabilium & immensorum thesaurorum* (*vide explicationem hujus mystici sermonis in hist. man.*). *Ipse vero pater in sua laude præcipuus, magnitudine incomprehensibilis, copulata habet sibi beata & gloriosa secula (æonas): neque numero, neque prolixitate æstimanda, cum quibus idem sanctus atque illustris pater*

& genitor degit : nullo etiam in regnis ejus insignibus aut indigente aut infirmo constituto . Ita autem fundata sunt ejusmodi splendidissima regna super lucidam & beatam terram , ut a nullo unquam aut moveri aut concuti possint . Juxta vero unam partem ac latus illustris illius ac sanctæ terræ , erat tenebrarum terra profunda , & immensa magnitudine , in qua habitant ignea corpora ; genera scilicet pestifera . Hinc infinitæ tenebræ ex eadem manantes natura inæstimabiles cum propriis fœtibus , ultra quas erant aquæ cœnosæ ac turbidæ cum suis inhabitatoribus, quarum interius venti horribiles ac vehementes cum suo principe & genitoribus . Rursum regio ignea & corruptibilis cum suis ducibus & nationibus . Pari more introrsum gens caliginis ac fumi plena , in qua morabatur immanis princeps omnium & dux , habens circa se innumerabiles principes , quorum omnium ipse erat mens atque origo ; hæque fuerunt naturæ quinque terræ pestiferæ (apud S. August. ibid. cap. 15.). Hæc regna per infinita sæcula separata sic manserunt neque Deus bonus dignum se judicabat , quidquam in imperio tenebrarum moliri aut ex materia quidquam fingere : principatus vero tenebrarum appetitu quidem præditi, at ratione destituti imperium lucis nesciebant . Verum tandem , vel quod nimium multiplicati sedes migrare voluerunt (*a*) , vel quod exorto inter illos bello, qui devicti sunt, vincentium furorem longius fugientes ad terminos regni lucis pervenerunt (*b*) : hic tum victores, tum victi capti pulchritudine lucis, pace composita , regnum cœleste invadere meditati sunt. Deus vero, a quo nullum malum existere potest , bellum declinans, hanc arripuit occasionem corrigendi aliquatenus tenebrarum perversam substantiam , mundique huius aspectabilis efformandi . *Bonus ergo potestatem quandam mittit , custodituram scilicet præscripta , re autem vera futuram ipsi materiæ illecebram & invitamentum ad moderationem , ejus a voluntate alienam . Hanc conspicata materia , amore exarsit , sibi eam conjungere concupivit , improvideque devoravit . Sic quodammodo tanquam bellua ligata est.* Hæc Titus Bostrensis, qui videtur melius perspectam habuisse Manichæorum doctrinam. Idem addit , Manichæos usos esse hoc exemplo *tanquam cantione missæ potestatis materiam sopitam fuisse* . Ex commixtione ergo duarum naturarum , non solum hominem , sed universum mundum , quem in omnibus partibus animatum putabant , generatum docebant .

Hæc Manichæi , at inter Persas aliosque Orientales plures extiterunt , qui malo principio excellentiores dotes majoremque virtutem concessisse videntur, & duos quodammodo Deos æternos & inimicos constituisse : nisi decepti fuerint Plutarchus & alii Græci , & per Græcos etiam quamplurimi Latini , quod extra omnem verisimilitudinem non est . Sed de horum omnium doctrina alius erit fortasse dicendi locus .

4. Divinæ naturæ unitatem negaverunt illi Ethnici , qui multos Deos æquales & independentes agnoverunt : sed profecto res est valde ambigua , an veteres eodem sensu istam vocem *Dii* semper acceperint ac nos nunc accipimus : aut potius certum videtur eos per illam

(*a*) Erat, inquit Manichæus, tempus cum materia sine ordine ferebatur : & generabat & crescebat ac multas potestates producebat . Aucta igitur evehebatur , nesciens substantiam boni . Postquam vero magis erecta novit terram & lumen boni , nitebatur ascendere ad ea quæ non erant propria . *Titus Bostrensis*.

(*b*) Explanant autem modum seditionis hujus . Qui , inquit Manichæus , ex ea nequitia (nequitia autem Satanas est) nati sunt , se mutuo insectati sunt & devoraverunt , dura & gravia passi , neque prius destiterunt in seipsos moveri , quam lumen sero tandem viderent . His enim verbis utitur , & a se enim ipsi exagitati , cum alioqui nescirent , ita tamen ausi sunt ad lumen accedere . *idem* .

lam vocem, ubi illam pluribus tribuebant, nequaquam intellexisse entia perfectissima, neque entia necessaria, neque primas causas rerum omnium, sed inferiores aliquos Deos *indigetas*, *gentilitios*, *locales*, *tutelares*, *cœlestes*, & *mundanos*, quos tanquam primæ & universalis causæ administros spectabant. Quod cum aliqua diligentia effecturi fumus, ut vis sua constet argumentis supra allatis ex notione immensi, omniscientis & omnipotentis Dei omnium hominum mentibus impressa.

PROPOSITIO PRIMA.

Unicum esse Deum, seu unicam primam causam rerum omnium sine æquali ratio evidenter demonstrat; Philosophi omnes Theistæ docuerunt; omnes vetustissimæ gentes semper agnoverunt; adeoque unitas pertinet ad notionem veri & summi Dei animis hominum insitam.

PROBATIO.

PARS PRIMA.

Unitas Dei ratione conficitur.

1. DEus est ens summum. Atqui repugnant plura summa: quia id tantummodo summum est, quod neque majus quidquam, neque par agnoscit. Sic Tertullianus: *de isto convenit apud omnes, ut Deus sit summum magnum & forma, & ratione, & vi, & potestate .... Quæ erit jam conditio ipsius summi magni? Nempe ut nihil illi adæquetur; id est, ut non sit aliud summum magnum, eversa conditione &, ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adæquari.*

2. Deus est ens infinite perfectum, cui nulla deest perfectio. Atqui non potes ponere duo entia summe perfecta, quin eodem tempore statuas utrumque carere aliqua perfectione. Nam illa duo entia A & B, a se invicem aliqua re distinguuntur & differunt: scil. attributis suis vel causa formali existentiæ suæ: nam si A & B habeat eandem causam formalem existentiæ suam, eandem naturam & eadem attributa, certe ex nulla parte differunt porro id per quod distinguerentur, perfectio esset, & illa perfectione utrumque careret. Ergo. Neque dicas per existentiam, quam habet quodque specialem, utrumque ens satis distingui. Nam existentia supponit res distinctas, & ubi nulla est distinctio, absurde fingitur separata existentia: sic suppone Petrum & Paulum non distingui neque per naturam, neque per causam suam, videlicet decretum divinæ voluntatis. Certe Petrus & Paulus entia duo esse non possunt, nec separatam habere existentiam. Argumentum hoc subtile scholasticorum est.

3. Deus est ens necessarium. Atqui entia plura necessaria esse non possunt. Nam illud ens tantum est necessarium, quod non possumus cogitare non existens, seu cujus non existentia involvit contradictionem. Atqui omnia entia præter unum possumus cogitare non existentia: pone verbi gratia decem, facile concipimus ex istis decem, novem esse prorsus inutilia & posse non esse.

Deinde ens necessarium illud est, quod existit ex interna & absoluta necessitate, quam necessitatem aliqua ratione, ut antecedentem & internam seu formalem causam existentiæ Dei cogitamus. Atqui illa absoluta & uniformis necessitas unius & singularis naturæ perfectissimæ causa interior esse tantum potest: unius immensitatis, unius æternitatis, unius potentiæ, unius intelligentiæ &c. nec unitatem ab illius idea disjungere valemus: cur duorum vel trium entium, vel quinque, vel viginti &c. causa sit, non videmus: ubicumque numerus fingitur, ibi est *arbitrium*, non *necessitas*; quia quicumque alius numerus æque possibilis est. Rationem hanc bene exposuit Clarkius.

4. Deus est ens infinitum, ens cujus attributa omnia sunt infinita. Atqui unicum tantum potest esse ens, cujus attributa omnia sint infinita: quia omnia

nia attributa infinita necessario singularia sunt. Primo *immensitas* postulat dependentiam omnium aliarum rerum. Nam quod immensum est, a nulla re alia debet excludi. Atqui si essent duo entia æqualia & a se mutuo nullo modo dependentia, a se mutuo excluderentur. Deus ideo tantum in creaturis existere concipitur, quia per ipsum & in ipso existunt, seu earum existentia & conservatio fluit ex perpetua Dei actione. Sed si illas divina virtus non fecisset, nec existerent per Deum, nec in Deo, Deus ab illis excluderetur. Secundo duplex *omnipotentia* repugnat: nam illa potentia infinita non est, quæ experitur contrariam, immo æqualem in alio ente. Et cum his duobus attributis intereunt omnes aliæ perfectiones. *Scientia infinita* nulla est, siquidem ille non novit omnia, qui ab aliqua re excluditur, non novit naturam, vim, consilia illius æqualis entis & independentis. *Sapientia* nulla est, nec *bonitas*, nec *justitia*; siquidem ille non potest sapienter, juste & benigne cum aliqua fidentia & securitate agere; qui experiri potest aliam naturam consilia contraria machinantem. Si dicas mendicare posse unum Deum ab alio veniam agendi, sustulisti entis independentis & perfecti, & infiniti notionem. Tandem perit etiam Dei *felicitas* summa, quæ in voluntate omnipotente, liberrima & sibi sufficiente posita est.

5. Denique omnia in mundo connexa sunt, & ordo unus ex omnibus existit, ergo unico consilio mundus constitutus est: cuncta in eo placide summaque cum constantia & æquabilitate, juxta easdem leges feruntur, ergo unica est administrationis ratio. Atqui ex unitate consilii in constitutione mundi bene colligitur illius unum esse Architectum, & ex unitate providentiæ bene efficitur unum esse rectorem. Tanta pax & concordia hanc universitatem non contineret, si turba quædam Deorum per se existentium & æqualium, nec ullius supremi Numinis jussis parentium, rerum administrationi præsideret.

SECUNDA PARS.

Consensio Philosophorum circa unitatem Dei summi.

OMNES illi, qui primis Religionis Christianæ temporibus adversus Gentiles scripserunt, hoc sibi probandum susceperunt, maximi nominis Philosophos, non secus ac Christianos, unum rerum omnium parentem ac Deum professos esse. Hoc argumentum tractarunt *Clemens Alexandrinus* in strom. & in cohortatione ad gentes; *Athenagoras* in apologia pro Christianis; *Theophilus Antiochenus* in libris ad Autolicum; *Cyrillus Alexandrinus* l. 1. contra Julianum. Et inter Latinos, *Tertullianus* in apologetico c. 24. *Minucius Felix* in octavio cap. 19. *Arnobius* l. 1. adversus gentes. Horum secutus est vestigia *Huetius* in alnetanis quæstionibus, sed omnium copiosius de hac Philosophorum consensione disseruit *Cudworthus* in systemate intellectuali. In re tam aperta congerere testimonia hic supervacaneum videtur, adeoque unum appellabimus *Onatum* ex schola Pythagoræ Philosophum; cujus apud *Stobæum* hæc sententia legitur. *Neque mihi unus videtur Deus, verum unus quidem maximus ac summus Deus, rerum universitatem gubernans; alii autem præterea multi, diversis virtutibus præditi. Imperat autem omnibus Deus is, qui robore, magnitudine, virtute præstat. Hic ille Deus est, qui universum mundum arcet, moderatur & continet. Reliqui vero Dii sunt, qui per cælum eodem, quo tota rerum universitas, motu decurrunt, primum & intelligibilem illum Deum ordine sequentes.* Hanc sententiam expresse aliis Philosophis omnibus attribuit S. Cyrillus, l. 1. c. jul. *Manifestum est, ait, etiam Græco more philosophantibus, unum censeri ac in confesso esse Deum universi conditorem & natura omnes superantem,*

a quo

a quo facti sunt & producti ad generationem, alii deinceps Dii sub intellectum & sensum, ut ipsi loquuntur, cadentes. Et certe ne unus quidem inter omnes veteres sapientes laudari potest, qui plura crediderit numina æterna, & per se existentia: immo Cicero scripsit Tusc. disput. l. 1. *Deus alio modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsa prædita motu sempiterno*.

PARS TERTIA.

Consensio nationum omnium circa unitatem Dei summi.

Cum asserimus hanc fuisse communem omnim populorum fidem, unum esse *supremum* Deum *optimum*, *maximum*, patrem Deorum atque hominum; non hoc assumimus probandum, nullum fuisse ex imperita multitudine, qui hac non fuerit imbutus opinione, sed hoc solummodo demonstrare contendimus nullam fuisse gentem in qua doctos inter & indoctos publica & communis doctrina non fuerit, unum esse *Deum summum*, qui cunctas res hominumque Deorumque moderetur. Hanc partem confirmabimus 1. optimorum testium authoritate. 2. Poetarum, qui religiones populorum suis carminibus celebrarunt, evidentissimis testimoniis. 3. Speciali consideratione variarum religionum. Et 4. Denique communibus apud vulgus opinionibus & consuetudinibus.

1. Hæc assertio firmatur authoritate optimorum testium.

Aristoteles, de rep. l. 4. c. 15. p. 510. t. 3. op. scribit: *omnes homines affirmant Deos esse sub imperio*. Hoc est, unum esse regem & dominum, qui Diis omnibus imperet.

Maximus Tyrius, diss. 1. p. 4. & 5. *Quod si concionem cogas, omnesque simul artes uno decreto convenire jubeas, ac de Deo ex iis quæras, putasne aliud Pictorem, aliud Statuarium, aliud Poetam, aliud dicturum esse Philosophum? Immo ne Scytha quidem, & Græcus, & Persa, & Hyperboreus. Verum enim vero in aliis videbis alia, neque unquam eadem statuere homines. Nec enim bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum, nec idem turpe aut honestum. Ut de legibus taceam, quæ pro cujusque placito in omnes ita partes distrahuntur, ut non modo gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipso consentiat... In hac tanta pugna, contentione atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum atque opiniones convenire videbis: Deum esse unum regem omnium & patrem, huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sint & quasi in imperio collegæ. In eo Græcus cum Barbaro, Mediterraneus cum Insulano, sapiens consentit cum stulto*.

S. *Augustinus*, cum *Faustus* Manichæus objecisset Christianos mutuatos esse a Gentilibus fidem in unum supremum Deum, hæc respondet: *discat ergo Faustus Monarchiæ opinionem non ex gentibus nos habere, sed gentes non usque adeo ad falsos Deos esse delapsas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo est omnis qualiscunque natura*.

2. Eadem assertio confirmatur authoritate Poetarum omnium, qui eloquentiæ & artis suæ luminibus populorum religiones exornarunt & vates propterea Theologique Gentilium nuncupati sunt. Haud diffitemur quidem illorum carminibus multa ridicula, contradictoria & plane abhorrentia, tum a ratione, tum a pietate accepisse authoritatem, & depravasse eos in multis populorum animos; protereaque a *Platone* recte ablegatos fuisse a sua republica: tamen certissimum est eosdem, in ista fabularum colluvione, semper servavisse dogma istud de unitate Dei *summi & æterni*. *Justinus Martyr* testatur se librum de Monarchia Dei eo consilio scripsisse, ut insitam a natura, sed a prava consuetudine obliteratam de Deo uno sententiam resuscitaret ex Poetarum scri-

scriptis. Dio Chrisostomus *or*. 36.*p*.447. scribit. *Poetæ omnes primum principemque Deum universe parentem appellant rerum omnium ratione præditarum, nec non regem earumdem, cui Poetarum doctrinæ morigeri homines Jovi Regi altaria dedicant, neque verentur eum patrem appellare. Quædam afferamus exempla*.

Orpheus, Poetarum Græcorum, quorum feruntur carmina aliqua, antiquissimus; quique propter multa egregia de Theologia scripta, constitutam apud *Thracas* Religionem, & instituta mysteria, *Theologus* a veteribus dictus est: ex cujus quoque præceptis non mediocrem sapientiæ suæ partem hausisse putantur celeberrimi olim Philosophi *Pythagoras* & alii: *Orpheus* hic licet multos Deos coluerit, colendosque illos esse complures populos docuerit: tamen certissimum est, unum tantum supremum Deum admisisse. Hoc testantur antiquissimi scriptores; hoc confirmant illa carmina, quæ sub ejus nomine feruntur; quæ si forte genuina non sint, tamen sunt antiquissima, ejusque doctrinam continere non dubitant eruditi. Inter multa ejus pulcherrima laudata a veteribus, ea solum describemus, quæ *Proclus* servavit,

Primus, postremusque Jovis, qui fulmine candet:
Ille caput mediumque simul, cui cuncta creantur:
Ille solum ac cœli stellatos sustinet axes.
. . . .
Rex idem, rerum parens, & originis auctor.
Unica vis, Dæmonque unus, qui cuncta gubernat.

Sophocles in Tragœdia, quæ publice agebatur, hæc scripserat:

Unus profecto est, unus est tantum Deus
Qui cœlum & amplum condidit terræ globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique nostrum, mente sed capti, Deum
Simulachra nobis, ceu mali solatium;
Cum saxea atque aerna consecravimus
Sive aureas, eburneasque imagines:
Sacris & istos colimus, his festos dies
Agimus: pios hoc esse nos remur modo.

Multa similia habent *Æschilus*, *Aristophanes*, *Menander*, aliique Græci Poetæ, quorum carmina omnium, etiam artificum, manibus terebantur.

Neque minus communis est apud Latinos doctrina.

Ennius, tametsi Deos omnes inferiores *Erebo* & *Nocte* natos esse doceat, seu quod idem est ex chao generatos, unum tamen Deum cæteris omnibus majorem & præstantiorem laudat, qui

Divumque hominumque pater Rex

ipsi dicitur. Quæ denominatio nullius esse potest, nisi ejus qui universam naturam fabricatus est, cumque ipse ortu careat, Deos una cum mundo ex chao finxit.

Plauti quoque hæc verba clara sunt in *Rudente*; ubi Deos ut Jovis Angelos exhibet.

Qui gentes omnes mariaque & terras movet
Ejus sum civis civitate cœlitum.
Qui est imperator Divum atque hominum Jupiter.
Is nos per gentes alium alia disparat,
Hominum qui fata, mores, pietatem & fidem
Noscamus . . . .
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam,
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.

Valerii Sorani Poetæ vetustissimi versus hos servavit *Varro*.

Jupiter omnipotens Regum Rex ipse Deumque
Progenitor genitrixque Deum, Deus unus & omnis.

Apud *Virgilium*, l. 1. Æn. sic Jovem compellat Venus.

O qui res hominum Deumque
Æternis regis imperiis & fulmine terres.

& ali-

& alibi,

O Pater, o hominum Divumque aeterna potestas,

Divumque aeterna potestas, inquit *Servius*, propter aliorum Numinum discretionem, quæ scilicet æterna non sunt, sed ex Jove generata & edita. *Horatius*. l. 1. Ode 12. habet.

Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus? qui res hominum & Deorum,
Qui mare & terras variisque mundum
Temperat horis.
Unde nil majus generatur ipso
Nec viget quidquam simile aut secundum.
Proximos tamen illi occupavit
Pallas honores.

Nihil Jovi est secundum, *inquit J. Bond*, *quia nullus ordo esse potest inter infinitum & finitum.* Accedat locus alius ex l. 3. ode 4.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes regnaque tristia
Divos mortalesque turmas
Imperio regit unus aequo.

Rem nostram etiam hoc maxime conficit quod veteres omnes seu Poetæ seu Philosophi, Deos mundi æquales finxerint & apud eos *Theogonia* seu generatio Deorum pars sit *Cosmogoniæ* seu generationis mundi. Hæc doctrina valde clare exponitur ab *Ovidio*, qui *Hesiodi* & aliorum secutus est vestigia. Is in initio Metamorphoseon docet mundum aliquando cœpisse, & ex chao generatum esse,

Ante mare & terras & quod tegit omnia cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos.

Deinde post generatum mundum tradit conditos fuisse Deos.

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum, formæque Deorum.

Tandem non fortuito & temerario concursu partium materiæ, sed *unius supremi Dei* ingenii & æterni voluntate cuncta constituta docet: qui singulis mundi partibus propria tribuit animalia, mare piscibus replevit, terram hominibus incolendam dedit, cœlum Deorum voluit esse domicilium.

Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab aere cœlum.

. . . .

Sic ubi dispositam quisquis fuit ille Deorum
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit.

. . . .

Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei.

Ovidius in istis versibus unum tantum mundi opificem, melioremque naturam nominat, at idem tamen ubi hominum ortum describit, ex more Gentilium, a Deo quidem unico genus esse conditum mortalium fatetur, verum *in effigiem moderantem cuncta Deorum*. Atque consentienter huic Poetarum doctrinæ, quæ communis apud Paganos fuit, scribit *Cicero*, *mundum conditum fuisse hominum Deorumque causa & esse commune Deorum & hominum domicilium.*

Multa quidem sunt hisce in speciem repugnantia apud eosdem Poetas, sed meminisse oportet Theologiam Poetarum esse colluvionem quandam sensuum naturalium, quibus omnes homines informantur, & scitorum Philosophicorum, & traditionum antiquarum, & fictionum allegoricarum, & fabularum popularium: & propterea poeticum sermonem nullo modo secum consistere. Sic verbi gratia, ille *Jupiter* erit ex sensu naturali, *optimus, maximus, mundi melioris origo, Divum hominumque pater Rex;* erit ex traditione *filius Saturni;* erit juxta Cosmogoniam Philosophorum ex *chao* generatus; erit juxta fictionem allegoricam *aer*, quo circumfundimur. Sed in hac summa confusione eminet Theologia ex sensu naturali oriunda, etsi exprimatur ambiguo & corrupto sermone: nec dubium est quin majorem etiam in populorum animos habuerit vim. Hi fictio-

nes allegoricas non intelligebant; Cosmogonias & Theogonias Philosophorum non curabant; ab illis traditionibus, quæ Jovem aliosque Deos homines esse ferebant, tanquam ab impiis commentis abhorrebant: ideoque hoc solum relinquitur, ut crediderint juxta sensum naturalem & opinionem optimorum Philosophorum unum esse supremum Deum, & plures inferiores, quibus præsertim sui cura commissa esset.

3. Si populorum religiones & instituta sigillatim recenseamus, inveniemus eos omnes, etiamsi idolis, brutis animantibus, astris, mortuis hominibus, & infinitæ Deorum multitudini supplicaverint; tamen mansisse in communi omnium gentium fide unum esse supremum Deum omnium rerum parentem.

Primo. Hanc fuisse perpetuam fidem gentis *Hebrææ* & ejus progenitorum ab origine mundi ex antiquissimo historico *Moyse* compertum habemus: qui in operis sui exordio sine ulla hæsitatione Deum omnium rerum conditorem prædicat; & hanc sententiam viguisse docet apud *Noemi* posteros in terra Chanaan usque ad *Abrahami* tempora, ubi erat *Melchisedech Sacerdos Dei altissimi*. Neque solum ex *Moyse*, sed ex vetustissimo libro *Job*, & aliorum Scriptorum antiquorum fragmentis, quæ nobis idololatriæ & ethnicarum superstitionum origines & progressus memoriæ reliquerunt, in aliis quoque locis unius Dei fidem communem fuisse discimus. Post *Abrahamum* peculiaris certe laus gentis Hebrææ fuit quod nullos Deos præter supremam & universalem causam agnoverit, & a Moysis temporibus habuerit constitutionem civilem istius doctrinæ conservatricem: cujus lex fundamentalis erat: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*.

Secundo. *Chaldæorum* doctrinam his verbis tradit *Berosus* antiquissimus Scriptor: *Chaldæi docent tempus fuisse olim, cum nihil esset præter tenebras & aquam ...... Belum vero, quem Jovem interpretantur, medias divisisse tenebras, separasse invicem cœlum & terram, & hac ratione mundum condidisse ...... Hunc etiam Belum sidera, Solem, Lunam & quinque Stellas erraticas comparasse*.

Tertio. *Ægyptii*, etsi Deorum multitudine & superstitionibus omnes alios populos vicerint, tantæ tamen Deorum turbæ unum excellentius omnibus, celsissimumque Numen præposuisse novimus. Id constat ex eo, quod Græci Philosophi & Legislatores, qui *mysteria* apud Græcos & alios populos instituerunt, ut *Orpheus*, *Pythagoras*, &c. hanc doctrinam secum in patriam ex *Ægypto* asportarint. *Plutarchus* toto de *Iside* & *Osiride* libro Ægyptios Numen unum agnovisse, & principem Deum appellasse docet; idem tradit *Jamblychus*, qui Ægyptiorum religiones cum summa diligentia explicavit; hanc doctrinam continent libri *Hermetici*, qui quamvis genuini non sint, repræsentare tamen creduntur in multis partibus Ægyptiorum dogmata. Præterea nulla gens firmius & tenacius adhæsit vetustissimæ traditioni de mundi generatione, quæ sane concipi nequit sine Deo supremo. Denique insigne etiam argumentum suppeditat præstantissimum illud antiquitatis Ægyptiacæ monumentum, quod *Plutarchus* & alii posteritati conservaverunt: illa videlicet inscriptio templi, quod erat in Saide, *Ego sum omne, quod extitit, est & erit; meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit*. Cujus inscriptionis hunc esse sensum cum multa eruditione defendit Cudworthus. *Tota rerum natura nihil est, nisi ipse ego, verum peplo circumdatus: At splendorem meum nudum, neque ullo velo tectum nemo unus mortalium, aut oculis contueri, aut mente comprehendere potest*.

Quarto. De *Æthyopibus* scribit Strabo: *Deum putant alterum immortalem, alterum mortalem: immortalem quidem eum, qui rerum omnium causa sit. Mortalis vero apud eos incertus est & nomine caret, sed frequentius eos, a quibus beneficium acceperunt, & Reges pro Diis habent*.

Quinto. Antiquissima gens *Persarum* nullis olim utebatur templis, neque idolis; sed in locis altissimis, sicut facere consueverunt Patriarchæ, sacra faciebant:

eos

eos unum agnovisse tantum Deum supremum, qui *Oromazes* dicebatur, testantur sacra eorum monumenta; adstruit authoritas scriptorum Arabum; probat hodierna recentiorum Persarum, qui contempto Mahumete, veteres suæ gentis doctores sequuntur, consuetudo. Hanc reliquerat *Zoroaster* Persarum Propheta & Legislator Dei summi descriptionem. *Ens est primum, æternum, immortale, sine socio aut æquali, omnis pulchritudinis fons, integerrimum, bonorum optimum, prudentium prudentissimum, legum æquitatis & justitiæ parens, a seipso doctum, a se existens, perfectum, &c.* (*Vide Eusebium in præp. ev. l. 1.*). Immo clarissimus author *Thomas Hyde*, l. de rel. vet. Pers. contendit adversus scriptores Græcos cultum ignis atque astrorum apud illam gentem nunquam *sacrum* fuisse & *latricum*, sed tantummodo *civilem* & *relativum*. Baylius quidem asseruit post alios plurimos Persas agnovisse præter *Oromazen* Deum bonum, alium Deum, æternum & ingenitum mali principium, sed hanc esse vanam calumniam videre licet apud *T. Hyde* ibid. *Cudw.* in syst. intell. & *Beausobre* in historia Manichæismi. Ipsi Manichæi duos Deos non admittebant, ut patet ex hac contestatione Fausti Manichæi apud S. Aug. l. 21. *Nunquam in nostris quidem assertionibus duorum Deorum auditum est nomen.*

Quinto. *Sabai*, qui gravissime accusantur a *Maimonide*, quod nullum Deum præter stellas agnoscant, & solem pro Deo maximo habeant, ab *Abulpharagio* doctissimo viro, & qui optime perspectam habuit eorum doctrinam plane absolvuntur: Docet quidem eos unicum Deum summum agnoscere quem *Dominum Dominorum* vocant, *& argumenta eorum ad probandam Dei unitatem firmiora esse: Spiritus cœlestes hominibus Deum supremum adituris, mediatorum loco esse, quorum ope beneficia sua illis communicat, & voluntatem suam patefacit. Vide* Pocock *specimen hist. Arab. p.* 143.

Sexto *Græcorum* & *Romanorum* qui sensus fuerint, satis liquet ex iis quæ jam laudata sunt ex eorum Oratoribus, Poetis & Philosophis: hoc solummodo addemus quod Jovem dicere solerent *optimum maximum*, & in cultu solemni hac uti formula precandi *Kyrie eleyson*. Quodque *Deus ignotus* cui ara Athenis dicata fuit, quique Apostolo Paulo in exordio sui sermonis ad Areopagum occasionem præbuit conciliandi sibi animos Atheniensium, verisimiliter fuerit Deus *maximus* supra omnem *sensum & intellectum* positus; & ideo *ignotus* dictus. Cui interpretationi favent hæc Apostoli verba: *quem vos ignorantes colitis (id est quem sub ignoti Dei nomine invocatis) hunc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, &c.*

Denique, qui nostris temporibus falsis Numinibus sacra faciunt, *Indi* omnes, *Sinenses*, *Siamitæ*, *Africani & Americani* tenent unum esse summum maximumque Deum, quem variis designant nominibus: ita testatur Jos. Acosta: *hoc, ait, commune apud Barbaros est, ut Deum quem omnium rerum supremum & summe bonum fateantur; spirituum vero quorumdam perversorum non obscura opinio sit. Igitur & quis ille summus, idemque sempiternus rerum omnium opifex, quidem illi ignorantes colunt, per omnia doceri debent, mox quantum ab illo, illiusque fidelibus ministris Angelis, absint gens pessima Cacodæmonum.* Vide Rochefort *Histoire des Caribbes, l. 4. c.* 13. Du Tertre *Histoire nat. des Antilles p.* 7. Sagard *Histoire du Canada*. Purchas *t.* 4. *l.* 10. *c.* 5. *Recueil de lettres édifiantes, &c.*

Tandem ex communibus vulgi opinionibus & consuetudinibus colligitur hæc universalis hominum non omnino rudium consensio in agnoscenda supremi Numinis unitate. Nam

Primo. Omnes populi semper existimarunt Deum esse *ubique*, & intervenire ipsius cogitationibus: quod de mortali vita functo, vel de Gentilitiis Diis intelligere non potuerunt, sed de unico rerum omnium authore. *Unum quiddam, ait Plotinus, idemque numero esse simul ubique totum communis indicat mentis humanæ conceptio; quando omnes naturali quodam instinctu clamant in unoquoque*

nostrum esse Deum: adeo ut unus in omnibus, idemque sit Deus.

Secundo. Usitatissimi moris erat apud Paganos nomen, *Deus*, usurpare in singulari numero; ex quo concludunt veteres scriptores Christiani naturæ humanæ adjunctam esse unius Dei cogitationem. *Vulgus*, inquit S. *Cyprianus tract. de van. idolorum*, *in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris vel principis admonetur*; *dici frequenter audimus*, o Deus! *& Deus videt; &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet.* Has voces vocat Tertullianus: *testimonium animæ naturaliter Christianæ.*

Tertio. Hoc concluditur ex Epicureorum disputationibus contra Dei existentiam. Quem enim Deum illi impugnabant? Num *Jovem Cretensem*, aut *Saturni filium*, aut alium quemquam Deum Gentilium? Nequaquam certe: sed *impositum cervicibus suis sempiternum Dominum; quem dies noctesque timerent: omnia ad se pertinere putantem, curiosum & plenum negotii Deum.* Sic enim describitur ab Epicureo apud Ciceronem, & adversus hunc sempiternum & unicum Dominum semper argumentatur. Ut etiam Lucretius sequentibus versibus.

Quis regere immensi summam, quis habere profundi,
Inde manu validâ potis est moderanter habenas?
Quis pariter cœlos omnes convertere & omnes
Ignibus ætheriis terras suffire feraces
Omnibus inque locis esse omni tempore præsto.

Denique ex eo colligitur Paganos unum supremum Deum agnovisse, etsi solummodo cultu prosequerentur Deos Gentilitios & inferiores, quod post introductam Religionem Christianam, & disputationes exortas inter Christianos & Ethnicos, ne unus quidem in tanta hominum multitudine extiterit, qui plures Deos independentes & æternos unquam defenderit: immo injuriam sibi fieri clamarunt, si hac ratione religio sua intelligeretur, & circa unitatem primæ causæ & principis Dei se esse concordes professi semper sunt. Quæ unanimis attestatio conjuncta cum illis omnibus quæ hactenus allata sunt omnino conficit unitatem in animis hominum semper fuisse conjunctam cum idea *veri & magni Dei.*

Objicies. Nihil adeo certum videtur in tota retro antiquitate, quam agnovisse omnes gentes Deos innumerabiles, atque hanc fuisse gentis Judaicæ peculiarem gloriam, quod Deum unicum agnoverit & coluerit. Ergo imperite satis pro Dei unitate ex consensu nationum argumentum peritur.

Respondeo, distinguo antecedens. Certum est gentes omnes, plures Deos coluisse, id est, homines in cœlum, ut putabatur, receptos; vel hujus mundi partes; vel Dæmones genitos; vel virtutes; vel tutelares, gentilitios & locales Deos, concedo. Plures Deos summe perfectos, ingenitos, a se existentes, causas primas rerum omnium, totius naturæ moderatores: aut præter hos Deos nullum alium, saltem *speculative*, agnovisse, nego. Omnes igitur Dii, quos coluit antiquitas, certis classibus comprehendi possunt.

1. Dubio caret multos eorum hominės fuisse vita functos, seu animas Heroum, quos virtus ad sidera tulisset: hinc docet Cicero cœlum genere humano ab antiquis Paganis repletum fuisse. Tales erant *Hercules*, *Castor & Pollux*, *Æsculapius*, *Quirinus*, & alii. Etiam majores gentium Deos, uti *Jovem*, *Mercurium*, &c. homines fuisse multi probare conati sunt. Ob hanc causam creditur ab aliquibus Moysen despectus causa vocasse sacrificia Gentilium, *sacrificia mortuorum.*

2. Alteram veterum Deorum classem majores & nobiliores partes universi constituunt, quibus anima inesse credebatur: *sol* nimirum, *luna*, *stellæ*, & ipsa quoque *terra*, quam variis nominibus *Vestæ*, *Cibeles matris Deorum*, &c. insigniebant. Certe horum Deorum nullus credi potuit per se ab omni æternitate extitisse, cum Aristoteles l. de cœlo c. 10. scribat; ante suam ætatem ab omnibus rece-

receptum fuisse, totam hancce universitatem ortum aliquando habuisse.

3. Aliam Deorum familiam componunt illi, quos *Dæmones*, *Genios*, *&* *Lares* vocabant; sive Deos *æthereos*, *aerios*: quos excellentiores quidem naturæ esse, quam homines; at infra tamen *cœlestes mundanosque* Deos positos esse arbitrabantur. Hæc quoque Numina, quandoquidem partes tantum erant, neque præcipuæ etiam, totius universitatis, quam cœpisse credebant, sine ullo dubio inter Deos *genitos* numerabant.

4. Deorum quartum genus *affectionibus* constabat, sive rerum *proprietatibus*: in his *virtus* erat, *Pietas*, *Felicitas*, *Veritas*, *Fides*, *Spes*, *Justitia*, *Clementia*, *Amor*, *Desiderium*, *Sanitas*, *Pax*, *Honor*, *Fama*, *Libertas*, *Memoria*, *Somnus*, *Nox*, pluresque aliæ; quibus omnibus superstitio aras & delubra olim consecraverat. Ista, quæso, Numina quis sanus credere potuit per se existere? Qui istis Numinibus aras dedicarunt, testari voluerunt suum erga istas virtutes devotum animum.

5. Restat una Deorum classis, qui tametsi nomina habeant personis propria, tamen censeri originis expertes aut independentes nullo modo potuerunt, ob hanc evidentissimam causam; quod omnes hi Dii certis muneribus, officiis, locis atque provinciis alligati essent, neque illis migrare fines suos licitum esset, ne aliorum rationes perturbarent. Unus ex his Diis *cœlo* præsidebat, alius *aerem* moderabatur, tertius *maris* gubernabat motus, quartus *terræ* atque *inferorum* imperium sustinebat. Hic Deus vel Dea *sapientiæ & eruditionis* tutelam gerebat, ille *eloquentiæ* habebat administrationem; alius *justitiam* & *leges civiles* curabat. Hic *belli* dux est, ille *deliciarum & voluptatis* custos, alius terræ *frugibus* præpositus. Unus *Romam*, alius *Carthaginem* tuebatur. Hi Dii quomodo æterni & ingeniti haberi potuerunt? Certe apud veteres Poetas & Theologos, illorum ortum & natalia deprehendimus.

Aliunde tamen certissimum est Gentiles agnovisse Deum ingenitum & æternum, causam primam & universalem rerum omnium, quod modo confecimus. Hi ergo characteres cum non conveniant ulli ex memoratis Diis, necesse plane est confiteri, agnovisse eos supremum quemdam Deum, qui ut hominum sic quoque *Deorum pater*, *Rex & æterna potestas esset*.

Ex his omnibus perspicuum esse videtur, non id multorum Deorum cultoribus crimini dandum quod multis supplicaverint Diis ex infinito tempore existentibus, nullique causæ subjectis; sed sunt graviter vituperandi quod cultum summi rerum omnium conditoris, cum conditarum & genitarum rerum cultu confuderint: vel potius quod, contempto vero Deo vel præterhabito, impense creaturas adoraverint: uti illis exprobrat divus Paulus in ep. ad Romanos: *revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent; quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.*

Si quæras unde ortum habuerit hæc incredibilis Paganorum superstitio. Respondeo illius causam nullam aliam quærendam esse, præter naturalem vulgi levitatem & credulitatem.

Quotquot vero philosophice Polytheismi originem explicare conati sunt, etsi vera multa dixerint, tamen in multis etiam recedunt a veritate. Hæ fuerunt magis celebratæ apud veteres sententiæ.

Primo. Multi hanc Deorum multitudinem inde profectam existimabant; quod putarent veteres religionum inventores, aut totum mundum animatum esse ac ipsum esse supremum Deum, adeoque omnes mundi partes totidem esse viventia Dei membra: aut saltem existimarent orbem hunc speculum esse Divinitatis, seu spectabilem invisibilis Dei ima-

imaginem: adeoque diversas ejus partes, omnesque naturæ effectus tot esse declarationes & simulachra divinæ potentiæ & providentiæ: & judicarent nobis mortalibus fas non esse, omnem illam, quam divinæ naturæ debemus, reverentiam, hac una generaliori neque satis explicata professione concludere, esse Numen aliquod supremum: sed omnia in quibus divina virtus hominibus sese spectandam & admirandam præbuerit, separatim considerari debere, divinique honoris partem aliquam suo jure poscere existimabant. Quod ut commodius præstarent, placuit illis ex hujus universitatis partibus totidem conficere personas. Hæc sententia *Stoicorum* fuit & fuse exponitur a *Cicerone* l. 2. de nat. Deor.

Sed explicatio hæc nimium subtilis habita est ab ipsis veteribus Paganis, uti patet ex ejusdem Ciceronis libro tertio. Gravius etiam antiqui Ecclesiæ Christianæ Doctores, *Arnobius*, *Lactantius*, *Eusebius*, *Augustinus*, & alii in has ineptias invecti sunt: & certe illi bene noscebant Religionis, qua ab infantia imbuti fuerant, genium & naturam.

Secundo. Alii docuere ista varia, quæ usurpabant veteres, Deorum nomina, unum summum Deum exprimere; & illi tot nomina imposita fuisse pro multifariis ejus virtutibus in orbe conspicuis, beneficiis atque donis, quibus homines cumulavit; atque sub his nominibus eidem Deo Creatori varios honores decretos fuisse: hinc etiam evenisse aiunt, ut multæ res per se minime subsistentes in Deos tamen & personas a veteribus commutarentur; ac tanquam totidem nomina & notiones unius supremi Numinis religioso cultu afficerentur. *Quoties voles, inquit, Seneca de benef. l. 4. c. 7. tibi licet aliter hunc authorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus esse possunt, quot munera, hunc & liberum patrem, & Herculem, & Mercurium nostri putant; sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia ejusdem Dei sunt varie utentis sua potestate.* Quidam inter Christianos etiam sunt, qui ad tres saltem personas sanctissimæ Trinitatis, varia Deorum vocabula revocari posse censuerunt. In hac sententia fuere fortassis quidam inter ethnicos Philosophi; sed quicunque vel leviter versatus est in antiquitate pagana optime novit hanc non fuisse communem populorum opinionem; neque etiam doctos esse ausos mentem suam aperire, aut id non fecisse impune.

Alii tandem cum Evehemero, qui de hac re librum scripsit, contenderunt totam Deorum turbam, homines esse mortuos, sed ab ista opinione tanquam ab inexpiabili blasphemia abhorruere, qui inter Ethnicos pii & religiosi erant, prædictumque auctorem propterea severe reprehendit Plutarchus.

PROPOSITIO SECUNDA.

Abhorret ab omni ratione portentosa veterum, uti fertur, quorumdam de duobus Diis contrariis æternis & independentibus doctrina, quæque vulgo tribuitur Manichæis.

PROBATIO.

1. REPUGNAT notio entis summe mali: nam per principium malum, vel intelligitur ens infinite contrarium bono principio in omni re, ut tenebræ opponuntur luci: vel intelligitur principium consors earumdem perfectionum, sola excepta benevolentia. Atqui utroque sensu repugnat principium malum. Si sit ens infinite contrarium in omni re, est solummodo infinita non entitas & debet continere negationem earum omnium perfectionum, quæ sunt in Deo; intelligentiæ, potentiæ, & universæ realitatis: sicut tenebræ, quo nomine designabatur malum principium, sunt negatio lucis. Jam vero hoc idem est ac si diceres existere nihilum infinitum & necessarium & malum. Deinde si intelligas naturam participem divinarum perfectionum intelligentiæ, potentiæ, &c. sed malevolam; constabit illud ens attributis repugnantibus. Nam primum non intelligitur quomodo a choro aliarum virtutum voluntas recta abesse potest; quia quæque res vult & propendet juxta suam

na-

naturam: cum igitur supponatur illud ens esse intelligens, id est, id, quod rectum est, videre & probare per intellectum, non intelligitur quomodo rectum aversetur per voluntatem, aut rectum non prosequatur. In ista saltem hypothesi interire concipitur omnis illius entis felicitas; si quidem perpetuo secum divisum & mere in partes contrarias distractum est; ipsamque suam naturam odio habere probatur. Tandem non intelligitur, quomodo ens intelligens capere possit mala consilia, nisi ex ignoratione recti, vel utilitatis alicujus spe: quod rectum cernit & necessario probat, nec a recto avocatur utilitatis alicujus consideratione, rectum necessario sequitur. Atqui ens quod æternum, & independens, atque infinite intelligens supponitur, rectum ignorare nequit, & sibi sufficiens nullius utilitatis consideratione a recto avocari potest. Ergo malum prosequi nequit. Vide infra ubi de voluntate Dei.

2. Posita existentia entis mali & independentis, tollis Deum. Deus enim, uti supra declaravimus, est ens summum & perfectissimum, & necessarium, & infinite intelligens, & infinite potens, & immensum, &c. Atqui in hypothesi duorum Deorum intereunt hæc omnia attributa. Non est summus, qui habet æqualem & socium. Non est necessarius, qui non est singularis & unicus, quia non existentem possumus cogitare. Non est immensus, excluditur enim ab illo ente maligno independente (*a*). Non est infinite intelligens, non noscet quippe consilia illius entis, a quo abest & a quo natura dividitur. Non est infinite potens, cum experiatur hostem æque potentem. Non est sibi sufficiens & felix, cum spe sua sæpe fraudabitur & irritos sentiet conatus suos.

3. Ridicule & sine causa inventa est duorum Deorum hypothesis, quia inepta est ad explicandam mali originem. Nam vel supponitur illa duo principia coæterna agere ex necessitate naturali, uno perpetuo & necessario bonum operante; altero necessario operante malum: vel supponitur illa duo principia consulto & libere agere ex pacto fœdereque inito. Atqui in neutra hypothesi explicatur origo mali.

Primo. Si ponas illa duo principia agere ex necessitate naturali, ipsam mali moralis notionem sustulisti: omnia enim tunc contingent ex efficacia naturali illorum duorum principiorum, quam frangere nec nos mortales nec illi Dii poterunt, & proinde nullus erit locus libertati: sine qua nihil morale esse potest.

Deinde vero in ista hypothesi sic licet conficere: vel *inæqualis* est duorum principiorum potentia, vel *æqualis*. Si *inæqualis*, coercebit necessario unum alterum; bonum si prævaleat, malum bacchari non sinet, nec sinere poterit. Si malum viribus superius sit; nullum erit bonum, & erit semper quantitas liquidi boni vel mali pro excessu virium aut unius aut alterius. Si *æqualem* fingas utriusque vim: inde tantum oritura est summa confusio & inconstantia, uno perpetuo destruente alterius opera, vel potius nihil orietur, cum ex contrariis viribus nascatur quies. Neque dicas orituram æqualem mixtionem bonorum & malorum: nam illa non concipitur mixtio, nisi ponas duo principia concurrere ad ejusdem rei productionem, uno quædam liquida bona suppeditante, & alio mala infundendo æquali mensura. Sed hic nulla est pugna, sed potius fœderis cujusdam imago, quod jam considerandum est.

Secundo. Non melius explicatur origo mali, si ponas illa principia libere agere & post expertas mutuas vires fœdera iniisse, uti ponit Baylius. Nam primum

(*a*) Summum & verum Deum, utrum sit finitus, necne, si quæritur; de hoc boni & mali contrarietas breviter poterit edocere: quandoquidem, si non est malum, profecto infinitus est Deus. Habet autem finem, si malum est. Non igitur infinitus est. Illic enim esse mala incipiunt, ubi bonorum est finis. *Faustus Manichæus apud S. Augustinum*. Nihilominus asserebant Manichæi Deo omnia alia attributa præter immensitatem.

mum in hac hypothesi non minus auctor mali Deus bonus constituitur, quam in communi & pervulgata opinione. Nam sic supponitur Deum bonum tolerare malum, quia ad id fœdere adstrinxit sese; eo fine, ut aliqua etiam bona existerent. Sed sic malum libere & ex fœdere tolerando auctor mali invenitur, eodem modo ac in provulgata opinione. Nam æqualiter mali auctor censeri debet is, qui creaturam suam exponit ludibrio & malitiæ entis maligni, ac is qui creaturam mali capacem generat. Si Deus potuerit consentienter suæ bonitati producere res, quas Genii mali furoribus obnoxias fore cognovit, intuitu illius boni quod illis inditurus erat; potuit etiam creaturas producere consentienter suæ bonitati, quas ex naturæ suæ imperfectione miseriis obnoxias futuras præscivit, propter illud bonum, quod cum ista imperfectione conjunctum futurum erat. Nam eodem plane redit, nec magis nec minus distat a bonitate, consentire, ut creaturæ malis naturalibus implicentur ex interna naturæ constitutione, an ex efficacia externæ causæ: atque si satius fuit hominem existere obnoxium malitiæ principii mali, quam omnino non esse: satius etiam certe fuit, hominem in hac mortali conditione cum vitæ miseriis & peccandi libertate existere, quam omnino non esse.

Deinde illa hypothesis experientia confutatur: Nam si fœdere res inter duos Deos compositæ fuissent; æquæ esse debuissent conditiones, & in omni re æqualem vim utrumque principium exercere & æquale habere imperium debuit. Sed rem aliter contingere experimur. Quia notum est ex unius cujusque hominis prudentia, consilio & industria pendere magna ex parte felicitatem suam; & miserias non tam fatali lege, quam ex imprudentia & intemperantia oriri: quod ostendit non ex fœdere duorum principiorum extitisse præsentem rerum ordinem, sed unius entis consilio, quod nostram fortunam propriæ industriæ & prudentiæ opus esse voluit.

Præterea non intelligitur, qui in fœdus coire tam contraria principia potuerint & in eadem re finem suum obtinere: videtur certe hac conventione utrumque spe sua fraudatum esse, nam bonus Deus absolutum & liquidum bonum natura prosequitur; Malus vero Deus, malum absolutum. Neutrum tamen hac ratione contingit; cum mali pondus suspendat æqualiter bonum & irriti fiant utriusque naturales conatus. Deinde mali principii ingenio satis bene congruisse videtur omnium rerum summa perturbatio, & ut nihil esset constans & permanens; qui ergo ordinis introductioni consentire potuit? infinita alia hujus opinionis absurda consectaria enumerare liceret, si operæ pretium esset; inter quæ hoc unum est, quod manifeste tollat omnem religionem, nullam relinquens spem in boni Dei præsidio, aut in mali genii placabilitate.

Ab hac tam absurda doctrina longissime disjunctos fuisse omnes veteres Philosophos, omnesque antiquissimas gentes calumniatas a Baylio, demonstrarunt *Cudworthus* in syst. intell. *Hyde* de rel. vet. Pers. & *Beausobre* in historia Manicheismi.

PROPOSITIO TERTIA.

Deus eo sensu unicus est, quod solus necessariam & æternam habeat existentiam: nec materia ullo modo in hujus necessariæ existentiæ participationem venire potest.

PROBATIO.

1. HOC conficiunt illa omnia, quæ supra disputata sunt in argumentis physicis pag. 137. ubi conclusum est materiam esse effectum arbitrarium entis a materia disjuncti. Illa quoque, quæ de entis necessarii & independentis summa & absoluta perfectione dicta sunt p. 146. Et tandem illæ rationes huc conferri possunt, quibus modo divinæ naturæ unitatem probavimus. Adeoque hic expendemus solummodo contrariæ sententiæ, tam communis apud veteres Philosophos, fundamenta.

2. Ob duplicem causam ista hypothesis inventa fuit. Primum, quia difficile con-

concipitur creatio: & quia apta visa est ad explicandam mali originem. Primùm fundamentum vanum esse ostensum est pag. 141. Et profectò tam obscura & difficilis est cogitatio, quomodo Deus regere possit rem necessariam & a se natura independentem, ac quomodo creare possit: hucque recurrunt illæ Epicureorum non leves quæstiones. *Quæ molitio? Quæ ferramenta? Qui vectes? Quæ machinæ? Qui ministri tanti operis fuerunt?* Quæ nulla alia ratione eludi possunt, nisi faciendo materiam divinæ potestatis effectum. Secundum ergo fundamentum expendamus.

Vel enim dicendum erit cum *Stoicis* materiam carere per se omni qualitate & esse ad omnem usum aptissimam: vel cum *Plutarcho* & aliis Philosophis materiæ inesse naturaliter motum inordinatum & vim quamdam maleficam. Sin prius eligas, confutaris hac *Ciceronis* argumentatione. *Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse quod Deus efficere non possit, & quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra, nulla contentione, mente ipsa ac voluntate moveantur; sic numine Deorum omnia fingi, moveri, mutarique posse. Materiam enim rerum ex qua & in qua omnia sunt, totam esse flexibilem & commutabilem, ut nihil sit, quod non ex ea subito fingi convertique possit: ejus autem universæ rectricem & moderatricem divinam esse providentiam: hanc igitur quocunque se moveat, efficere posse quidquid velit. Itaque aut nescit, quid possit; aut negligit res humanas; aut quid sit optimum non potest judicare. De Nat. Deor. l. 3.*

Sin secundum eligas, communis etiam recurret objectio, quam sic urget *Tertullianus* contra *Hermogenem* cap. 10. *Aut enim potuit Deus emendare materiam, sed noluit; aut voluit; aut voluit quidem, verum non potuit infirmus Deus. Si potuit & noluit, malus & ipse, quia malo favit, & sic jam habetur ejus assentator; licet non instituerit: quia tamen si noluisset illud, non esset; ipse jam fecit esse, quod noluit non esse: quo quid turpius? Si voluit esse, quod ipse noluit fecisse, adversus semetipsum agit, cum & voluit esse quod noluit fecisse, & noluit fecisse quod voluit esse . . . . . Invenietur Deus egisse male, si per voluntatem; turpiter, si per necessitatem; aut famulus erit mali Deus, aut amicus.*

Deinde in hac hypothesi non erit author boni Deus, magis quam mali. Nam in materia vel nihil erat nisi malum: vel erat mali & boni quædam permixtio. Si nihil præter malum, non potuisset ex ea bonum elicere, cujus siquidem æternam & necessariam naturam mutare non potuit. Si malum & bonum simul extitere: ergo Deus non magis est author boni quam mali. Sed, inquies cum Plutarcho, Deus inordinatos motus æternæ materiæ temperavit, & ita ex malo bonum produxit: adjecitque partem suæ substantiæ, quæ quasi rectrix & moderatrix in eadem temperatione materiam contineret. Sed vana hæc est responsio: nam si Deus aliquod malum tollere potuit; totum cur non tollere potuisset? Cur materiæ inordinatos motus omnino non temperavit? Præterea adjectione istius portionis divinæ substantiæ, a qua bonum omne fuit, revera mali omnis author extitit Deus. Nam malum morale, in illa sententia, in eo positum est quod vis malefica, naturaliter insita materiæ, partem cœlestem superet, illamque subigat & impotenter ferat in omne malum: adeoque Deus similis est patris, qui filium patitur conscendere equum rabidum & frena renuentem, qui per præcipitia raptabit & elidet. Quod maxime abesse videtur a parentis optimi benignitate.

Tandem in hac opinione, ut in illa duorum Deorum, nullo modo potest religio consistere: hæc omnis posita est, in eo quod ex divino præsidio malorum omnium liceat sperare liberationem & ex divina iracundia mala multa nostris capitibus impendeant. Atqui in hac hyp. Dei præsidio vitandi mala spes nulla affulget; malum quippe ex constitutione naturali exoritur, alias non absolvitur Deus: & nihil a Deo metuendum nobis est, qui nihil mali facere potest; nec

nec punire debet ob malum ex rerum natura & constitutione ortum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ATTRIBUTIS DEI COMMUNICABILIBUS.

Hactenus illa attributa exposuimus, quæ propria sunt supremi Numinis & includuntur in conceptu entis necessarii, neque ullo modo pertinere possunt ad naturas finitas. Hic ea nobis evolvenda sunt, quæ ad ens necessarium pertinent quatenus vita præditum, quæque mentes finitæ aliqua ratione participant, qualia sunt, *vita*, *scientia*, *potentia*, *voluntas*, *libertas*, *felicitas*.

De vita Dei.

Per *vitam* entis alicujus generatim intelligitur ille motus, vel illa actio seu vis interior, qua explicantur ejus facultates atque virtutes. Vocis istius infima acceptio est, cum tribuitur rebus, quæ in permanenti statu servantur per motum sibi proprium: hoc sensu dicimus *aquas viventes*. Proximus gradus vitæ illorum entium proprius est, quorum partes ita sunt comparatæ, ut capaces sit nutritionis & incrementi: talia sunt *lapides* & *fossilia* omnia; sed præsertim *plantæ* atque *arbores*, quæ in se abdita continent vegetationis principia, & certis anni tempestatibus induunt se sponte sua in florem, ac folia fructusque explicant. In *animalibus* organa & officia vitæ magis sunt exquisita, spontaneo feruntur motu, pascuntur quoque sponte sua & speciem propagant: in iisdem clara habemus sensuum & passionum indicia, nec eorum motus ad mechanicas leges revocare possumus. In *homine* vitæ principium excellentius est: per illam enim facultatem, quam intellectum nominamus, quæque fluit ex ejus vita vel vitæ ejus pars est, non solum de rebus judicat, deliberat, ratiocinatur, quod non faciunt animantes: sed se immiscere toti rerum universitati, ipsum cœlum & Deum mente adire, & omnes rerum ordines perscrutari potest. Puriores esse *Spiritus* auguratur ipsa ratio, in quibus vitæ vividum principium magis viget, quique non tantum habent facultates nostras in perfectiori gradu, seu fortasse continet eorum vita vires novas, quarum nullam ideam informare animo valemus.

Ex his creatarum rerum vitis aliquam informare notionem possumus istius vitæ, quæ omnium aliarum fons & principium est. Sed meminerimus eam semper esse distantiam inter vitam excellentissimam rerum creatarum & vitam Numinis, quanta est inter finitum & infinitum, inter ens necessarium & contingens, inter ens independens & naturam precariam: Deum non tantum continere illas vires, quas in creaturis experimur, in summo grado & sine adjuncta aliqua imperfectione, sed infinitas alias vires ejus vitæ appendices esse, quas omnino ignoramus. Ille solus proprie continet vitam in semetipso, proprie habet immortalitatem: omnia alia entia ejus vitæ participatione vel efficientia vivunt, *in ipso vivimus*, *movemur & sumus*.

Propter hanc immortalem semperque actuosam vitam, solebat Plato Deum appellare *naturam pervigilem*; utpote quæ nunquam dormit aut cessat; sed perpetua & nunquam interrupta activitate viget. Idcireo etiam Aristoteles appellabat Deum *energiam*, seu *vim essentialem & substantialem*: ut nempe exprimeret perpetuum & infinitum vigorem supremi Numinis.

In hoc igitur differt vita Dei ab aliis attributis; quod latius pateat & sit complexio omnium virium istius entis infiniti; non tantum earum, quæ a nobis cognoscuntur, sed earum etiam quæ in Deo abditæ sunt.

De scientia Dei.

Esse Deum intelligentem conficiunt ea omnia argumenta, quæ supra attulimus ad conficiendam ejus existentiam. Nullum est inter argumenta seu moralia, seu physica, seu metaphysica, quod huc conferri non possit. Adeoque hic solummo-

modo breviter declarandum est, quousque sese extendat hæc Dei scientia.

I. *Deus seipsum perfectissime novit.* Quia primo cum sit ens perfectissimum non potest carere cognitione objecti præstantissimi. Quia secundo non concipitur quomodo Deus aliter intelligens esse possit, quam seipsum comprehendendo. Nam cum præter Deum nihil per se existat, vel cognitio Dei est comprehensio sui ipsius aut nihili. Sed non est comprehensio nihili, cum comprehendere nihilum & non comprehendere sint quid unum atque idem. Quia tertio Deus est ens intelligens & sibi intime præsens, ergo habet sui conscientiam.

II. *Deus novit omnes rerum essentias, omnesque rationes, quæ sunt inter illas essentias, id est, omnem veritatem.*

Nam Deus est sempiterna & incommutabilis natura, ea omnia quæ incommutabiliter vera sunt continens; seu essentiæ rerum & earum rationes nihil aliud sunt quam modi mentis divinæ: ut supra effectum est.

III. *Deus novit omnia entia possibilia seu omnia, quæ extra Deum existere possunt.*

Primo. Deus cognoscit seipsum & consequenter potentiam suam: cognoscit etiam rerum omnium essentias rationales & metaphysicam earum possibilitatem. Atqui entia possibilia sunt res quibus divina potentia dare potest existentiam. Deinde mens infinitæ perfectionis id omne complecti notitia sua debet, quod est in rerum intelligibilium genere. Atqui res possibiles tales sunt. Denique Deus potest res possibiles ad existentiam perducere, quia omnipotens; & multas revera produxit. Atqui Deus non posset velle producere res possibiles, nisi easdem ante cognosceret. *In sapientia Dei, inquit S. Aug. de civ. Dei l. 11. sunt infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles & incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium & mutabilium, quæ per ipsum facta sunt: quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice dici potest. Porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat: ex quo occurrit animo quoddam mirum, sed tamen verum; quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.* Hæc scientia dicitur a scholasticis *scientia simplicis intelligentiæ.*

IV. *Deus omnia existentia, etiam minutissima; & ipsas hominum cogitationes.*

Primo. Omnia quæ sunt, in Deo vivunt, moventur & sunt; seu per omnipotentem ejus efficaciam existunt, agunt & diriguntur. Atqui Deus novit ea quorum ipse author, conservator & moderator est. Deinde Deus illa omnia novit quibus intime præsens est, atqui omnibus rebus præsens est per immensitatem. Hæc duo argumenta pulchre conjungit David Ps. 139. *Quo ibo a spiritu tuo, quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas diluculo (vel diluculi seu lucis) & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Denique Deus creaturis suis intelligentibus concessit facultates videndi, audiendi & varia ratione percipiendi. *Sed qui plantavit aurem, ipse non audiet? Qui finxit oculum, non considerat? Qui docet hominem scientiam, ipse non intelliget? Ps. 94.*

V. *Deus novit etiam ab æterno futura omnia, seu necessaria, seu libera.*

Nam primo, Deus est ens infinitum & perfectissimum, cui nihil accidere potest de novo, cujus scientia nulla incrementa capere potest. Sed si Deus non cognosceret res omnes futuras, non haberet cognitionem perfectissimam & singulis diebus ejus scientia amplificaretur. Quod longissime videtur abhorrere a dignitate entis infiniti.

Secundo. Sublata Dei scientia futurorum, tollitur divina providentia cum attributis moralibus. Nam ille non potest universitatem sapienter, bene & juste ordinare, qui non novit omnes suarum operationum exitus & consequentias; & consequenter ignorat, quæ mala oriri possint, aut quæ remedia sint malis na-

ſcentibus afferenda; qui perpetuo & ſingulis momentis manum operi ſuo emendatricem admovere propter mala non prævisa cogitur; haud ſecus ac artifex, qui horologii a ſe conſtructi motus omnes non prævidiſſet; nunquam ſane certus eſſe poſſet illud fini ad quem deſtinavit inſervire poſſe.

Tertio. Omnis opifex, qui operis alicujus inventor, & etiam creator atque unicum adminiculum eſt, qualis eſt Deus, non poteſt non cognoſcere interius opus ſuum, illius omnes motus perſpicere; illiusque fortunam omnem prævidere. *Nota eſt Diis*, ait Seneca de benef. *l.* 4. *c.* 32. *operis ſui ſeries. Omnium illis rerum per manus ſuas iturarum ſcientia in aperto ſemper eſt: nobis ex abdito ſubit. Et quæ repentina putamus, illis proviſa veniunt & familiaria.*

Quarto. Deus in ſummo gradu poſſidet, id omne quod nos aliqua ratione participamus: itaque ſi nos ipſi cœci mortales aliquam probabilem conjecturam ex rerum circumſtantiis & cognitis imperfecte hominum indole, propenſionibus & cognitionibus capere poſſimus de futuris etiam liberis actionibus, & eo ſecurius judicare poſſimus, quo perfectius illa omnia noverimus, Deus ergo cognitis perfecte omnibus omnino actionum principiis habere poteſt actionum liberarum certiſſimam præſcientiam.

Quinto. Denique id efficitur ex vaticinationibus olim factis afflante Deo, quibus prædicti ſunt non tantum eventus ex cauſis naturalibus & neceſſariis, ſed etiam ex cauſis liberis procreati: qualia ſunt facta imperiorum; humana conſilia, hominum virtutes & vitia. Præſcientia ergo Dei tot habet teſtes, quot fecit Prophetas. Hæc ſcientia vocatur in ſcholis *ſcientia viſionis*. Iisdem rationibus efficitur Deum noſſe omnia etiam futura *conditionata*, id eſt, ea, quæ futura eſſent, ſi hæc aut illa poneretur conditio. Quam ſcientiam conditionatorum Molina & ejus diſcipuli vocant *mediam* inter ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *ſcientiam viſionis*. Sed qui *S. Auguſtini* & *Thomæ* nominibus ſeſe nuncuparunt, ſcientiam conditionatorum ubi conditio non eſt ponenda, ſed poſſibilis tantum, revocant ad *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ*, quæ verſatur circa res poſſibiles; ubi conditio ponenda eſt, revocant ad *ſcientiam viſionis*.

Objicies. Scientia illa futurorum liberorum cum humana libertate nequit conſiſtere. Nam id, quod *certo præſcitum* eſt, *certo eſt futurum*. At quod *certo futurum eſt*, id non *contingens*, ſed *neceſſarium* eſt.

Reſpondeo nego minorem. Fateor quidem nihil *certo præſciri*, quod non ſit *certo futurum*; ſed nego nihil *certo futurum* eſſe, quod non ſit *neceſſarium*. Magnum eſſe diſcrimen inter rei *certitudinem* atque rei *neceſſitatem*, vel ex eo patet, quod plures quotidie cernamus effectus cauſarum contingentium liberarum, qui *certo* ſunt, etſi potuiſſent non eſſe & conſequenter non ſunt *neceſſarii*. Nam quodcunque eſt, id *certo* eſt, licet *non neceſſario*: ſic etiam quod *certo* nunc eſt, *certo* erat futurum, quamvis non *neceſſario*. Eventus tantum hic *neceſſarius eſt*, qui habet cauſam neceſſariam, ſed eventus omnis *certus* eſt, qui *certo* eſt *futurus*, quamvis pendeat a cauſa participe libertatis. Ergo ſi id quod *libere* ſit, *certo* nihilominus *futurum* eſt, & quod *certo futurum* eſſe poſſit *certo præſciri*, manifeſtum eſt præſcientiam involvere quamdam eventus *certitudinem*, nequaquam vero *neceſſitatem*.

Et vero præſcientia non affert majorem neceſſitatem rebus præſcitis, quam ſcientia rebus cognitis. Nam præſcientia in Deo nihil aliud eſt quam ſcientia cui cuncta futura ſunt præſentia: ſed nemo dixerit ſcientiam eſſe cauſam rerum cognitarum, nec viſionem eſſe cauſam rerum viſarum.

Inſtabis: id non *contingens*, ſed *neceſſarium* eſt, quod non poteſt non evenire. Sed quod *certo futurum* eſt & *certo præſcitum*, id non poteſt non evenire.

Reſpondeo diſtinguo minorem. Quod certo futurum eſt & certo eſt præſcitum, id non poteſt non evenire in *ſenſu compo-*

posito, concedo: in *sensu diviso*, nego. Propositio sumpta in sensu composito hunc habet sensum; quod certo futurum supponitur & certo præscitum, non potest supponi non eventurum. Quæ propositio valde clara est: Ejusdem minoris in sensu diviso intellectæ hic sensus est; quod certo futurum est & certo præscitum, id in nulla hypothesi potest non evenire, sed est necessarium & habet causam necessariam. Quæ propositio falsa est, quia futura libera & contingentia, ut mox diximus, possunt certo præsciri, quamvis non sint necessaria. Idem argumentum afferri potest ad conficiendum omnes, quas cernimus, hominis actiones esse necessarias: sic enim possis conficere; id non contingens est sed necessarium, quod non potest non esse; sed quæ cerno oculis non possunt non esse, ergo sunt necessaria. Manifestum est ad hanc argumentationem afferendam esse præcedentem distinctionem sensus *compositi & divisi*: verum quidem est, repugnare, ut id quod cerno, dum id cerno, non existat; sed falsum est, ex eo quod aliquid videam, id habere causam necessariam.

Instabis: ex concessis actiones creatæ voluntatis non possunt non evenire in sensu composito præscientiæ divinæ: ergo necessitas existendi conjuncta est cum præscientia Dei.

Distinguo consequentiam: Ergo necessitas existendi *hypothetica & consequentiæ*, ut aiunt, conjuncta est, &c. concedo. Ergo conjuncta est necessitas *antecedens & consequentis* nego. Si dixero, v. g. Deus prævidet hoc anno in aliquibus partibus seu Europæ, seu Asiæ exarsurum esse bellum. Ergo bellum exarsurum est. Consequentia quidem est necessaria & existit hypothetica quædam necessitas: nam non potes tollere quod semel posuisti. Posuisti bellum exarsurum esse, Deum id præscisse, non potes ergo contrarium ponere. Sed tamen consequens est contingens, non necessarium: quia id non continget ex causa aliqua necessaria, sed libera aliquorum Principum determinatione. Profecto haud magis Dei scientia affert voluntati principum necessitatem, quam mea probabilis conjectura, quæ certe nullo modo eorum afficit voluntatem.

Solent Theologi scholastici hoc loco fuse disputare de *modo* scientiæ divinæ & *mediis* in quibus Deus res omnes videat. Satis unanimiter definiunt Deum *semetipsum* cognoscere *sine medio*: res omnes *possibiles in essentia & omnipotentia sua*; omnes res *existentes*, in *decretis* suis & *operationibus*. Sed quod spectat res futuras in magna sunt dissensione. Thomistæ præmotionis physicæ defensores contendunt Deum *futura* omnia seu *necessaria*, seu *libera* videre in decretis suis *absolutis* & *physice præmoventibus* ac *prædeterminantibus*. Juxta alios Deus eadem futura novit in sua *essentia* tanquam specie intelligibili in repræsentando infinita: supposito tamen decreto, seu positivo, seu permissivo de eorum futuritione. Juxta alios Deus res futuras cernit in earum *cum æternitate divina coexistentia*. Tandem alii sunt, qui docent Deum futura omnia cernere *in proximis earum causis*: futura necessaria in causis necessariis; libera in hominum voluntatibus per eminentissimam quamdam cognitionem liberi arbitrii. Sed ne nos hisce inextricabilibus quæstionibus & propterea tam vanis implicemus nos, vetat authoritas S. Augustini*, qui in Ps. 49. nobis præceptum & exemplum reliquit his verbis. Non audeam dicere quomodo *Deus novit*. *Ne hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico non sic cognoscit ut homo: non sic cognoscit ut Angeli, & quomodo cognoscit dicere non audeo, quoniam & scire non possum*. Suadent etiam inter scholasticos sapientissimi, qui confitentur omnem hanc disputationem niti conjecturis. Et profecto res aliter esse nequit. Nam non possumus nobis aliquam informare notionem divinæ intelligentiæ quam ex nostris facultatibus, quæ hoc solo infinite distant a virtutibus divinis in *modo existendi* quod nos nihil possideamus per nosmetipsos, habeamus precariam scientiam pre-

precariam vim, precaria omnia & aliunde advenientia: Deus vero cuncta quæ habet in se & per se possideat & nihil emendicet a suis creaturis, non ipsam cognitionem earum existentiæ.

De voluntate Dei.

Nulla vox est magis in sermone communi familiaris; nulla etiam quam Philosophi & Theologi sæpius usurpent, quam ista vox *voluntas*: nulla tamen magis ambigua; quæ ambiguitas forte multarum disputationum causa extitit. Quandoque per *voluntatem* intelligitur divinæ naturæ *potentia*, & hoc sensu dicitur, voluntatem Dei esse omnipotentem. Alias per *voluntatem* intelligitur *divina libertas*, & hoc sensu dicitur voluntatem Dei esse liberam. Sed profecto valde improprie, quasi vero una facultas haberet aliam facultatem, ac facultas voluntatis dici possit habere facultatem libertatis. Melius diceretur divina *natura* est *omnipotens*, est *libera*, &c. Sæpissime etiam tum Philosophi, tum Theologi per *voluntatem* intelligunt *inclinationem versus bonum* cui propensioni concipimus esse in Deo aliquid analogum, quod *amorem* quoque nuncupamus: manifestum est hunc vocis sensum multum differre a *libertatis* vel *potentiæ* notione, & hæc est in præsenti loco vocis illius acceptio. *Voluntatem* ergo definimus *propensionem in bonum* seu *amorem boni*.

1. *Deus summa voluntate seu amore seipsum, suasque perfectiones prosequitur.* Nam primo enti perfectissimo nulla deesse potest vera perfectio, cujus possessione melior aliqua natura esse possit. Atqui amor sui ipsius, objecti videlicet optimi, & propensio in id omne quod pulchrum est atque bonum est vera perfectio, qua si fingas Deum carere, eum imperfectum statim cogitabis. Sicut enim concipimus scientiam præstare potentia, cujus cœcos impetus, præcipitesque conatus temperat: sic quoque insita est omnium animis, uti loquuntur Plato & Aristoteles, divinatio quædam atque præsensio, aliquid melius & excellentius existere ipsa scientia, aliisque omnibus perfectionibus. Est hic amor recti fundamentum omnium perfectionum moralium, veracitatis, bonitatis, justitiæ & sapientiæ, &c. quæ aliter concipi nequeunt, quam ut exercitationes ad extra istius amoris & propensionis in seipsum & id omne quod bonum est. Sine illo amore habebis in potentia & scientia divina causas cur metuas & verearis Deum; cur diligas & fiducia plenus complectaris, nullas prorsus causas animadvertis. Ergo hanc perfectionem Deo denegare non possumus.

Secundo. Deus creaturis rationalibus, quas ad sui imaginem finxit, indidit illum amorem & inclinationem versus bonum & rectum; & crescit illa propensio pro naturæ dignitate. Ergo in Deo qui summum gradum omnis perfectionis tenet & cujus naturæ summa dignitas est, debet idem amor summus & infinitus esse.

Hoc quoque agnoverunt omnes Philosophi. Plutarchus in vita Aristidis p. 522. t. 1. scribit, *& quidem Deus tribus præcellere videtur, immortalitate, potentia & virtute: inter quas summæ majestatis & divinitatis virtus. Nam vacuum quoque & elementa æterna sunt: vim vero terræ motus, fulgura, ventorum procellæ, aquarum impressiones ingentem obtinent: at juris rectique ne Deus quidem, nisi sapiendo & ratiocinando venit in consortium. Quare cum tria quoque sint, quibus affectum erga Deum vulgus est, quod eum beatum putet, timeat & honoret; beatum dicere videtur, quia immortalis est nec interit; exhorrescere & metuere ob vim & potentiam; diligere & honorare & venerari justitiæ causa.* Plato in libris de rep. ubi de virtute differit, docet summum bonum neque voluptatem esse, neque intelligentiam & scientiam, sed amorem recti. Ideo apud Platonicos virtus, quæ est in homine constans voluntas legibus æternis parendi, vocatur *imitatio divinitatis*: hincque patet, quam consentiens veræ philosophiæ sit illa divinæ naturæ descriptio apud Beatum Joannem sub notione caritatis: *Deus caritas est; & qui manet*

in

in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. Quam divina etiam sit illa Apostoli Pauli sententia: *si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam; factus sum quasi æs sonans & cymbalum tinniens. Si habuero prophetiam & novero omnia mysteria & omnem scientiam ..... charitatem autem non habuero, nihil sum ...... charitas nunquam excidit ..... major autem horum est charitas. Cor. 1. ep. 13.*

II. *Deus voluntate seu amore naturali nihil prosequitur præter semetipsum. At, ut postea explicabimus, libere sese determinando ad creaturarum productionem excitat in se amorem liberum erga creaturas.*

Nam Deus id solum naturali & necessario amore prosequitur, quod solum habet bonitatem absolutam. Sed Deus solus sine consorte bonus est & solus ab æterno extitit. Deinde si Deus necessario & naturali amore diligeret creaturas, essent plane necessariæ & ex divina natura per quamdam emanationem a tota æternitate fluxissent, uti docuerunt recentiores Platonici.

De potentia Dei.

Per *potentiam* intelligimus generatim *vim efficiendi*, & per potentiam infinitam vim efficiendi omnia possibilia seu potentiam cui nulla adjuncta est imbecillitas. Hujus perfectionis notionem aliquam informamus ex illo dominio, quo animus gaudet in corpus suum, & ex omnibus aliis etiam quibuscunque motionibus & effectibus. Adeo ut hanc ex natura rerum tollere nemo unquam in mentem sibi induxerit. Spinosa & alii Athei dum Deo hanc denegant, materiæ attribuunt. Paucis igitur, quæ ad præsentem quæstionem pertinent, absolvemus.

Deus habet potentiam infinitam.

1. Quia Deus est ens perfectissimum, cui nullam denegare possumus perfectionem & nullam adjungere imperfectionem vel imbecillitatem. 2. Quia nos participamus illam vim, & ens infinitum & perfectum in summo & infinito gradu possidet omnem nostram perfectionem. 3. Is est omnipotens, qui potest efficere quidquid est possibile seu quidquid esse potest. Atqui negari non potest sine contradictione Deum non posse facere quidquid est possibile: nam in ista hypothesi res essent possibiles & non possibiles: possibiles ut supponuntur; impossibiles certe, quod sine potentia Dei esse non possint. 4. Illius potentiam illimitatam atque infinitam cogitare debemus, qui hanc rerum immensam molem sustinet, animat, regit cum summa facilitate: nam nihil est in rebus possibilibus, quod majorem difficultatem contineat. Qui potest ex nihilo substantias producere, vires & facultates iisdem addere, easdem vires & facultates moderari; omnia certe potest: quia his tribus omnis potestas continetur.

De libertate Dei.

Libertas melius conscientia intelligitur, quam definitur; nam nullam habemus vocem clariorem, vel aliquam ideam sensumve, qui nobis sit interior (*Vide infra ubi de libertate humana.*). Cum Spinosa præsertim nobis est in hoc loco disputatio, qui negat esse ullam vim sui determinatricem in ulla re: asseritque omnia in Deo, considerato sub forma extensionis, contingere ex serie impulsuum quorum unus alterius causa sit; & similiter omnia in eodem Deo, considerato sub attributo cogitationis, contingerie serie quadam & nexu cogitationum & volitionum, quarum posterior immediate præcedentis effectus existat. Propterea in asserenda Dei libertate quibusdam utemur rationibus, quæ efficiunt solummodo immunitatem a coactione.

Deus est summe liber.

Nam 1. Deus est ens summe & infinite perfectum; cui nullam adjunctam imperfectionem cogitare possumus: si ergo libertas sit perfectio vere compatibilis cum aliis Dei perfectionibus, erit in Deo libertas infinita. Atqui libertas est naturæ rationalis summa perfectio; hoc certe conscientia nos docet cum majori vi atque authoritate, quam quæcumque ratiocinia: illa etiam tam cogna-

gnata est cæteris Dei perfectionibus, ut vix ulla sine libertatis notione concipi possit.

2. Deus omnes habet perfectiones eminenter & in summo gradu, quas possident ejus creaturæ. Atqui nos habemus illam libertatem & consistit tota vita in ejus usu, nec ullo modo ista perfectione privari vellemus; quia non posset a nobis tolli, quin ipsi a nobis ipsis quodammodo tolleremur.

3. Est in Deo libertas, si sit in Deo consilium & agat ad fines certos obtinendos: nam consilium & sapientia posita est in electione mediorum ad finem; qui necessario agit & a se non determinatur, nullos certe fines sibi præscribere potest. Hoc agnoscit Spinosa, & ideo confidenter asserit naturam finem nullum sibi præfixum habere & omnes causas finales esse humana figmenta. Atqui causas omnes finales tollere, negareque oculum esse factum ad videndum aut dentes positos esse in ore ad masticandum, insanire est. Cum sapientia divina intereunt etiam veracitas, bonitas, justitia, & omnia Dei artributa, quæ si abessent ab ente necessario, quam longe distaret a perfectione!

4. Libertas etiam includitur in idea omnipotentiæ. Nam potentia activa sine libertate concipi non potest; nec potentia infinite activa sine absoluta libertate. Ens cujus potentiæ activæ nullos cogitamus limites, illius etiam arbitrio nullos positos esse intelligimus: quidvis potest eligere & quidvis facere. Fac verbi gratia animum non esse liberum ad movendum corpus, perit statim omnis idea activæ potentiæ in corpus suum.

5. Deus est ens intelligens. Atqui sine libertate sumpta generatim pro vi sui determinativa nulla esse potest in Deo proprie dicta intelligentia. Nam intelligentia in Deo non potest esse *passio* ab extrinseco adveniens, seu conscientia passionis, cujus est aliqua causa exterior, cum præter Deum nulla alia causa agnosci possit; sed est necessario *actio* interior naturæ divinæ. Atqui omnis actio Deo interior & cujus principium est ipsa natura Dei, arguit libertatem sumptam pro facultate agendi sine alterius determinatione. Eodem modo conficere possit ex natura voluntatis divinæ, qui est amor activus.

6. Si prima causa careret libertate seu esset agens necessarium, cujus omnes actus sint tam absolute & physice necessarii ac ipsius existentia; sequeretur id omne quod non existit, esse non potuisse; & id omne quod est, non potuisse non esse. Sequeretur omnes modos rerum & omnia, quæ eveniunt, aliter contingere non potuisse. Hoc confitetur Spinosa. Atqui abhorret a communi sensu asserere nihil esse contingens, modos entium non potuisse esse aliter, quam sunt. Nam experientia compertum habemus & omnium intelligentiæ obvium est, cuncta è contrario esse effectus arbitrarios; motum videlicet cum omnibus suis adjunctis, determinata velocitate, directione, &c. leges omnes seu gravitatis, seu cohæsionis, &c. numerum & ordinem corporum cælestium, &c. Quæ necessitas v. g. fuit ut systema solare septendecim astris constaret? Ut Mercurius, Venus & Mars nullam lunam seu satellitem haberent: terra vero haberet unam, Jupiter quatuor, Saturnus quinque? Ut tam inæqualis esset orbitarum excentricitas aut tam diversa earum ad eclipticam inclinatio? Ut eam, qua feruntur, velocitatem haberent, tum circa axem suum, tum circa solem; cum omnis alia æque esset possibilis? Omnia etiam quæ in terra sunt ad arbitrium composita videmus, in plantis, in animalibus, in hominibus. Quæ necessitas fuit ut colorum numerus ad septem primitivos definiretur, &c.

7. Nisi prima causa seu Deus esset ens liberum, existeret progressus causarum in infinitum sine ulla causa prima. Nam si nullum ens sit sui ipsius determinativum seu liberum, nullum erit proprie activum, nullum primum movens, nullum primum cujuscunque seu cogitationis seu volitionis principium; quidquid existit erit passivum & determinatum, seu effectus. Hoc sæpius videtur agnoscere Spino-

no-

nosa (*Prop.33. & pte.2. prop.13. lem.3.*). Atque repugnat plane progressus causarum in infinitum sine ulla causa prima, ut per se patet, & supra confectum fuit. Ergo.

Objicies cum Spinosa. 1. Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis sequi debent. Hoc pertinet ad divinæ naturæ perfectionem: proinde nullus est locus libertati (*Prop. 16.*).

2. Si res alterius naturæ potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ ordo alius esset: Dei etiam natura alia esse posset, quam nunc est (*Prop. 33.*).

3. Qui negant ex necessitate divinæ naturæ omnia necessario fluere, Dei omnipotentiam negare videntur, coguntur enim fateri Deum infinita creabilia intelligere, quæ nunquam creare poterit: nam alias, si scilicet omnia quæ intelligit crearet, suam juxta ipsos exhauriret potentiam & seipsum imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum statuant, eo rediguntur, ut simul statuere debeant ipsum non posse omnia efficere ad quæ ejus potentia se extendit (*Cor. ad pr. 17.*).

Respondeo primam rationem esse manifestam petitionem principii. Naturam infinite perfectam producere posse infinita infinitis modis certum est, sed debere eandem *necessitate naturali* infinita infinitis modis producere nullo modo sequitur, nisi primum ponas illam naturam necessario agere secundum vim suam infinitam, quod est positum in controversia.

Secunda ratio quoque ridicula est: nam nullo modo sequitur mutari naturam divinam, si varia diversis temporibus, & diversis modis producat juxta decreta immutabilia & æterna sui arbitrii. Æquo jure & meliori concludere possemus Deum in hypothesi Spinosæ ex eo quod producat omnes possibiles rerum differentias, ideo ejus voluntatem & naturam esse semper necessario variam & sui dissimilem.

Tertia ratio ejusdem generis est, ac si quis hoc argumento divinam æternitatem tollere velit; si æterna duratio seu omnis possibilis duratio non sit actu exhausta, nunquam poterit exhauriri. Ergo nulla est Dei æternitas. Sic Spinosa per id tolli vult divinam omnipotentiam, per quod Deus constituitur omnipotens. Sicut ego Deus æternus est, quia ejus duratio exhauriri non potest, sic ideo etiam est omnipotens, quia ejus potentia non potest exhauriri, nec omnia creari possibilia queunt.

Objicies 2. Deus est ens necessarium & immutabile. Atqui tale ens non potest esse liberum. Nam entis necessarii & immutabilis modi omnes sunt necessarii & immutabiles; & ens non potest esse liberum, quin habeat modos contingentes. Siquidem unaquæque volitio & actio est entis modificatio, & unaquæque volitio libera est modificatio contingens.

Respondeo 1. Quamvis immutabilitatem Dei non possemus conciliare cum libertate, hoc non minueret vim rationum in quibus utraque Dei perfectio posita est. Nam multa sunt certissima, quæ explicare non possumus: v. g. Demonstrant Geometræ lineam diagonalem quadrati esse incommensurabilem cum lateribus ejusdem quadrati; neque quomodo id fieri possit, ullo modo explicant. Præterea difficultas hæc non nos solos attingit, sed Spinosam quoque & omnes Atheos, qui in sua materia necessaria perpetuam modorum mutationem agnoscunt.

2. Ab hac difficultate satis bene expediunt sese, qui existimant libertatem in Deo esse quidem immunitatem ab omni coactione & physica necessitate, at bene consistere cum necessitate morali. Nam moralis necessitas æque adjunctam habet immutabilitatem, ac necessitas physica. Sic si supponas a tota æternitate menti divinæ præsentes fuisse omnes mundos possibiles; si deinde ponas Deum inter mundos possibiles eligere perfectissimum ex necessitate quadam morali orta ex infinita ejus sapientia & bonitate; & tandem ponas hanc Dei electionem esse efficacem; in hac hypothesi omnes hi modi, nempe intelligentia rerum possi-

bilium, volitio, actus, sunt aliquo modo necessarii & immutabiles. Intelligentia fluit ex naturali & essentiali energia naturæ divinæ, electio ex intelligentia fluit moraliter & ex electione operatio. At in hac sententia dicendum est libertatem in Deo esse vim sui determinativam ex motivis rationalibus inclinantibus cum morali necessitatem, quam definitionem amplecti non possumus.

3. Quidam Theologi existimant pertinere quidem ad naturam entis necessarii & immutabilis, ut omnes ejus modi *perfectivi* sint necessarii & immutabiles; necesse autem non esse, ut defendamus omnes modos *minime perfectivos*, quales sunt volitiones liberæ & omnes ad extra operationes, esse necessarios & immutabiles. Immutabilitatem naturæ Dei propriam salvam consistere putant, quamdiu non acquiritur nova perfectio aut aliqua deperditur. Sed hæc responsio multa habet incommoda & parum consentit cum iis quæ a nobis supra disputata sunt in tertio argumento physico pro existentia Dei, ubi ex modis materiæ contingentibus & mutabilibus conclusimus materiam esse ens contingens; & simul asseruimus modum existentiæ necessariæ esse necessarium.

4. Satius aliis Philosophis & Theologis visum est negare volitiones & operationes liberas esse proprie modos naturæ divinæ, quatenus liberæ & contingentes sunt: multamque operam posuerunt Theologi scholastici, ut rem plane superantem intellectum humanum explicaret. Docent volitionem Dei spectari posse duobus modis; primo ratione substantiæ seu entitatis divinæ, quatenus est intra Deum & ejus modificatio; secundo ratione terminationis ad creaturas, qua ex parte omnino libera est. Igitur putant id quod actus Dei liber supra necessarium ponit, esse dumtaxat habitudinem seu respectum ad creaturas. Attamen quoniam actus liber Deo internus est, etiam quatenus liber est, pro conditione libertatis quæ ei est intrinseca; & aliunde tamen actus liber, quatenus liber, potest esse vel non esse: ut explicent quomodo aliquid in Deo liberum & internum possit esse vel non, distinguunt in prædicta terminatione ad creaturas quasi duplicem respectum; unum ex parte Dei & sub ea ratione intrinsecum, ordinem tamen & habitudinem dicentem ad extrinsecum, nempe creaturas; alterum ex parte creaturæ & sub ista ratione pure extrinsecum, creatum & defectibilem. Hocque modo exponunt quomodo eadem semper immota remanente Dei substantia & entitate, actus liber Dei sit internus & contingens: non quidem ratione entitatis, neque etiam ratione solius puræ terminationis extrinsecæ, quæ actum liberum intrinsecum constituere non posset, sed ratione terminationis intrinsecæ ad extrinsecum. Hæc & multa alia subtiliora habent quamplurimi; ex quibus fortasse difficilior & obscurior facta est immutabilitatis & libertatis conjunctio, quam antea visa fuerat.

De felicitate Dei.

Ea est illarum rerum sors, quæ per se claræ sunt, ut definiendo vel describendo nullam illis lucem afferre possimus: inter hujusmodi res principem locum tenet *felicitas*. Dicitur a nobis non tantum bonum, sed summum bonum: in eam ferimur naturali inclinatione: est omnium actionum nostrarum finis & objectum: hanc intelligimus adjunctam esse proprietatem omni intelligenti & consciæ naturæ, ut felix esse velit; & revera sit, vel e contrario infelix. Est ergo felicitas solida quædam res, illam ergo & Deo debemus attribuere.

Deus habet summam & infinitam felicitatem.

Nam 1. Deus est ens perfectissimum, cui nihil deesse potest ad naturæ suæ perfectissimum statum, & quod continere debet omnem realitatem. Atqui felicitas est maximum naturæ cujuslibet complementum, est vera realitas.

2. Id in se habent entia omnia cogitantia, quod propriarum virtutum & recte factorum conscientia recreentur, & ex sui amore & approbatione enascatur magnus felicitatis sensus. Si in entibus imperfectis, quales nos sumus, quibus tanta ex omni parte

te

te imbecillitas adjuncta est & quos miseriarum cohors obsidet, quorum etiam finitus sui amor est, id contingit; quanto magis in ente summo, cui naturalis est summa perfectio & infinitus in seipsum amor; qui possidet omnia, quæ possit & velit possidere aut amet, infinitam scientiam, qua omnia novit; infinitam potentiam, qua omnia valeat consequi, cæteraque omnia quæ desiderii vel voluntatis objecta esse possunt; felicitas certe est gaudium quod naturaliter nascitur ex possessione perfecta illius quod unice diligimus.

3. Deus fecit nos beatos, multa dedit felicitatis adminicula, potest etiam, ut clare intelligimus, hanc perfectionem, ut alias omnes, amplificare & intendere in infinitum. Ergo possidet ipse illam in summo gradu.

4. In hac re omnium unanimis consensio semper fuit: Cicero generatim pronuntiat naturam quæ nobis indidit esse Deos, eandem animis nostris indidisse eos esse beatos & æternos. Hinc maxime usitata eorum apellatio semper fuit illa *beatorum Deorum*. Ipsi Epicurei non aliam sibi notionem finxerunt, & existimarunt sibi licitum esse ab isto, quod ab omnibus concedebatur, eorum attributo argumentari adversus Dei providentiam. Ita Lucretius sequentibus versibus.

Omnis enim Divum per se natura necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur.
Semota a nostris rebus sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis.
Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

De *moralibus* Dei perfectionibus modo dicemus.

THEOLOGIA NATURALIS,

DE PROVIDENTIA DEI.

SECTIO TERTIA.

De Providentia Dei.

DEI *providentia* potest sub duplici respectu considerari, ut est in mente divina, & ut est in creaturis. Priori sensu considerata est ipsa *mundana idea*; seu *illa infinita & efficax mentis divinæ cogitatio, quæ continet & determinat ordinem & statum rerum omnium; complectens omnia tempora, omnia entia, omnes eventus; unamque componens immensam & cohærentem seriem, quam tempus fluendo & labendo perpetuo explicat & in æternum explicabit*. Posteriori sensu accepta, est *ipse universalis ordo rerum seu ipsa natura* & definiri potest, *cursus temporalis rerum creatarum, cum omnibus earum conversionibus & vicissitudinibus juxta leges ab initio positas perpetuo procedens*. Sic autem describitur & dividitur *providentia* a Boethio l. 4. consol. Philosophiæ prosa 6. pag. 933. *Providentia est ipsa illa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit ..... Quæ cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, providentia nominatur: cum vero ad ea, quæ movet atque disponit, refertur, fatum a veteribus appellatum est; ut sit fatum inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus*.

De *Creatione* satis dictum est in argumentis physicis, & in articulo de unitate Dei, quibus locis probatum est præter Deum nihil existere ab æterno & consequenter providentiæ divinæ primum actum fuisse rerum omnium creationem. Creatio duplex distinguitur, *prima* & *se-*

ctanda. Prima est effectio rerum, quæ antea nullæ fuerant: & videtur solius Dei esse opus. Secunda dicitur creatio, quæ materiæ primas induxit formas, & ex materia per se bruta & inutili species effecit.

Per *conservationem* vero non intelligimus illud præsidium quod Deus præbet creaturis suis, seu illam procurationem, qua illa omnia quæ sunt conservantia earum status præparat, & quæ sunt noxia removet; siquidem hæc Dei operatio pars est *gubernationis*: sed intelligimus vim illam, qua perpetuo rerum omnium vires & ipsum esse producit. Qualem autem Dei vim exigant res creatæ, ut permaneant, non unanimis est Philosophorum opinio. Disputant videlicet an eadem vi continua egeant, qua & esse cœperunt: an vero ea stabilitas ipsis tributa sit, ut durare per se possent, nisi divina vi rursus intereant. Disputant etiam circa rerum creatarum operationes, an ex vi quadam divina, vel *concurrente*, vel *præmovente* efficiantur: an contra rebus creatis a primo ea vis tributa sit & cum ipsis conservata, ut per se operari possent? De quibus quæstionibus breviter nostram sententiam dicemus.

Imprimis hoc omnino certum est Deum, qui esse rebus dedit, posse eas cum velit perdere; & consequenter in quavis opinione earum durationem & vim omnem Deo acceptam esse referendam. Deinde cum in argumentis physicis existentiæ Dei supra concluserimus, vires naturæ materialis nihil aliud esse nisi divinam efficaciam, quæ sese juxta certas leges exerit; & omnes substantias divinæ potentiæ adminiculo indigere; si consentientes nobis ipsis esse velimus, hic definiendum est, conservationem esse perpetuam creationem, aut saltem operationem æquivalentem perpetuæ creationi: nam parum refert vocetur creatio necne. Quæ opinio his etiam rationibus confirmari potest.

Primo. Quodcunque non existit ex necessitate naturæ suæ, existit in omnibus momentis durationis suæ *contingenter*, *precario* & ex sola *virtute causæ suæ*: de primo momento nullum dubium est; sed neque de secundo major videtur dubitandi ratio; quia secundum momentum nullam habet necessariam connexionem cum primo; non ex eo fluit necessario, sed est æque contingens & precarium: quia etiam creatura non magis per se servare existentiam potest in secundo momento, quam sibi dare in primo; notio quippe creaturæ per se non existentis includere videtur dependentiam non tantum ad esse, sed quoque ad perseverandum in esse; & si sine divina virtute perseveraret, esset in secundo momento independens.

Secundo. Nullo modo concipitur, quomodo sublata illa vi, qua aliquid existit, id possit servare suum esse. Num radius solaris existere potest sine Sole? Num motus sine vi motrice? Num cogitatio sine vi cogitandi?

Tertio. Deus annihilare potest creaturas suas. Sed annihilatio non videtur actus positivus divinæ virtutis; sed potius virtutis, qua quid subsistebat, subtractio: nam positivi actus effectus aliquis est realis, at in annihilatione effectus nullus realis est.

Altera quæstio videlicet an sit quædam Dei actio seu *concurrens*, seu *præmovens*, in omnibus creaturæ operationibus distincta ab illa actione, qua Deus conservat res & earum vires? An vero vires a Deo conservatæ sine nova ex parte Dei actione interposita sint activæ? Magnas habet difficultates & obscuritatem nimiam. Nullatenus dubitamus quin saltem actio Dei *concurrens* sit necessaria; sed ab his & similibus quæstionibus tam subtilibus, quæ longam postulant disputationem, in hoc compendio lubenter abstinemus.

De tertia ergo parte divinæ providentiæ, videlicet *administratione* rerum, hic disputatio instituitur. Quamvis universus rerum ordo sit fortasse in mente divina systema unum, cujus omnes partes connexæ sunt, tamen quia universam hanc designationem viarum Dei non possumus nos mortales cogitatione complecti; necesse est illam in varia systemata distinguere, & tria generaliora; videlicet

Unum

Unum pure *spirituale*, quod componitur ex spiritibus ab omni corporea mole segregatis; qui *Angeli* nuncupantur ab officio, quo in hac corporea universitate funguntur, dum Dei jussa exequuntur. De mundo hoc spirituali quantumvis disjunctus videatur a nostris sensibus, ingentia volumina quidam scripsere. Docent non modo quot ordinibus constet hoc systema: sed etiam qua in re ordines discrepent; quænam sint spirituum dotes, qualis vita & conversatio, quid ab initio illis contigerit aut obventurum est. At hæc amplissima scientia, si pauca excipias, quæ in divina revelatione fundamentum habent, conjecturis nititur quibusdam ingeniosis vel conclusa est ex quadam analogia cum mentis nostræ natura & virtutibus. Hæc teneamus quæ docet fides. 1. Esse Angelos. 2. eos esse variis ordinibus distinctos. 3. Illos fuisse primum, saltem aliquam eorum partem cum qua nobis est quædam communio, in statu probationis constitutos. 4. Illorum partem in bono perseverasse, aliam vero partem peccasse & a statu, in quo fuerant constituti, in perpetuum excidisse: illos *Angelos*, hos *Dæmones* dicimus. 5. Deum utrisque uti administris in sua rerum humanarum administratione, Angelis in bonorum distributione & cujusque hominis custodia; Dæmonibus in vindictam scelerum.

Aliud systema prorsus *corporeum* est, quod componitur ex variis corporibus, quæ dum se mutuo librant & in se mutuo agunt, efficiunt hunc admirabilem conspectum rerum, quo fruimur. Cum materiæ nulla esse possit vita, nisi illa cujus motus principium est: natura hujus systematis gubernatrix est vis motrix certis legibus definita. In hoc immenso corporeo systemate variæ partes distinguuntur, quæ totidem sunt systemata particularia, & hæc alia intra se continent, & hæc rursus alia in indefinitum; quorum omnium fata plane ignoramus: neque multum nostra refert scire, nisi nostræ telluris conversiones, quæ propius cum nostris fortunis sunt conjunctæ. Hæ ex sacræ & profanæ historiæ authoritate quatuor generales, aut fuerunt, aut futuræ sunt: videlicet ejus ex chao origo, ejusdem per diluvium corruptio, conflagratio futura, & postea renovatio.

Tertium denique systema distinguere debemus mixtum seu *corporeo-spirituale*, quod illa entia complectitur, in quibus est admirabilis animi & corporis conjunctio; quales sunt homines. Quod ad animantia spectat, haud nostrum est in eorum vitæ conditionem curiosius inquirere, nec quidquam in hac re vel conjectura consequi valemus; adeo ut haud defuerint Philosophi, qui omnes animantes automata esse statuerint sine sensu, dum è contrario alii fuerint, qui temere ipsis animas humanas, aut etiam angelicas, quarum transmigrationem finxerunt, concesserint. Sed multum nostra refert scire, quæ sit humanæ naturæ sors, quid humano generi olim acciderit, aut Deo providente obventurum sit, & hæc Dei in homines providentia hujus disputationis futura materies est.

Providentia hæc duabus partibus constat, una quæ *naturalis* dici potest, quam experientia & ratione intelligimus; alia *supernaturalis* dicitur, quam nobis divinitus accepta revelatio aperuit, quæ ad restitutionem generis humani in primævum perfectionis & felicitatis supernaturalis statum, Christi filii Dei mediatione & spiritus sancti administratione procedit. De hac providentia Dei supernaturali toto secundo volumine dicturi sumus; adeoque de naturali tantum inquirendum est, an sit? qualis sit, seu quæ sint illius attributa? Cur & quomodo seu juxta quas leges procedat?

In tota hac disputatione sola utemur ratione secuti S. Augustinum contra Manichæos, Theodoretum in libris suis de providentia & Theologos qui de possibilitate *status naturæ puræ* scripserunt: haud nescii nos magnam lucem afferre posse quæstioni de origine mali ex revelata religione quæ nos docet mala gravora quæ vitam humanam vexant, non esse ex primo Dei consilio, sed pœnam peccati.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De existentia Divinæ Providentiæ, seu in creaturas imperii.

DEi providentia ita est conjuncta cum ejusdem existentia, ut nullus unquam fuerit, qui admisso Deo serio Dei providentiam negaverit: ideoque omnes Philosophi veteres non dubitarunt confidenter asserere, Epicurum tollendo providentiam, se sustulisse Deos & ideo tantum nomen reliquisse, ut fucum faceret imperitis, & Atheisticæ impietatis infamiam aliquatenus vitaret. Adeoque non attingeremus hunc locum, nisi nobis præberet opportunitatem refellendi ea, quæ ab antiquis quibusdam Atheis & recentioribus audacioribus hominibus scripta sunt, quæque in hoc opere nondum sunt confutata.

Divinum imperium duplex est, aliud *physicum* seu *naturale* per leges physicas, cui imperio omnis natura obtemperat: & imperium *morale* in creaturas rationales & liberas per leges morales, quarum omnis vis est in sensu quodam animis insito ad certam vitæ rationem impellente & in sanctione præmiorum ac pœnarum, nullam afferente voluntatibus necessitatem. De priore præcipue hoc loco agitur, de altero tota secunda hujus operis parte disputabitur.

PROPOSITIO.

Deus cunctas universi res ditione sua continet & providentia moderatur.

PROBATIO.

1. ID conficiunt argumenta omnia, quæ supra pro Dei existentia allata sunt: præsertim moralia atque physica.

Argumenta siquidem moralia petita fuere ex utilitate, ex authoritate hominum, ex interiore naturæ voce, ex fide historiarum. Sed hæc omnia non probant Deum otiosum in intermundiis Epicuri positum, sed providum & nostri sollicitum. 1. Nullam habet utilitatem otiosi Numinis agnitio, nec ad privatum cujusque solatium, nec ad societatis naturalis præsidium, nec ad civitatum salutem. 2. Omnes homines consenserunt in fidem Deorum optime de nobis meritorum, ad quos precibus & sacrificiis confugiendum est. 3. Illa interior naturæ vox, quid obmurmurat, nisi sempiternum esse Dominum, qui legibus æquis omnia temperat, qui nos præceptis moralibus adstrinxit; in cujus potestate etiam post mortem erimus? Tandem fides historiarum non otiosum Deum refert, sed plenum negotii, dum testatur illum rebus humanis sæpe intervenisse, præsentiamque suam declaravisse miraculis, vaticiniis atque subitis & inopinatis præter omnem expectationem rerum conversionibus.

Argumenta physica petita fuere ex admirabili pulchritudine universi & motuum naturalium constantia; ex rerum naturalium operationibus, vi motrice & vi cogitandi; ex ipsarum substantiarum, materiæ videlicet & spiritus naturis. Atqui hæc eadem conficiunt Dei providentiam cum eadem vi & authoritate ac illius existentiam. 1. Admirabilis rerum pulchritudo, ut casu oriri non potuit, ita nec sine eadem causa, quæ fecit, potest casu consistere. Nullus omnino ordo esse potest sine ratis legibus. Casus, ut leges nequit ponere, sic nec servare potest. 2. Rerum præsertim corporearum vires, cum nihil aliud esse ostensum sit, quam ipsam divinam efficaciam, quæ sese juxta certas leges exerit, nullumque esse proprie cursum naturæ seu causarum secundarum, divinæ certe naturali providentiæ perpetuum & visibile præstant testimonium. Denique cum ipsarum etiam substantiarum attributa omnia & proprietates maxime essentiales sint arbitrarii effectus voluntatis divinæ, probant, quamdiu durant, illam eandem permanere Dei voluntatem, qua sublata, privarentur unico suo adminiculo & in nihilum necessario deciderent.

2. Hisce argumentis hæc alia adjungi possunt ex divinæ naturæ consideratione.

Deus est perpetuus mundi a se conditi rector, si ad tenenda mundi gubernacula, creaturasque suas legibus moderandas,

das, naturæ suæ determinatione quodammodo adstringatur; nec imperio abdicare se possit, quin ipse se deneget & naturam suam aspernetur. Atqui... Nam certe divina sapientia, quæ Dei lex est & regula, de qua modo dicemus, committit Deo imperii habenas: quippe sapientia dictat ab eo cuncta debere moderari, qui fines optimos novit, mediaque ad fines optimos obtinendos aptissima: non fortunæ aut cœco casui sapienter committeretur imperium. Atqui Deus is est, qui optimos fines novit, mediaque ad eosdem obtinendos aptissima. Nullus alius præter ipsum authorem mundi satis habet exploratas & voluntati suæ subditas naturas rerum, motus cogitationisque principia, ut queat caussarum vim suspendere vel dirigere; cordibus hominum consilia, seu indere, seu evellere; appetituum vim frænare; imperiorum fata nunc sustinere, nunc inclinare; cavere ne quid detrimenti ex partium damnis vel erroribus immensa rerum summa capiat, ac efficere ut ex ipso malo bonum oriatur & ex ipso discordiæ sinu admirabilis ordo. Ergo ipsi Deo sapientia divina tradit habenas regni; recteque conclusit Cicero; *Deo nihil præstantius, ab eo igitur necesse est mundum regi*.

Deus seipsum amat necessario, atque suas perfectiones ipse veneratur & colit; ut dictum est. Ergo non potest mundum, qui impressum gerit characterem istarum perfectionum, quas amat & in quibus gloriatur, alienum a se putare. Ut Architectus aliquis cum pulchrum, commodum atque excellentis architecturæ ædificium construxit, in opere suo complacet sibi & gloriosum reputat, quia peritiæ suæ testimonium continet & fert notas illius artis, quam ipse colit ac diligit & in qua gloriatur; nec potest illud edificium alienum a se putare propter illum sui, suæque artis cultum & amorem: sic neque Deus cum seipsum amet, & illam artem qua mundum condidit, & illas perfectiones quas in mundo expressit, non potest in opere suo sibi non complacere, non potest in illo non gloriari, ullove modo illud a se alienum putare.

Deus bonus est neque alia ulla ratione illum adductum ad creandum cogitare possumus, quam ex bonitate. Atqui alienum est ab illa bonitate creatoris non quærere creaturarum suarum perfectionem & felicitatem, & eas temeritati seu fortunæ committere. *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat aut destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere; nonne major injuria est fecisse; cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit; non curare quod feceris, summa inclementia (S. Ambrosius l. de Offic. c. 13.)?* Propterea irridet Epicurum Cicero, quod cum optimam & præstantissimam naturam Dei diceret esse, negaret idem esse in Deo gratiam, tolleretque id quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. *Quid enim melius, aut quid præstantius bonitate & beneficentia? Qua cum carere Deum vultis, neminem Deo carum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis (De Nat. Deor. l. 1. c. 43.).*

Vel sic confici potest argumentum: si Deus mundum non regit, causa est vel inscitia, vel impotentia, vel voluntatis defectus. Atqui Deo omniscienti nihil occultum est, omnipotenti nihil difficile, optimo nulla ignavia inest, quæ ne in stupidissimas quidem pecudes cadit, nam & illæ suos fœtus curant, nec ita delicatæ sunt, ut viliores aspernentur. Vide Simpl. in Enchir. Epict. cap. 38. Quæst. sec.

Objicies cum Epicureis. 1. Haudquaquam intelligitur, qui Dei cogitatio tantam rerum multitudinem simul complecti possit; aut qui valeat ejus potentia ad res omnes etiam minutissimas pertingere; aut qui in tantis negotiis ullam liquidam gustare queat voluptatem. *Si in mundo, inquit Epicureus apud Ciceronem de natura De l. 1. Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras & maria contemplans hominum commoda vitasque tueatur; næ ille est implicatus [illegible] lestis negotiis & operosis.*

2. Dei majestate plane indignum videtur

detur sese dimittere ad omnium rerum etiam viliorum procurationem *minora Dii negligunt, nec agellos singulorum, nec viticulas prosequuntur; nec si uredo aut grando, quidpiam nocet, id Jovi animadvertendum fuit.*

Respondeo duas illas rationes rusticorum potius esse, quam Philosophorum. Nam

1. Summæ inscientiæ & stupiditatis est, velle Dei infiniti & summe perfecti vires expendere ad modulum imbecillæ nostræ naturæ: longe majus spatium est illud, quod patet ab homine ad Deum, quam id quod ab animantibus ad nos patet. Sed quam multa facit hominis industria, quæ si conjecturam caperemus ex notitia illarum tantum facultatum, quibus natura animantes ornavit, impossibilia viderentur. Præterea non desunt nobis in rerum natura symbola & expressæ imagines divinæ naturæ; quibus ad divinæ scientiæ notionem informandam animis aliquatenus pervenire valemus. Sol, quo orbis noster illustratur, si animal esset, vitaque ejus tam late pateret, atque lux & radii patent, haud dubie omnes materiæ particulas, quas radii ejus longe lateque fusi attingunt, sentiret ac videret. Jam vero quot sunt res a Deo conditæ, illæ certo quodam sensu sunt radii divinitatis seu ejus efficaciæ termini, ex quo intelligitur Deum non posse non videre & percipere omnia, quæ ex potentia sua sic fluxerunt. Deinde vero ipsi homines multa simul negotia variis in locis animadvertere ac sine magna perturbatione & molestia gubernare possunt! Quam immensa oculi humani acies, quæ universa ferme sidera complectitur? Quam infinita notionum multitudo in mente nostra recondita est, inter quas nulla viget contentio! Si ergo imbecilla humanæ mentis natura, quæ per exigui corpusculi foramina quædam prospicit, tantam rerum multitudinem complecti valeat; non habere debet admirationem nostram quod [illegible], ante quem *orbis terrarum est tanquam momentum staterx & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*, & qui omnibus rebus substantia & virtute præsens est, cum summa facilitate cuncta provideat & dextera verset ac gubernet. Ita argumentatur Socrates apud Xenophontem (*L. de dictis & factis memorabilibus Socratis p.* 576.). *Animadverti mentem tuam, etiam dum inest in corpore ex arbitratu suo corpus gubernare. Quamobrem existimandum est sapientiam illam, quæ est in hoc universo, sic omnia regere, quemadmodum ipsi gratum est. Num tuus oculus ad multa usque studia pertingere potest, & non potest Dei oculus simul omnia intueri? Numque tuus animus tum de rebus, quæ hic accidunt, tum de illis quæ in Ægypto sunt & Sicilia cogitare potest: & non potest Dei sapientia simul omnium habere curam?*

Secunda etiam ratio vanissima est: nam primum non magis indignum Deo est minora curare, quam fecisse. Deinde ita sunt cum grandioribus naturæ partibus conjuncta minora, ut nullo modo possint illa administrari a Deo, quin & horum habeat rationem. Nam ut animadvertit Plato, *lapides magnos sine parvis collocari recte posse negant Architecti*. Certum etiam est nec imperatores, nec patres familias, nec navium gubernatores, nec machinarum fabros sua arte aut officio bene fungi, nisi æqua lege & majores res & minores ingenio comprehensas habeant, suisque consiliis & rationibus temperent. *Caveamus ne Deum, ait Plato, l. 10. de leg. p. 671. mortalibus opificibus viliorem putemus: isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte sua & parva simul & magna exquisitius absolutiusque perficiunt*. Tandem quæ naturæ pars vilis dici queat? Num minima? sed ut a Plinio Hist. nat. l. 11. notatum est; rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est: *in magnis siquidem corporibus facilis officina sequaci materia fuit. In his tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio! .... Ubi tot sensus collocavit in culice? Et sunt alia dictu minora. Ubi in eo visum prætendit? Ubi gustatum applicavit? ubi odoratum inse-*

inseruit? ubi vero truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? Qua subtilitate pennas annexuit, prælongavit pedum crura? deposuit jejunam caveam, uti alvum? avidam sanguinis & potissimum humani sitim accendit?

Multum ergo errabant & illi (*a*) qui providentiam Dei cœli orbibus includebant, nec ad res terrenas demittebant: quasi vero non abhorreret a bonitate divina illi creationis parti præsidium denegare, quæ plus illo indiget propter varias mutationes & conversiones quibus terra obnoxia est; & appetituum passionumque procellas, quibus ejus incolæ perpetuo jactantur; quasi vero non sint ordinati ipsi astrorum cursus ad usum hominum, & æquum non sit, ut magis curetur id, cujus gratia est aliud, quam quod in usum alterius comparatum est.

Non minus falluntur, qui universalia a Deo curari volunt, ut creaturarum species & imperia, non individua & singularia. Nam genera non subsistunt nisi in singulis ita ut si singula perire possint deserta a Deo, possent & ipsa genera: & certe generum seu imperiorum conservandorum nulla alia Deo causa esse potest, quam benefica ejus in singulos voluntas.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Divinæ Providentiæ Attributis.

Attributa divinæ providentiæ illa sunt, quæ in administratione mundi existere deprehendimus, & quibus omnis rector & præsertim summus carere non potest; nempe *sapientia*, *sanctitas*, *justitia*, *bonitas*, *&c.* Perfectiones illæ vulgo dici solent *morales*, quia quamdam earum conformitatem cum regula seu lege æterna concipimus. Possunt eadem dici etiam *attributa relativa*, quia dicunt respectum ad creaturas: vel *attributa secundaria*, quia revera nihil aliud sunt, quam exercitatio ad extra Dei attributorum naturalium; quæ attributa naturalia nullam accipiunt mutationem ex hac exercitatione.

De sapientia Dei.

Inter *scientiam* atque *sapientiam* Dei hoc discrimen intercedit, quod scientia versari nobis videatur in rerum omnium speculatione; sapientia vero practica sit, & versetur in rebus agendis. Scientia in Deo est speculativa cognitio omnium rerum, omniumque rationum, quæ sunt inter res possibiles; sapientia est constans voluntas agendi juxta dictata suæ infinitæ intelligentiæ, id est, consilium firmum utendi sua omnipotentia ad fines optimos obtinendos per media optima.

PROPOSITIO.

Deus in administratione rerum est summe sapiens, seu est in Deo constans voluntas utendi omnipotentia sua ad obtinendos fines optimos per optima media.

PROBATIO.

1. Deus est ens perfectissimum, cui nihil laude dignum & bonum deesse potest. Atqui sapientia seu constans voluntas prosequendi fines optimos per media optima est perfectio: immo nostro concipiendi modo omnium maxima, quæque nos homines maxime divídit ab animantibus.

2. Deus indidit hominum mentibus istius perfectionis portionem aliquam: non dubitamus, quin alia entia existant nobis perfectiora, quæ cum majore inclinatione voluntatis & constantia prosequuntur fines optimos, mediaque ad obtinendos fines suos maxime idonea: & facile concipimus hanc perfectionem posse augeri in infinitum. Atqui Deus continet eminenter eas omnes perfectiones, quibus suas creaturas ornavit: sedet in summo gradu infinitæ scalæ perfectionum.

3. Deus naturali inclinatione fertur in seipsum, suasque perfectiones amat necessario & proinde in agendo Deus non potest aspernari naturam suam, suasque per-

(*a*) *Hæc fuit sententia Aristotelis ref. Plut. de placitis Philosophorum l.* II. *c.* 3. *& Attico apud Euf. de præp. Evang. l.* 3. *c.* 5.

perfectiones denegare. Atqui si Deus posset finem minus bonum prosequi atque media eligere minus apta, denegaret sua attributa, aspernaretur dictata infinitæ suæ intelligentiæ, quæ monstrat illi fines optimos & media ad fines istos obtinendos aptissima, v. g. dictat divina intelligentia hominem meliorem esse planta & magis convenire ut planta ordinetur ad usum hominis, quam ut homo ordinetur ad usum plantæ; vel esse inter plantam & hominem rationem inæqualitatis, quam si Deus non sequeretur in agendo, perverteret res & earum rationes, nec servaret illum æternum ordinem quem continet ejus intelligentia.

4. Nulla alia causa inveniri potest cur ens intelligens non sequatur æternum ordinem rerum, aut non quærat fines præstantissimos per optima media, præter has: vel id non facit quia nescit, qui sint optimi fines & media aptissima; vel quia non potest eligere fines optimos & optima media; vel quia etsi cognoscat & possit eligere fines optimos & optima media, tamen inclinatione naturali fertur ad electionem finium & mediorum minus perfectorum; vel denique, quia ad hoc aut illud eligendum liber est. Atqui nullum horum dici potest: non primum, certe novit qui sint fines optimi, quæque media magis sint apta ad illos consequendos, cum habeat infinitam scientiam; quæ complectitur omnes rerum convenientias & disconvenientias. Non secundum, cum potentia Dei infinita sit, quali cum facilitate prosequi potest finem perfectissimum per optima media, ac finem minus perfectum per media minus apta. Non tertium, quia voluntas divina non fertur naturali inclinatione in id quod minus perfectum est, sed è contrario potius in id quod magis est perfectum: quia nihil aliud esse videtur voluntas Dei, quam amor perfecti & summe boni. Non denique quartum, quia etsi Deus liber sit & possit agere vel non agere; tamen ex hypothesi quod agat, necessario agit ut Deus, id est, secundum dictata infinitæ suæ intelligentiæ & inclinationem suæ voluntatis, non vero contra utriusque facultatis dictata seu inclinationem.

5. Tandem Dei sapientia evidentissime efficitur a posteriori ex rerum creatarum pulchritudine & legum, quibus omnia continentur, aptitudine: quæ tanta est, ut nihil in rerum natura ullatenus mutari possit, sine magno totius damno. Hunc locum jam attigimus supra, & modo defendemus.

Ex hoc præsertim attributo, ut infra dicemus, oritur jus imperii in Deo; ex eodem conjuncto cum Dei potentia pendet divinæ providentiæ inerrantia seu infallibilitas; ut ait Job: *Sapiens corde est & potens robore; quis restitit ei & pacem habuit? Attingit a fine ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.*

De sanctitate Dei.

Inter Dei attributa moralia nullum est, quod adeo moveat reverentiam nostram, ac illud quod *sanctitas* dicitur, quæ a nobis concipitur, ut excellens quædam puritas, quæ ab omni malo morali seu peccato infinito distat intervallo: quæ excludit umbram omnem seu malitiæ, seu invidiæ, seu inimicitiæ, seu vindictæ, seu crudelitatis, seu injustitiæ, seu falsitatis, & cujuscunque denique defectus moralis. Manifestum est hanc Dei sanctitatem revera non distingui a Dei voluntate seu ex illa derivatam esse; voluntas siquidem illa Dei est naturalis inclinatio seu amor adversus seipsum & suas divinas perfectiones; sanctitas vero est amor rectitudinis & boni moralis in creaturis suis, & aversatio omnis impuritatis.

PROPOSITIO.

Dei Providentia sancta est.

PROBATIO.

1. SI Deus sit ens perfectum, cui nullus gradus perfectionis deesse possit, certe erit sanctissimus, seu ab omni impuritate & nequitia longissime distabit, qua naturam quamlibet rationalem maxime deprimi naturaliter putamus.

2. Sanctitas continetur in illo amore, quo

quo Deus fertur in semetipsum & suas infinitas perfectiones : ex illo enim nascitur necessario ille amor ordinis in rebus externis, in quo posita est sanctitas.

3. Certum est nos esse naturaliter sanctos hoc sensu, quod inditus sit naturis nostris recti & mali, honesti & turpis sensus, qui nullis præjudiciis aut passionibus extingui, cujus sanctissimum judicium nullis præmiis corrumpi potest. *Placet, ut ait Seneca, suapte natura virtus, adeoque gratiosa est, ut insitum sit malis probare meliores.* Atqui cum Deus omnes possideat creaturarum suarum dotes eminenter, necesse est, ut etiam hanc habeat in perfectissimo gradu.

4. Nullam in Deo causam cogitamus, qua a sanctissimis consiliis unquam abducatur. Nulla in illo est temeritas, vel levitas, vel indigentia, vel cupiditas: quæ in vitia homines solent impellere.

5. De Dei natura ejusque providentia certum ferre possumus judicium ex regni ejus legibus moralibus. Sed leges illæ, quas indidit hominum omnium mentibus, sunt sanctissimæ, ut infra docebimus; & nimium sanctas esse conqueri solent homines improbi.

Et vero adversus divinæ providentiæ sanctitatem, nihil objiciunt Athei, nisi permissionem peccati; sed hæc objectio est ob hanc causam maxime ridicula, quod nisi Deus libertatem hominibus concessisset & peccandi potestatem, nullus existere posset probationis & disciplinæ status, nullæ arduæ virtutes; non ista heroica sanctitas, quæ in superandis difficultatibus & tentationibus exercetur. Quid ergo? de natura sanctitatis est, hæc omnia tam admirabilia sanctitatis specimina è mundo tollere?

De justitia Dei.

Justitia Dei late sumpta non distinguitur a Dei sapientia, sanctitate, veracitate & cæteris perfectionibus, & est constans voluntas sequendi immutabilem rerum ordinem, seu agendi juxta immutabiles rerum rationes. Stricte sumpta respicit solummodo creaturarum rationalium felicitatem & miseriam, & præmiorum atque pœnarum distributionem: quo sensu definiri potest constans voluntas tribuendi præmia vel supplicia unicuique pro meritis.

PROPOSITIO.

Dei Providentia justa est.

PROBATIO.

1. Si careret Deus hac virtute multum distaret ab illa entis perfecti idea, quam animis informatam habemus.

2. Indidit Deus animis nostris justitiæ elementa, propendemus naturaliter in eos qui bene agunt, ac laude præmiisque dignos naturaliter judicamus: è contrario malos aversamur & indignatione naturali excitamur ad eosdem vituperandos & male accipiendos. Atqui nihil habent creaturæ perfectionis, quod in summo gradu non habeat communis parens.

3. Ille non est sapiens Legislator, qui legum suarum observationi non prospicit, qui se subditorum contemptui exponit, qui non vindicat majestatem imperii sui. Ille non est sanctus in administratione rerum, qui non testatur odium peccati & amorem virtutis. Ille non est bonus, qui leges bonas & ad totius universitatis salutem plane necessarias sanctione aliqua non confirmat. Atqui si ab administratione rerum abesset justitia & leges divinæ non confirmarentur sanctione præmiorum & pœnarum, Deus non vindicaret majestatem imperii sui, sese subditorum contemptui exponeret; deinde in divina administratione nulla essent indicia sanctitatis, cum nulla ratio haberetur virtutis & vitii; denique leges optimas, & necessarias ignave perverti sineret.

4. Deus justitiam revera exercet in hac vita, quantum rerum conditio patitur & sanctionibus præmiorum & pœnarum leges suas confirmavit. Nam primo experientia habet quisque compertum virtutem esse tutissimam ad felicitatem viam & naturalia esse ipsi adjuncta præmia: conscientiæ pacem, aliorum hominum existimationem & benevolentiam. E contrario experimur improbitatem,

tum angores procreare conscientiæ, tum provocare naturali efficientia aliorum hominum odia, indignationem, vindictam & multas esse proprias cuique vitio pœnas. Sed hæc sunt manifestissima divinæ justitiæ indicia. Si in civitate aliqua constitutus aliquis esset, quamvis nunquam legisset tabulas legum, earumque sanctiones, nec Judicem in Tribunali sedentem vidisset; tamen si animadverteret malas actiones vituperari constanter & puniri, bonas laudari & præmiis remunerari: certo concluderet constitutam esse æquis legibus illam civitatem, esseque in illa rectorem & Judicem justum. Idem ergo de constitutione rerum naturali concludendum est; etsi ipsum Judicem Deum non cernamus, nec sanctiones legum naturalium descriptas in charta vel in ære legerimus.

Deinde Deus sua effecit providentia, ut civitates ubique constituerentur, legibusque civilibus virtus defenderetur, vitium contra reprimeretur.

Præterea historias evolvere non possumus & monumenta temporum, quin aptissima advertamus Dei judiciorum exempla, insignium sceleratorum tragicos exitus; criminum secretissime admissorum detectionem & pœnam; gentium dum probitati & virtuti studuerunt felicitatem, earumdem in vitia prolapsarum ruinam & interitum: hæc sæpe tam miris modis, tamque contra omnem expectationem contingunt, ut non sine Numinis interventione accidisse deprehendantur.

Denique Deum esse justum probant illa omnes naturæ humanæ insitæ propensiones & affectus, quibus adstruitur futurum post hanc vitam Dei judicium: certum est, in bonorum animis sponte exoriri spem immortalitatis beatæ; terrores suppliciorum animos occupare impiorum; neque hos ulla ratione præfocari posse. Ergo divinæ justitiæ indicia infinita sunt.

De bonitate Dei.

Dei *bonitas*, illud attributum est, quod solum nos Deo conciliat, movetque nostros tenerrimos adversus eum affectus. Attributa illa incommunicabilia, æternitas, immensitas, &c. superant vires mentis humanæ; illa quibus ad nos propius accedit, infinita scientia, sapientia, omnipotentia, habent quoque admirationem nostram; infinita Dei sanctitas & intemerata puritas, etsi mirabiles sui amores excitaret clare perspecta, nostros tamen oculos nimio fulgore obtundit; immensa Dei majestas quasi instructa justitia reverentiam & metum jubet: sed bonitas Deum amabilem & parentem in nos propensissimum exhibens, omnes amoris, gratitudinis, spei & pietatis sensus excitat.

Per bonitatem intelligimus non solum tam omni lege benignitatem, sed constantem voluntatem benefaciendi seu communicandi felicitatem suis creaturis sentientibus, quantum patiuntur earum finitæ naturæ, & sapientissimi fines, quos Deus sibi proposuit. Hæc divina bonitas varia accipit nomina pro variis creaturarum, quas afficit, conditionibus: quando creaturis non merentibus bona dividit, *grata* est; quando creaturis malis & habentibus mala merita tribuit bona, *misericordia est*; ubi homines malos punire tardat, *longanimitas* est.

PROPOPOSITIO.

Deus bonus est, seu benefica voluntate movetur erga omnes suas creaturas.

PROBATIO.

1. Certe bonitas est res per se laudanda & summa cujuslibet naturæ intelligentis præstantia & perfectio, ergo ab ente infinito abesse nequit.

2. Deum esse bonum, colligitur ex eo quod soli boni sint beati; quodque ipsa benevolentia sit maxima beatitudinis illi naturæ, cui inest, causa.

3. Idem efficitur ex eo, quod naturæ præstantissimæ & nullius rei indigæ nulla occurrere possunt in contrariam partem incitamenta: homines ipsi, qui rationem vitæ ducem faciunt, nihil mali agunt; sed illud omne semper oritur, vel ex cupiditate, vel metu, vel ira, vel vindi-

dicta, quarum passionum imbecillitas principium est.

4. Dei bonitas seu propensio ad bene faciendum suis creaturis derivata fluit ex illa naturali propensione, qua fertur in semetipsum & infinitas suas perfectiones: hæc efficit, ut non possit non diligere expressas imagines suarum perfectionum, & objecta in quibus creandis & moderandis exercet non solum potentiam, sed sapientiam aliaque attributa sua.

4. Tota mundi constitutio benigno consilio comparata est; nullum est machinationis invidæ aut sævæ vestigium, quod sub Numinis non boni imperio sæpius in mundo cernere licuisset. Quantam earum rerum copiam suppeditat natura, quæ ad vitam commode & jucunde agendam inserviant! Ut hominum & animantium omnium sensus sunt comparati, ut salutaribus recreentur; noxia & pestifera illis molesta sint! Ut omnes a natura insiti appetitus ad individui aut totius systematis conservationem aut felicitatem utiles sunt! Ut acri quodam decori & honesti sensu, una cum affectibus benignis incitantur homines, ut alii aliis prodesse velint! Ut lætissimo sensu remunerantur hi, qui aliorum felicitati consuluerunt!

Sed sunt etiam mala: at qualia? Quæ non in ipsa rerum machinatione destinata videntur tanquam ipsius finis proprius; verum ex materiæ imbecillitate, inferiorum agentium errore, eveniunt juxta eas leges, quæ omnino sunt utiles. Mala sunt, sed quæ ex legibus generalibus fluunt quas suspendere non tenetur Deus; & quæ hominum exercent prudentiam, & industriam. Mala sunt; at sine quibus abessent commiseratio, beneficentia, liberalitas, fortitudo, æquanimitas, patientia, lenitas, & officia omnia gratuita, quorum sensus longe est omnium lætissimus & memoria jucundissima. Quis omnem sublatum vellet dolorem quo de pravo corporis habitu admonemur; aut laborem, ad sanitatem & vires corporis animique tam necessarium? Quis contra naturæ studia tantum obduruit, ut illos sensus nostros, licet molestiam quandoque ferant, vituperet, quibus aliorum infortunia deploramus, quibusque ad opem ærumnosis ferendam incitamur; aut illum animi morsum seu angorem, quo elidimur ex criminum nostrorum aut culparum conscientia; & quem vitiorum medicinam esse voluit benignus Deus? Mala sunt, sed non totum rerum ordinem cogitatione complectitur humana mens. Exigua est hæc mundi pars, quam cernimus, & pro brevi temporis spatio; si plurima ergo in hoc ævo mala magnas afferre videamus utilitates, scilicet quod hominum scelera sæpissime cohibeant & impediant, proborum virtutes exerceant & augeant; hominum mentes a rebus externis & vilioribus voluptatibus ad interna & vera bona convertant; hinc certe fit certissimum, ea etiam mala (si qua sint) quorum nullum nunc cernimus usum, ad totius systematis in partibus a nobis remotioribus & incognitis, aut ad sæculorum futurorum felicitatem & perfectionem fuisse destinata: ex iis certe nullatenus efficitur mundi administrationem esse invidam aut malignam.

OBJECTIONES.

Contra Divinæ Providentiæ attributa expenduntur.

OBJECTIO PRIMA GENERALIS.

Illud systema rerum dici nequit sapientissimum, neque sanctissimum, neque justissimum, neque bonum, in quo multa sunt, quæ contraria nobis videntur tum sapientiæ, tum sanctitati, tum justitiæ, tum bonitati. Certe de universo systemate non aliter judicare possumus, quam ex illis partibus, quæ nobis cognitæ sunt; quæ si abhorreant ab istis perfectionibus, concludendum est systema universum non esse sapiens; &c. Atqui multa sunt, quæ nobis videntur multum distare a sapienti & bona rerum administratione; quorum consideratione adducti sunt quam plurimi philosophi ut causam aliquam mali a Deo independentem admitterent.

Responsio generalis. Nego majorem: nam systema mundi etsi sapientissimum, no-

nobis videri potest in multis abhorrere a sapientia. Quod ut intelligatur, duo generatim conficiemus: 1. Quod mundi systema sit plane incomprehensibile. 2. Quod hæc incomprehensibilitas efficiat, ut nequaquam apti simus ad ferendam de illo sententiam. Has duas partes cum aliqua diligentia explicabimus, quia continebunt generalem & optimam responsionem ad omnes quascumque atheorum objectiones.

1. Systema divinæ providentiæ incomprehensibile est, idque ob multiplicem causam.

Primo. Quia illud invenit infinita sapientia, cujus hoc proprium est superare in effectibus suis humanæ mentis sagacitatem. Nam experimur in omni re sapientiam atque artem, quo magis imperfecta est & ad nostram accedit nativam prudentiam, eo magis a nobis intelligi; quoque magis distat perfectione, eo semper evadere admirabiliorem. Sic præclara humani ingenii inventa & regum consilia a brutis hominibus non intelliguntur; ab animantibus intelligi non possunt. Manifestum tamen est artem humanam, quæ sapiens est homini litterato, non esse propterea insipientem, quia illam non capit idiota, vel quia animantia illam omnino non comprehendunt. Sic divina ars soli Deo, qui sese comprehendit, quam sapiens illa sit, quam sancta, quam bona, quam justa, videri potest: imperfectis creaturis semper erit locus admirandi, quia semper superabit earum intelligentiam: & propterea valde stultum foret tribuere inscitiæ vel temeritati illam inscrutabilitatem, quam sapientiæ proprium esse characterem necessario agnoscimus. Prima ergo ratio, *cur exaltatæ sint cogitationes & viæ Dei a cogitationibus & viis hominum*, hæc est maxime obvia, quod Dei sapientia infinite distet a prudentia humana.

Secundo. Providentiæ divinæ systema incomprehensibile est, nec de illo ullum ferre judicium possumus, quia respectu nostri, *immensum*, *æternum* & *infinitum* est. Per systema divinæ providentiæ, cujus summam ex omni parte sapientiam & bonitatem defendimus, non intelligimus historiam & fortunam alicujus singularis entis, aut alicujus speciei entium, aut alicujus orbis; sed divini imperii universitatem, ejusdemque imperii undequaque connexi vices omnes. Adeo ut providentiæ divinæ Idea sit complexio omnium operationum Dei ad extra per totam æternitatem, continens omnia tempora, omnia entia atque omnes eventus: ex illis omnibus conficiens cohærentem & indefinitam seriem, quam tempus labendo perpetuo explicat. Jam vero in hac concatenatione immensa, cursuque rerum æterno, quantula pars est vita hæc cujusque nostrum? ex qua tamen de Dei infinita illa providentia conjecturam capere oportet nos mortales.

Sed finiatur divinum regnum nostri orbis limitibus, nullum aliud exerceat imperium *morale*, quam in homines: nullum *physicum*, nisi in hoc orbe ad cujus conspectum admittimur. In hoc utroque ordine cujus partes sumus & in utriusque conjunctione omnia sunt inscrutabilia. Primo *physica* rerum *administratio* non per voluntates particulares & decreta inter se nullatenus connexa procedit: sed est manifeste constitutio cujus partes omnes sibi invicem respondent & se mutuo suspendunt, idque non in corporibus tantum observatur, sed in animantibus. Nempe cujusque speciei individua multas habent inter se naturales habitudines, ut homines cum hominibus; species etiam integræ cum aliis speciebus, ut animantes cum hominibus; quædam animantium species cum aliis animantium speciebus: nescimus certo quousque hæ relationes pertingant, atque si ex analogia judicandum sit, illis omnes hoc modo conjunctas esse concludemus. Sic quoque nullus est eventus, qui non habeat aliquem respectum ad alios omnes eventus præteritos qui ejus causæ extiterunt, & aliquem etiam cum futuris omnibus quorum causa aliquatenus futurus est. Immo animadvertimus res quandoque levissimas esse necessarias conditiones sine quibus res maximi momenti non contigissent,

sent. Cum igitur per tam stupendam connexionem rerum & subordinationem perpetuam innumerabilium causarum & effectuum progrediatur naturæ cursus, manifestum est nullum mortalem ullius rei rationem pervidere posse accurata descriptione ejus causarum, finium, antecessionum, adjunctarum, & consequentiarum; aut certo pronuntiare quemcumque eventum etiam levissimum non esse in concatenatione rerum plane necessarium. *Administratio* etiam *moralis* sine dubio ejusdem generis constitutio est, & omnes ejus partes, videlicet virtutis exercitationes in hoc statu militiæ & probationis, vitiis data licentia, tempora exercendis Dei judiciis statuta, prædestinata divinorum judiciorum instrumenta, præmiorum & pœnarum distributiones, atque omnes actus justitiæ & bonitatis possunt eos habere inter se respectus, ut ordinem conficiant undequaque connexum; & cujus omnes partes non tantum apte cohæreant, sed sint in systemate plane necessariæ, & ad bonum commune præordinatæ.

Non tantum, tum universum systema divinæ providentiæ, tum administratio physica & moralis quæ nos propius attingit, nobis perspecta non sunt, sed non pervidet quisquam nostrum propriam suam fortunam, nec quæ pars illius sit præsens nostra vita. Extitere summi philosophi, qui decreverunt nos in statu alio meliori primum creatos fuisse & in hunc statum, quasi purificationis, devenisse ad luendas pœnas peccatorum in præcedenti admissorum: hos nunquam ex sola ratione redarguent athei. Ignoramus etiam statum futuræ vitæ in quem commigraturi sumus post hanc mortalem sortem; sine cujus tamen cognitione manifestum est nos parum æquos esse divinorum erga nos judiciorum æstimatores. Si de Josepho nihil aliud relatum fuisset, nisi quod venditus a fratribus fuerit, deportatus in Ægyptum, & ob injustam accusationem conjectus in carcerem, severitate erga eum usam esse providentiam divinam putaremus: sed ubi intelligimus hosce omnes eventus fuisse totidem gradus ad imperii summam in Ægypto obtinendam & ad salutem generis sui, sortem Josephi nequaquam miseramur. Si consideremus solummodo partem illam vitæ humanæ, qua per novem menses utero materno includimur, parum speciosa videbitur, illam tamen non ita ægre ferimus ut præparationem ad hunc admirabilem conspectum rerum. Sic quoque sit hæc vita mortalis minus quoque speciosa, tamen si totum illud spatium quod patet ab infantia ad senectutem est respectu alterius vitæ, quod novem illi menses respectu vitæ præsentis, manifestum est nos de sorte nostra & divinis erga nos judiciis nullam ferre posse sententiam ex hujus ætatis consideratione. Est ergo ex omni parte & illa quæ nos propius attingit divina providentia plane incomprehensibilis.

Tertio. Divinæ providentiæ rationem nullus investigare potest, & de illa sententiam ferre, nisi qui rerum naturas perfecte cognoscat. Nam hoc generale principium est in administratione rerum, quamlibet regendam esse pro sua natura, seu gubernationis leges debere attemperari rerum naturis. Atqui nihil in tota natura comprehendimus, nec materiæ & motus indolem, nec quæ vires sunt necessariæ, nec qui fines sunt prosequendi, nec quibus mediis fines obtineri possint, nec quæ sint sapientissimæ regiminis leges: multo magis fugiunt captum nostrum natura animi, ejus naturales vires, libertas, &c. Qui fieri potest, ut sine harum rerum cognitione judicemus de necessitate permittendi mali seu physici seu moralis; aut de modo, quo Deus versat corda hominum, consilia regit, omnia providet, &c., quidquam sapienter pronuntiemus, cum ignoremus; qui animus cogitet, aut agat, aut deliberet, aut reminiscatur, &c.

Quarto. Sapiens mundi administratio postulat vias secretas & occultas, ob multiplicem causam.

Quia magis habet admirationem nostram illa divinæ providentiæ ratio, in qua omnia fugiunt nostri intellectus aciem; & in qua nec qui fines quærantur,

tur, nec quæ media ad fines obtinendos adhibeantur, pervidemus. Solent quidem homines parvi pendere ea quæ obvia sunt, ea vero multum suspicere, quæ sunt a communi hominum sensu valde disjuncta: inter scientias æstimamus præsertim eas quæ sunt magis reconditæ. Nihil igitur ad excitandam admirationem nostram, sibique conciliandam reverentiam melius facere potuit Deus, quam providentiæ suæ partes omnes ita obtegendo, ut nihil omnino cerneremus, ac perpetui eventus inopinati, quorum causas, antecessiones, præparationes ignoraremus, tenerent nos attonitos. Experimur nulla re adeo commoveri hominum erga Deum pietatem, quam cum inexpectata conversione rerum, mala, quæ nostris capitibus impendebant, in eorum auctorem præter spem retorquentur.

Quia sine incerto exitu rerum humanarum & occulta divinæ providentiæ ratione nullus esset locus probationi hominum, neque exercitio summarum virtutum, fidei, spei, fiduciæ & devotæ erga Deum voluntatis. Non fuisset, v. g. tam admirabilis Jobi patientia & fides, si antea intellexisset brevissimas suas ærumnas ipsi allaturas esse majora præmia, vitam longiorem, sobolem numerosiorem, majores divitias atque famam.

Quia ista divinæ providentiæ ratio melius est accommodata naturæ hominum, qui libertate utuntur. Si Deus tam evidenter discriminasset bonos atque malos in hoc mundo, ut boni prospera semper uterentur fortuna omnibusque rebus abundarent, & mali è contrario malis omnibus obnoxii viverent; haud magis esset locus optioni, an vellent boni vel mali esse, quam utrum beate vivere vel misere eligerent. Sed ubi eventus incertus est, deliberationi locus invenitur; spes hinc, inde metus sollicitat: quibus passionibus suspenduntur vel inclinantur voluntates liberæ hominum, & merito locus invenitur.

Quia hæc administrandi ratio optima est, si homo ad immortalitatem destinatus sit: abducit enim a rebus hujus vitæ, cujus voluptates & illecebræ nimium nos detinerent, si constantem virtutis asseclam experiremur felicitatem, nec quidquam nobis invitis præter spem accideret: excitat etiam perpetuum futuræ vitæ desiderium.

Est ergo divinæ providentiæ ratio ob multas optimas causas plane incomprehensibilis.

II. Dico, hanc incomprehensibilitatem elevare omnes objectiones Atheorum. Nam ex hac inscrutabilitate divinæ providentiæ manifeste sequitur.

Primo. Nos errare in multis, & posse res sapientissimas nobis videri alienas a sapientia. Efficit namque, ut *partes* sumamus pro *toto*: & desideremus in parte totius pulchritudinem & convenientiam. Ut si quis admitteretur tantum ad videndam magni & pulcherrimi ædificii culinam, aliasve partes usibus viilioribus destinatas; certe non videret ædificii pulchritudinem, nec architecti artem multum miraretur; quæ tamen maxima esse potest. Ergo illa omnis objectio, quæ ex hoc fonte oritur vel orta supponi potest, vanitatis convincitur. Hæc eadem providentiæ inscrutabilitas efficit, ut *media* non dividamus a *finibus*; & in mediis desideremus finium excellentiam. Ut si quis videret hominum multitudinem occupatam in congerendis lapidibus & gypso, terraque ex uno loco in alium carris transferenda, & ignoraret hos esse magni ædificii apparatus; labor hic vanus & inutilis videretur. Ergo quæcumque objectio solvi potest, supponendo illam partem, quæ in divina providentia accusatur, esse præparationem ad aliam partem angustiorem, vana quoque est (*a*). Hæc eadem inscrutabilitas efficit, ut ignoremus, quid cujusque rei naturæ conveniat, & quibus legibus quæque res gubernari & possit & debeat; proindeque vanam esse illam omnem objectionem, quæ ex hoc principio

(*a*) *Ita ordinantur omnia officiis & finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si in toto consideremus, plurimum placeat. S. Aug. de vera rel. ep.70.*

cipio solvi potest; quod res vituperata pertineat ad rei naturam.

Secundo. Divinæ providentiæ inscrutabilitas Deum absolvit in illis omnibus providentiæ partibus in quibus nihil intrinsece malum deprehendimus. Illa omnia quæ in mundo contingere videmus, si modo sapienter & juste in hypothesi aliqua fieri possint, credere debemus illa a Deo ob sapientes & justas causas permissa esse, quamvis illas causas ignoremus. Jam vero negamus Atheos posse ullam rem indicare, quæ in nullo casu & in nullis circumstantiis sapienter & juste a Deo permitti possit. Pleræque objectiones Atheorum petuntur a bonis atque malis, quæ contingunt vel hominibus privatis vel publicis societatibus: sed quis audeat dicere nullas esse posse justas causas horum eventuum? Manifestus certe est externos quoscumque eventus justos esse vel injustos, non in se, sed relative ad varias circumstantias temporis, loci & personarum; proinde etiam evidens est nos non posse de eorum justitia vel injustitia ferre judicium, quin perfecte cognoscamus omnes circumstantias.

Tertio. Inscrutabilitas divinæ providentiæ absolvit Deum in illis etiam omnibus actibus, qui dici possunt *supremæ authoritatis*, qui nempe continentur intra limites justi & recti, quorum nullam aliam rationem quærere debemus præter Dei arbitrium & beneplacitum. Quamvis Deus non possit aspernari suam naturam & justitiæ quidquam contrarium agere, tamen intelligimus multa esse Deo possibilia quæ nulla lege determinantur, sed unicam habent causam in libera Dei electione. v. g. Deus in scripturis sacris nullam causam nobis affert supernaturalis suæ in genus hominum œconomiæ & inæqualis distributionis gratiæ præter beneplacitum, quia manifestum est hanc rerum dispensationem & ea omnia quæ ad istam pertinent ex gratuita Dei voluntate omnino pendere, nec jure nos posse quidquam vindicare. Sic etiam divina justitia exigit ut Deus obstinatos puniat peccatores, tamen exercet judicium cum suprema & libera authoritate, id est, non alicui tempori, vel loco, vel modo puniendi alligatus est, uti inferiores sunt judices, qui præscriptas regulas superioris sequuntur, sed pro libera sua voluntate malos aut serius vel citius, publice vel privatim, & quacumque velit ratione, punit.

Sed, inquies, hac responsione nulla sunt consilia quantumvis perversa, quæ defendi non possint cum ficta erga Deum reverentia: v. g. sic credere poterimus, ut multi theologi docuerunt, Deum propterea condidisse homines, ut in paucis glorificaret misericordiam suam quos prædestinavit ad gloriam; & ut in aliorum æterna damnatione ostenderet justitiam suam.

Respondeo viarum & judiciorum Dei inscrutabilitatem Deum tantum absolvere ab omni injustitia in eventibus, qui habere justissimas causas possunt, vel qui ex divina pendent suprema authoritate; Deum non absolvere in illis consiliis capiendis quæ adversa fronte pugnare intelligimus cum justitia & bonitate. Multum discrepant hæ duæ quæstiones: an eventus aliquis possit conciliari cum divina justitia; & hæc altera; an administrationis leges injustæ possint defendi, illas rejiciendo in divinum beneplacitum? Difficultas quam invenimus in componendis eventibus cum divina justitia oritur omnino ex nostra ignorantia, sed conciliare non possumus injusta consilia cum idea Dei propter evidentem repugnantiam iniquitatis cum divina natura. Vide *Sherlock* de providentia Dei. *Butler* Analogy of religion natural and revealed to the Course and constitution of nature.

OBJECTIO SECUNDA.

Ex malo defectus.

Sunt in natura multæ res *imperfectæ*, & videmus alias aliis esse *imperfectiores*: Materia perfectione cedit animantibus, animantes hominibus, homines Angelis.

Atqui magis decuiſſet Deum omnia creare perfectiora ſine imperfectionibus, & in eodem omnia ſtatu perfectionis: certe fuiſſet univerſitas rerum pulchrior & Deo dignior, ſi nos homines dotes haberemus Angelorum. Ergo rerum univerſitas neque pulcherrima, neque Deo digniſſima dici poteſt.

Reſpondeo nego minorem quoad utramque partem: aut Deum decuiſſe res perfectiores creare ſine imperfectione, aut omnes æqualiter perfectas, &c.

Primo. Certe id facere Deum non oportuit, quod plane repugnat. Atqui repugnat creatura perfectior ſine imperfectione. Omnis creatura, utpote finita, neceſſario imperfecta eſt & diſtat infinito intervallo a natura perfectiſſima, ſemperque habebit ſibi ſuperiores creaturas poſſibiles in infinitum. Jam vero cum creatura omnis neceſſario ſit imperfecta, aut omnino non creare Deum oportuit, aut imperfectas naturas creare: ſi imperfectas creare dignum Deo fuit, in quo gradu conſiſteret, determinare ſola ejus voluntas potuit. Quid ſi ab ipſis imperfectiſſimis exordium ſumpſiſſet, & ſua potentia effeciſſet ut illæ imperfectiſſimæ naturæ per totam æternitatem nova perfectionis & felicitatis incrementa perpetuo acciperent; numquid non illud ſyſtema rerum nobis magnificum & glorioſum Deo, atque etiam propter nativam menti noſtræ ambitionem jucundiſſimum videretur? Numquid non Deo gratum quoque futurum cogitamus, videre mundum ſuum perpetua pulchritudinis acceſſione ſplendeſcentem & ad ſuam ſimilitudinem gradibus ſemper accedentem.

Secundo. Neque debuit Deus omnes creaturas æqualiter perfectas creare ob multiplicem cauſam.

Quia primo in omni *ſyſtemate* rerum illud eſt impoſſibile. Nam omne compoſitum partes habet, hæ partes alias, & ſic in indefinitum. Sed partes habere non poſſunt perfectionem totius, cujus ſunt partes: manus habere nequit perfectionem totius corporis, nec homo unus perfectionem totius generis humani, nec genus humanum perfectionem totius ſyſtematis entium ſpiritalium, cujus pars quædam eſt. Huc ergo redit objectio an indignum Deo fuerit ſyſtema rerum inſtituere in quo naturæ variis relationibus & ſubordinatione quadam ſibi mutuo conjungerentur, uti factum videmus in hac univerſitate? vel an neceſſe fuerit, ut Deus creaturas æqualiter perfectas ſine ulla ſubordinatione coordinatas crearet? quod jam conſiderandum eſt.

Secundo. Dico rationem nullam afferri poſſe, cur Deus ſyſtema rerum non inſtitueret in quo inæqualiter divideret dotes & perfectiones creaturis ſuis. Nam, ut modo diximus, divina attributa non exigunt, ut Deus unum potius gradum perfectionis creaturis ſuis tribuat, quam alium. Deinde entia minus perfecta conjuncta in ſyſtemate cum perfectioribus non impediunt horum exiſtentiam, nec minuunt felicitatem: e contrario vero illis inſervire poſſunt; ut materia, quæ omnium naturarum imperfectiſſima eſt, nedum noceat naturis ſentientibus ſeu animantibus, præbet illis fertile ſolum; ut animantium genus non nocet hominibus, ſed eorum uſibus inſervit.

Tertio. Tandem tam parum repugnat ſapientiæ & bonitati divinæ creare naturas perfectione inæquales, eaſque in unum ſyſtema variis nexibus conjungere: ut nihil magnificentius a Deo fieri poſſe exiſtimemus, quam ſi diffuſione perpetua bonitatis, intelligentiæ & potentiæ ſuæ naturas poſſibiles cum infinita varietate produceret. Nil ſapientia ſua dignius aut admirabilius, quam ſi illam infinitam varietatem naturarum in unam quaſi rempublicam coactam imperio æquabili & generali civitatis univerſæ Rector adminiſtraret. Pulchre de hac re diſputavit multis in locis S. Auguſtinus.

A terrenis uſque ad cœleſtia, & a viſibilibus uſque ad inviſibilia ſunt aliis alia bona meliora; ad hoc inæqualia ut eſſent omnia. l. 11. de Civ. Dei.

Quid-

Quidquid tibi vera ratione melius occurreris, scias fecisse Deum, tanquam bonorum omnium conditorem. Non est autem vera ratio, sed invidiæ infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius velle fieri; tanquam si perspecto Cœlo nolles terram factam esse; inique omnino. Idem de lib. arb. l. 3. c. 3.

Et tibi Deus omnino non est malum, non solum tibi, sed nec universæ creaturæ tuæ, quia extra te non est aliud quod irrumpat ordinem quem posuisti ei. In partibus autem ejus quædam quibusdam quia non conveniunt, mala putantur, & in semetipsis bona sunt: & omnia hæc quæ sibi invicem non conveniunt, conveniunt inferiori parti rerum, quam terram dicimus; habentem Cœlum suum nubilosum atque ventosum, congruum sibi. Et absit jam ut desiderem non esse ista; quia & si sola ista cernerem, desiderarem quidem meliora; sed jam etiam de solis istis laudare deberem; quoniam te ostendunt laudandum de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, &c. Cum vero etiam de Cœlis te laudent, Deus noster, in excelsis omnes Angeli tui, Sol & Luna, Stellæ, &c. non jam desiderabam meliora, quia omnia cogitabam: & meliora quidem superiora, quam inferiora, sed meliora omnia, quam sola superiora judicio saniore pendebam. Idem Conf. l. 7. c. 3.

Quæ in Cœlo & in terra corpora, non solum illi a quo sunt condita; sed nec inter se oportebat esse æqualia, & ideo sunt omnia bona; quia sunt aliis alia meliora; & bonitas inferiorum additur laudibus meliorum; & in rerum bonarum inæqualitate ipsa est jucunda gradatio, ubi minorum comparatio ampliorum est commendatio. Idem Cont. adv. Legis & Proph. l. 1. c. 4.

OBJECTIO TERTIA.

Ex malo Physico.

Sunt in mundo mala multa ***physica*****; sunt partes multæ** ***inutiles*** **&** ***noxiæ*****;** existit omnium rerum *corruptio*; in animalibus vero *mors*; in iisdem dum vivunt sunt molesti sensus *famis* & *sitis*, incumbitque *laboris* necessitas: ut *morbis* laborant! *generis propagandi* quam incommoda ratio est, & spatia vitæ quam varia & iniqua sunt, *infantia*, *juventus* & *senectus*! ut homo ignorantiæ & errori obnoxius est! ut passionibus eliditur! atqui hæc omnia deberent abesse ab opere divino.

Respondeo, nego minorem: mala hæc physica, quatenus pertinent ad creaturas irrationales, sunt appendices earumdem naturæ, ac propterea mala *defectus*; quatenus vero vexant vitam humanam pœnæ sunt peccati; ac pœnæ salutares, sine quibus in degeneri hoc statu deterior esset hominum conditio, adeoque cum justitia Dei elucent, etiam in his, bonitas & misericordia.

Primo, negamus in hac omni universitate rerum ullas esse partes *inutiles*. Nos nequaquam esse utilitatis rerum idoneos judices jam confectum est supra, ex eo quod rerum inter se relationes & necessitudines non cognoscamus. Omnium rerum imperfectissima est materia; verum non satis admirari possumus quanta cum solertia res illa stupida & in se inutilis, facta sit omnibus animantibus utilissima atque ad contemplationem pulcherrima. *Si dici posset*, *inquit S. Aug. conf. l. 12. c. 6.*, *nihil aliquid est & non est, hoc (eam materiam) dicerem: & tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles & compositas.* Res autem *noxiæ* in se pulchræ sunt, universitati rerum pro suis portionibus decoris multum tanquam in communem rempublicam conferunt: nobis ipsis si eis congruenter utamur commoditatis aliquid attribuunt: unde nos admonet divina providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum inquirere & ubi nostrum ingenium deficit, credere occultam. Ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. Verba sunt S. Augustini.

Secundo, *corruptiones* rerum sequuntur ex naturali conditione hujus mundi. Quid est enim corruptio, nisi partium dissolutio seu aliarum ab aliis avulsio? Atqui hic est necessarius effectus contrariorum motuum. Sed, inquies, cur contrarios motus in opere suo esse voluit parens naturæ? quia mundum hunc voluit, qui sine istis contrariis motibus esse non potuit. Hic est modus ejus. Fac universam molem corpoream in una massa torpere, non habes mundum. Fac materiam omnem moveri in linea recta cum eadem motus velocitate, non etiam habes mundum. Fac partes materiæ ita sese librare, ut in perfecto sint æquilibrio & quiete, non habes mundum. Omnis igitur mundi pulchritudo & admirabilis rerum varietas, non ex quiete, non ex partium æquilibrio, non ex conspirantibus motibus, sed ex motu opposito, ex interrupto æquilibrio, ex rerum pugna, omnis enascitur. Necesse fuit ut lux, ignis, aer, aqua, & omnia elementa non separata & divisa in sua quæque regione manerent; sed ut commixta secum invicem contenderent, & his admirabilibus atque mixtis concretionibus originem darent, videlicet plantis, corporibus organicis, &c. Tam necesse itaque fuit, ut esset hæc elementorum contentio, substantiarum heterogenearum fermentatio, concretiones & dissolutiones, quam necesse fuit ut ipse mundus existeret. Hoc solummodo a divina mente postulare debemus, ut certis legibus iisque aptissimis regat & temperet hanc elementorum contentionem; quod a Deo effectum est cum tanta sapientia, ut nullas leges sapientiores cogitare possimus.

Pulchra sunt in harum rerum commendationem verba S. Augustini. Conf. l. 4. c. 10. *Etenim omnia senescunt, & omnia intereunt. Ergo cum oriuntur & tendunt esse, quo magis celeriter crescunt, ut sint, ita magis festinant ut non sint.* Sic est modus eorum: *tantum dedisti eis, quia partes sunt rerum, quæ non sunt omnes simul, sed decedendo ac succedendo agunt omnes universum, cujus partes sunt. Ecce sic peragitur, ut sermo noster per signa sonantia. Non enim erit totus sermo, si unum verbum non decedat, cum sonuerit partes suas, ut succedat aliud.*

Idem l. 12. de civ. Dei c. 4. habet; *cæterum vitia pecorum & arborum, aliarumque rerum mutabilium atque mortalium, vel intellectu, vel sensu, vel vita omnino carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare ridiculum est. Cum istæ naturæ eum modum nutu creatoris acceperint, ut cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum, in genere suo istius mundi partibus congruentem. Neque enim cœlestibus fuerant terrestria coæquanda: aut ideo universitati deesse ista debuerunt, quoniam sunt illa meliora. Cum ergo in his locis, ubi talia esse competebat, alia aliis deficientibus oriuntur & succumbunt minora majoribus, atque in qualitates superantium superata vertuntur, rerum est ordo transeuntium.* Vide l. 3. de lib. arb.

Tertio, idcirco *mors* in se spectata malum non est, sed imperfectio una ex illis, quæ ex materia atque motu oriuntur. Est quippe dissolutio corporis organici, vel animæ & corporis separatio ex dissolutione corporis consequens. Sed nullo modo corpus organicum in hac terra nostra *naturaliter* gaudere potest immortalitate; quia sicut, aliæ omnes concretiones, continet elementorum commixtionem atque humorum discordantium pugnam. Hæc mortis defensio est quoque morborum omnium, qui ex iisdem principiis orti, illam solent præcurrere. Ex gratuita Dei bonitate aberant mala hæc a *primæva* hominum conditione. Quod jam illis sint iidem obnoxii, etiam magnæ misericordiæ est: quanta incrementa acceptura esset ex immortalitate & perpetua sanitate hominum improbitas, quam mortis perpetuus terror & morbi non cohibent, facile intelligitur. Bonitatis est igitur in Deo erga malos, quod nec

hoc

hoc malitiæ augmentum, nec eos in æternum scelerata mente vivere sinat; bonitatis est erga bonos, quod eos ab immortalibus tyrannis vexari non permittat, atque ad meliorem sortem vocet.

Quarto, quod attinet famem, sitim & laborem, in illis quoque multum elucet benigna Dei providentia.

Imprimis, cum corpora nostra sint ex partibus heterogeneis composita, quæ in perpetua sunt fermentatione; sitque tum fluidorum, tum solidorum maximus motus; hinc partes fermentatione illa & attritione minuuntur; ex qua diminutione, nisi aliquod afferatur remedium, cito consequeretur interitus & dissolutio totius fabricæ. Necesse igitur est, ut perpetua damna alterius materiæ substitutione resarciantur, & ad illa damna reparanda interioribus sensibus excitemur, ex quo existit utilitas *famis & sitis*. Deinde vero cum animalium corpora singularem habeant texturam atque habitum, qui postulat convenientia alimenta, jam variis coctionibus digesta, idque quotidie: hinc existit *labor* in conquirendis & præparandis alimentis.

Hi sensus, hic labor in primævo statu voluptates erant. Etiam in hoc corrupto statu multiplicem habent non solum utilitatem, sed & jucunditatem. Illi sensus famis & sitis multo melius nos de corporis inedia admonent, quam si jam rationi res permitteretur. (Vide *Mallebranche, recherche de la verité*.) Quam bene institutum est ut lentos & remissiores stimularent atque cogerent, nec molesti esse desinerent, donec opem corpori necessariam tulissent! Quam benigne provisum, ut iidem in temperanda siti atque fame experirentur voluptatem operæ in propria sui conservatione positæ mercedem! Quæ sane voluptas, ubi suppetunt alimenta, multum vincit molestiam illam, quam fames aut sitis solet procreare. Laboris etiam sua utilitas est & jucunditas. Utilitas quidem: nam multum conducit ad bonum corporis habitum, nec parum etiam ad facultates animi confirmandas: avocat a vitiis naturæ tam inimicis, quorum omnium mater est otiositas. Jucunditas etiam: nam ita sumus a natura comparati, ut appetat semper animus aliquid agere, grataque omnis illi sit materia excitandi sese abstrahendique; & non sine tædio & ægra otii patientia possimus conquiescere. Præterea labor & industria hominum conciliatrix est præcipua humanæ societatis: nihil adeo conjungit homines cum hominibus, quam permutatio officiorum & commercia; quæ omnia posita sunt in illis emolumentis quæ præstare aliis suo labore & industria homines possunt, aut ab aliorum labore & industria expectare.

Quinto. In ipso etiam dolore ingratisque sensationibus, quæ aberant a primæva hominum conditione, conspicua sunt divinæ bonitatis argumenta. Dolor quippe ex ipsa natura vitæ animalis seu conjunctione animæ & corporis corruptibilis naturaliter sequitur: neque illum unquam frustra sentimus. Illa enim conjunctio animæ atque corporis postulat, ut illæ duæ substantiæ agant reciproce in se mutuo: ut cogitationes animæ varios excitent in corpore motus, & vicissim varii corporis motus varie afficiant animam: ut jucundis sensationibus excitetur appetitus ad res bonas & salutares capessendas; contrariis vero sensationibus a noxiis & pestiferis avocetur. In primævo quidem statu dolor aberat, quia peculiari providentia cavebat Deus ne quid corpus exterius læderet; & arboris vitæ fructus interioris omnis ægritudinis causas impediebat. At profecto sine dolore, in præsenti mortali statu, nullo modo vitam servare possemus. Deus quidem hoc evitare potuisset, si effecisset ut anima corporis motibus non afficeretur, vel si instituisset, ut omnes corporis motus excitarent jucundam sensationem. Sed nemo non intelligit, quam periculosum futurum esset mortalibus tale beneficium. Si nullam ingenerasset natura animis aversationem mortis, nec ulla molesta sensatione

tione nos certiores fecisset illius adventantis; in mortem, quasi in somnum, incideremus, & si animal quodque eum eadem voluptate moreretur, cum qua reparat corporis sui damna comedendo, illam quæreremus. Molestæ ergo illæ sensationes doloris ex conditione animalium corruptibilium sequuntur & plane utiles sunt in statu præsenti ad conservationem vitæ.

Sed, inquies, sine molestis illis sensationibus potuisset nos natura admonere de corporis statu & excitare ad afferenda remedia, vel clara cognitione mali, vel diminutione voluptatis, qua antea fruebamur. Respondeo, hanc constitutionem rerum (nisi multa alia immutarentur & in statum primævum restituerentur) non futuram meliorem: Nam primum non intelligitur, qui animus possit habere perspectum malum imminens corpori & in periculo versari, sine tristitia; & nisi hæc tristitia vim haberet parem dolori & ingratis sensationibus, non sufficeret: eum sæpius has impares esse experiamur cogendis nobis, ut a pestiferis abstineamus. Diminutio vero voluptatis, quæ secundo loco proponitur, nobis majorem procrearet molestiam, quam afferunt illæ sensationes, de quibus instituitur querimonia. Nam satius plerumque ducimus tolerare dolorem, quam privari voluptatibus: verbi gratia, etsi podagra acerbissimos dolores creet, tamen nemo vellet privari sensu tactus & voluptatibus cum illo sensu conjunctis, ut illo malo liberaretur. Multi homines optime sciunt certorum ciborum comestura se aucturos esse mala sua & tamen anteponunt voluptatem illam, quam experiuntur ex cibo & potu nimio, immunitati ab isto malo. Tandem sic licet argumentari: vel illa diminutio voluptatis erit majus malum vel minus, quam molestia, quam experimur ex ingratis sensationibus. Sin primum, nihil sane lucraremur per commutationem: sin secundum, non haberet sufficientem vim ad nos inclinandos ad remedia malis præsentibus afferenda, cum quotidie experiamur ingratas hasce sensationes & præsensionem futurorum dolorum non habere parem vim ad suspendendum levem aliquam voluptatem.

Sed, dices, illæ molestæ sensationes sæpius prorsus sunt inutiles; podagra & alii dolores acutissimi nullum habent usum nec conducunt ad producendam vitam. Respondeo illos morbos esse pravos habitus corporis, qui naturaliter contrahuntur & ex motu fluidorum, concretionibusque oriuntur. Quæstio igitur hic est, utrum utile nobis sit certiores fieri istorum morborum, nec ne? Sed nullum est dubium quin melius sit admoneri, & ita admoneri, ut necesse sit afferre remedium. Nam si febri correptus quis vel podagra, non admoneretur de pravo corporis habitu; non vitaret ea quæ febrim accenderent, nec ea quæ sunt apta ad eandem temperandam arriperet; sicque subito & inopinato moreretur. Jam vero inter omnes morbos, quibus affligimur, illos horrere solemus magis, qui subito opprimunt: quænam ergo esset sors nostra, si hæc esset morborum omnium natura? Quantum tandem inserviant dolores ad hunc optimum finem; nempe ad deprimendam hominum superbiam & vanitatem, ad abducendos a rebus terrenis eorum animos atque ad cœlestia transferendos, dicere necesse non est.

6. Quod spectat generis humani *propagationem & ætates varias vitæ*, quæ cum illa connexæ sunt; nedum ex hac constitutione peti possit argumentum adversus Dei providentiam, e contrario maxima sapientiæ indicia continet.

Ex ea pendet generis humani societas. Vinculum quippe societatis omnium arctissimum in ipso conjugio est, quod ad speciei propagationem initur; proximum est sanguinis, quo continentur primum liberi, deinde fratres, postea sobrini & consobrini, deinde consanguinei: & hac ratione, quia omnes homines sunt iisdem parentibus prognati, unam magnam conficiunt familiam, & homo quisque bene moratus humani ni-

hil

hil a se alienum putat. Præterea hæc constitutio efficit, ut officia mutua hominum inter se sint plane necessaria & sic arcta magis efficiatur humani generis communitas: filii etenim per longa temporis spatia indigent parentum ope, & parentes vicissim ope filiorum.

Si singulas ætates vitæ particulatim consideremus, inveniemus nullam esse prorsus ærumnosam & quæ non afferat varia commoda. *Infantia* primum, curis & sollicitudinibus vacua est. Præterea in præsentibus hominum circumstantiis ad eorum vitam conservandam, excolendamque necessariæ sunt artes plurimæ: non enim illos ut cætera animantia, vestivit aut armavit natura; aut illis omnia ad pastum idoneum & copiosum præparavit; aut animos disciplinis & scientia instruxit. Hinc provido consilio institutum est, ut hominum soboles tenera & imbecillis diutius maneret, sedula indigens cura, & disciplinæ patiens, atque antea variis imbueretur artibus & scientiis, quam vires intractabiles adipisceretur. *Senectus* cum iisdem mortalibus afferat vitæ fastidium morti præparat, atque sic efficit ut sine multo dolore ex hac scena rerum discedant, quam in alia ætate tristiores reliquissent.

Parturientium dolores, & graviora mala quæ has ætates varias jam comitantur, aberant a primævo statu; suntque revera peccati pœnæ.

7. Ignorantia rerum maximi momenti ad vitam bene instituendam labes est sine dubio & pœna peccati: ignorantia autem rerum non necessariarum non tam malum est, quam imperfectio, quam velle abesse a creaturis nimium absurdum esset. Quod cum ita sit, quem haberemus scientiæ gradum solum determinare potuit liberrimum Dei arbitrium. Deinde vero error ex nostra ignorantia fluit & easdem habet causas. Magna pars scientiæ humanæ nititur testimonio hominum & in fide aliorum posita est, ut illa omnis quam de rebus civilibus, in quibus præsertim versamur, habemus; jam vero quamdiu in his nos fallere poterint homines, necesse est, ut simus deceptioni obnoxii. Magna etiam pars scientiæ humanæ nititur relatione sensuum, qui nobis rerum solummodo apparentias indicant, non ipsam interiorem naturam. Sed res, quæ naturis valde dividuntur easdem habere possunt apparentias; in quo etiam casu fallamur necesse est.

At profecto illa nostra nativa ignorantia & errores involuntarii, qui ex illa fluunt, nulla habent gravia incommoda, immo utilitates multas. Nam primum earum rerum scientia, quæ non sunt conjunctæ cum præsenti nostro statu, levissimam haberent utilitatem seu potius nullam: ad nihilum quippe inserviret, (quoniam homines non possunt pluribus rebus simul intendere) quam ad eos abducendos a rebus & officiis necessariis. Parum etiam prodesset vel potius obesset cognitio earum rerum mundanarum, quæ non conferret ad bene agendum, & recta capienda consilia: verbi gratia, parum prodesset scire, quot sunt mundo astra, quæ cujusque magnitudo, quænam sint omnium motuum naturalium principia: talis scientia nullum relinqueret locum inquisitionibus philosophicis, quæ sunt oblectamenta oris. Obesset multo magis rerum humanarum amplior scientia: quis enim vellet habere omnium sensuum suorum interiorum, omniumque cogitationum testes quasi oculatos omnes homines? Quis vellet fortunas suas & fatalem illum diem mortis semper habere ante oculos? Tolleretur uno verbo ex vita humana spes omnis, unicum in malis solatium & felicitatis magnum principium. Tolleretur metus, quo avocamur a flagitiis, si prævideremus quam bene succederent.

Quod vero errores spectat, illi quidem qui sunt voluntarii, & in quos incidimus ex negligentia, vel temeritate valde fatales habent quandoque consequentias, sed sunt proprie peccata & mala moralia. Illi qui sunt naturales

& in

& in quos incidimus ex naturæ nostræ imperfectione parum plerumque minuunt felicitatem nostram. Immo eadem causa quæ efficit ut multarum rerum ignorantia utilis sit, efficit etiam ut error ignorantiæ soboles sua utilitate non careat. Quam bene provisum fuit, ut spe vitæ conservandæ, spe recuperandæ sanitatis, spe mutandæ fortunæ semper deluderemur! Quam bene constitutum quoque est, ut aliorum hominum externo habitu inclinaremur ad officia erga eos præstanda; quæ non præstaremus si interiores eorum sensus perspiceremus? Sed, inquies, in rebus multis erramus, quæ multum removent nos a felicitate; multasque res ignoramus, quæ scire multum prodesset. Respondeo, illos errores removere quidem nos ab idea absolutæ felicitatis, quam animo habemus comprehensam, non removere ab illa felicitate, quæ est propria præsentis status, & ad quam nati sumus. Neque possunt illi errores exprobrari Dei providentiæ, nisi omnino miseram efficiant vitam humanam, sine ulla in alia vita compensatione.

8. Quod vero passiones attinet, *dicendum, inquit S. Thomas, quod illæ in quantum sunt præter ordinem rationis inclinant ad peccatum: in quantum autem sunt ordinatæ a ratione pertinent ad virtutem*. Quod vero animum humanum sic perturbent & tanto rapiant ad illicita impetu naturæ nostræ depravatio est, non primæva ejus conditio.

Necesse enim fuit, quoniam in eam conditionem devenire debebamus, in qua nobis ad conservationem vitæ multa essent arripienda & prosequenda, ut naturalibus inclinationibus ferremur ad ea quæ nobis utilia & salutaria sunt; & aversaremur noxia & lethifera. Necesse fuit etiam cum ad societatem quoque nati sumus, ut aliquibus vinculis conjungeremur cum aliis hominibus. Atqui hoc fieri melius non potuit, quam naturalibus illis inclinationibus & aversationibus, quas *passiones* vel *affectiones* vocamus. Quam enim passionem naturalem tollere velis? num amorem vitæ eorumque quæ sunt conservantia nostri status, aut illas affectiones, quæ ex illo fluunt? Sed necessariæ sunt ad conservationem individui. Num cupiditatem scientiæ seu naturalem curiositatem, qua excitatur animus ad inquisitionem veritatis? Num philanthropiam? Num caritatem patriæ? num paternos affectus aut pietatem filialem? num amicitiam? num commiserationem, aut alias, quæ vincula sunt societatis? Num angorem internum & pudorem post male acta? Num bonæ famæ & laudis cupiditatem, qua ad præclara facinora ingenuus quisque stimulatur? Num indignationem ex malorum prospera fortuna sponte subnascentem? Manifestum est nullam, ex iis omnibus quas veteres Philosophi & Theologi revocabant ad appetitum concupiscibilem, aut irascibilem, indigitari posse, quæ melius abesset a natura hominis. Sed omnes modum suum prætergredi possunt & sæpissime prætergrediuntur; hincque existit nimius sui amor, nimium pro patria studium, ambitio, iracundia, invidia, intemperantia, avaritia, cæteræque vitæ humanæ pestes. At hæc vitia arbitrii crimina sunt, non naturæ primordia. *Veritatem divinorum dogmatum, inquit Theodoretus sermone* 5. *Therap.* de natura hominis, *perdiscite, corporis divinam plasmationem, animæ naturam immortalem, hujusque partem rationalem affectibus imperantem, & affectus ipsos natura utiles ac necessarios. Nam & concupiscendi vis utilissima est, & huic opposita irascendi facultas similiter. Per illam siquidem & divinas res appetimus, & contemptis visibilibus intelligibilia cogitatione animoque versamus: atque in terra degentes, Dominum qui in cœlis est videre cupimus, virtutemque desideramus. Hac ipsa vitam tuemur, & cibum potumque sumimus, & legitima liberorum procreatione genus propagatur. At irascendi vis socia data est rationi, ut immoderatam cupiditatem coerceat. Quoniam enim ultra positos limites transilire illa contendit, iracun-*

cundiam illi creator, quasi pullum quemdam copulavit, qui eam retrahat, quando ultra quam opus est progredi conatur: ac veluti calida frigidis quidem sunt contraria, inter se tamen permixta temperationem optimam efficiunt; sic cupiditas & iracundia invicem admixtæ mutua castigatione optimam faciunt virtutis commixtionem. Est autem agendarum rerum penes rationem vis & potestas, ut hanc contineat, & illam impellat, vel illam inhibeat, & hanc excitet. Sistit enim nimiam iracundiam cupiditas, & iracundia rursus inexplebilem cupiditatem castigat. Hæc autem perfectissime geruntur, dum ratio habenas scite moderatur. Quod si molli ac lubrico cupiditatis sensu delinita, vel eum exsultante iracundia intempestive fines egressa, laxius quam par sit habenas remiserit, illæ quidem præter modum, equorum instar frænum mordentium, excurrunt, hæc vero vi tracta rapitur, risumque præbet spectantibus cum opprobrio: atque ita pœnas luit, ut quæ sponte sua hoc damnum subierit. Nam & humanæ leges eos qui delinquunt pœnis coercent, & Deus peccantibus ignem inextinctum comminatus est. Deus autem cum sit bonus & justus, ab iis pœnas non exigeret qui contra leges vitam ducunt, si necessario delinquerent: neque hominum sapientissimi ejuscemodi leges unquam tulissent, si compertum illis fuisset, non animi arbitrio humana facinora perpetrari.

Concludamus cum eodem Theodoreto: *itaque mala non sunt mors, paupertas, servitus, ægritudo: sed vocantur a stultis mala, bene autem utentibus bona sunt*. Vide S. Thomam *primæ secundæ quæst.* 24. Cartesium *de passionibus*. Mallebranche *de inquisitione veritatis*.

OBJECTIO QUARTA.

Ex malo morali.

Saltem nullo modo conciliari potest cum perfectionibus Dei malum *morale*, seu pravæ creaturarum intelligentium *electiones*. Nam in hac quæstione non possunt afferri eædem responsiones, quæ modo allatæ sunt objectionibus ex malo *defectus* & *naturæ*. Mala enim imperfectionis & naturalia excusantur, ex eo quod sint naturales rerum appendices vel pœnæ, & utilitate non careant; non item mala moralia: nam nec natura hominis aut ejus naturalis conditio exigit ut male eligat, nec prava electio bonum universi vel privatorum auget.

Respondeo 1. Objectionem hanc ex malo morali afferri quidem posse ad ostendendam humanæ mentis imbecillitatem, si res certissime existentes, providentiam & malum morale, conciliare nequiret, & sed valde ridicule affertur ab Atheis ad tollendam Dei providentiam: ob hanc evidentissimam causam, quia id supponit objectio, quod tollere vult. Nam cum malum morale seu peccatum sit libera legis divinæ bonæ atque justæ transgressio, sine *libertate* in creatura, & *providentia* bona & justa in Deo, cogitari nequit. Adeoque in hac obscurissima quæstione de mali moralis origine sine ullo causæ nostræ detrimento confiteri nostram ignorantiam possumus. Ut habet Arnobius l. 2. adversus gentes, *Responsionis necessitas nulla est, sive enim possumus dicere, sive minus valemus, nec possumus, utrumque apud nos parvum est, nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare istud, vel scire; unum solum posuisse contenti, nihil a Deo principe, quod sit nocens atque exitiale, proficisci.*

2. Mala moralia sunt proprie mala defectus, & eorum possibilitas sequitur ex conditione hominum. Multiplicem quoque certissime habent utilitatem: *neque, ut ait S. Augustinus, Deus omnipotens, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis; nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo ... melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere. Enchir. c.* 11. 17.

At, inquies, congruebat bonitati divinæ mala hæc impedire; cum hoc fieri facillime potuerit & sine ullis incommodis, idque tribus modis; 1. Si funestum liber-

libertatis donum Deus non concessisset: 2. Si omnipotentiam suam interposuisset, & voluntatem in se liberam a prava electione continuisset; 3. Si mutato rerum præsenti statu homines in alium transtulisset, ubi præcisis errorum causis nihil occurreret quo ad male eligendum moverentur.

Respondeo, Deum quidem impedire posse mala moralia, & revera impediisse in superioribus creaturarum ordinibus; at non propterea debuisse continere a pravis electionibus homines; vel tollendo libertatem; vel interponendo omnipotentiam suam; vel mutando humani generis statum.

Et 1. quidem sublata penitus libertate facile intelligitur pejorem futuram mundi conditionem; tum respectu Dei, tum respectu creaturæ.

Respectu *Dei*: quia 1. sublatis agentibus liberis, mundus universus mera machina esset digito Dei ductilis, &, ut patet, multum amitteret dignitatis suæ. Quia 2. Sublata libertate nullum esset Deum inter & creaturam fœderis & amoris commercium, nulla libera gratiarum actio, quam tamen Deo gratiorem esse & præstare omnibus materiæ lusibus facile sentiet, qui meminerit quantum intersit inter puerum patri blandientem & machinam manu artificis circumactam. *Tales servos suos, ut ait S. Augustinus, meliores esse Deus judicavit, si ei serviant liberaliter: quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent*: & alibi percunctanti Evodio cur dedisset Deus liberum arbitrium, quod si non accepisset homo, non peccasset, respondet: *satis causæ est cur dari debuerit, quoniam sine illa libertate homo recte non potest vivere, & pœna injusta esset & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam: debuit autem & in supplicio & in præmio esse justitia, quoniam hoc unum est bonorum, quæ sunt a Deo. De lib. arb. l. 1. c. 1.* Quia 3. sublatis creaturis liberis non adeo in administratione rerum elucerent divinæ perfectiones. Nam in gubernatione rerum carentium libertate magis elucere videtur potentia, quam sapientia: hæc multo magis enitet, cum tot agentibus liberis a dominio suo quodammodo manumissis & suspenso potentiæ exercitio, sola providentia fines assequitur, efficitque ut tot discordes voluntates in bonum universi conspirent. Præterea in hac administratione morali elucent sanctitas, justitia, cæteraque omnia his connexa attributa; quorum in fatali rerum omnium & ferrea concatenatione nullum indicium esse potest.

Respectu etiam *creaturæ*. Quia 1. sublata libertate, cæteræ præclarissimæ mentis nostræ dotes tollerentur: verbi gratia, si intellectum seu vim cogitandi haberemus sine libertate, vel nobis esset de eadem re perpetua cogitatio, vel series cogitationum necessariarum perpetuo sese obtrudentium: in quo statu certe nullus relinquitur rationi locus, nec consequenter illis deliciis, quas ex liberis inquisitionibus, ex inventis, ex inceptis, ex vitæ nostræ rationibus institutis, ex oratione & collocutione hominum, &c. accipimus. Quia 2. careremus etiam illis voluptatibus interioribus, & magis exquisitis, & magis permanentibus, quæ virtutis præmia sunt: quæ manifeste habent fundamentum in libertate & sunt grati sensus recti exercitii nostrarum facultatum. Quia 3. Sublata libertate, careremus illa omni felicitate, quam pariunt ipsæ electiones liberæ circa res etiam indifferentes; quæ certe in vita maxima est: nam si quis seipsum tentare velit, inveniet illam vim esse libertatis, ut grata nobis efficiat omnia quæ eligimus; etiamsi ante electionem essent maxime indifferentia, immo etiamsi revera mala sint physica & habeant dolorem adjunctum. Sic illius ope supra fortunam tollimur & rebus adversis impetiti solatium intra nos ipsos quærere possumus; novaque nobis proponere studia, quæ oblectamento suo necessarias in præsenti statu ærumnas multum lenient.

2. Deus in sua potentia media habet effi-

efficaciſſima, quibus, prout vult, flectere poſſit voluntates liberas hominum. At illis uti neceſſe non fuit, de qua re ingenioſe diſputat S. Auguſtinus de lib. arb. l. 3. cap. 12. *Naturas igitur omnes Deus fecit, non ſolum in virtute atque juſtitia permanſuras, ſed etiam peccaturas: non ut peccarent, ſed ut eſſent ornaturæ univerſum, ſive peccare, ſive non peccare voluiſſent. Si enim rebus deeſſent animæ, quæ ipſum faſtigium ordinis in univerſa creatura ſic obtinerent, ut ſi peccare voluiſſent, infirmaretur & labefactaretur univerſitas, magnum quiddam deeſſet creaturæ: illud enim deeſſet, quo remoto ſtabilitas rerum atque connexio turbaretur: tales ſunt optimæ & ſanctæ & ſublimes creaturæ cœleſtium & ſupercœleſtium poteſtatum, quibus ſolus Deus imperat, univerſus autem mundus ſubjectus eſt. Sine iſtarum officiis juſtis atque perfectis eſſe univerſitas non poteſt. Item ſi deeſſent, quæ ſive peccarent, ſive non peccarent, nihil univerſitatis ordini minueretur, etiam ſic plurimum deeſſet. Animæ ſunt enim rationales, & illis ſuperioribus officiis quidem impares, ſed natura pares; quibus adhuc inferiores ſunt multi & tamen laudabiles a ſummo Deo conſtitutarum rerum gradus. Ibid.*

Tertullianus lib. 2. contra Marcionem ſic diſputat: *ſi enim ſemel homini permiſerat (Deus) arbitrii poteſtatem & libertatem, & digne permiſerat; utique fruendas eas ex ipſa inſtitutionis authoritate permiſerat; fruendas autem quantum in ipſo ſecundum ipſum, id eſt, ſecundum Deum ... quantum vero in homine ſecundum motus libertatis ipſius. Quis enim non hoc præſtet ei, cui quid ſemel frui præſtat, ut pro animo & arbitrio ſuo fruatur? Igitur conſequens erat, ut Deus ſecederet a libertate, ſemel conceſſa homini, id eſt, contineret in ſemetipſo & præſcientiam & præpotentiam ſuam, per quas interceſſiſſe potuiſſet, quominus homo male libertate ſua frui aggreſſus in periculum laberetur. Si enim interceſſiſſet, reſcidiſſet arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiſerat. Denique puta interceſſiſſe .... Nonne exclamaret Marcion? O Dominum futilem, iſtabilem, infidelem, reſcindentem quæ inſtituit! Cur permiſerat liberum arbitrium ſi intercedit? Cur intercedit, ſi permiſit? Eligat ubi ſemetipſum erroris notet, in inſtitutione, an in reſciſſione.*

3. Denique non neceſſe fuit, ut Deus hominem alibi collocaret. Nam primum qui hoc volunt, volunt omnino hominum ordinem non eſſe: nam creatura rationalis in cælo poſita & in alia vitæ conditione diverſi eſſet ordinis ab homine animali terreſtri. Audiamus S. Auguſtinum de lib. arb. l. 3. c. 5. *Si te delectet creatura, quæ perſeverantiſſima voluntate non peccat, non eſt dubitandum, quod eam peccanti recta ratione præponas. Sed ſicut eam tu cogitatione præponis, ſic eam creator Deus ordinatione præponit. Crede eſſe talem in ſuperioribus ſedibus & in ſublimitate cœlorum. Habet illa ſublimis perpetuam beatitudinem ſuam, in perpetuum fruens creatore ſuo, quem perpetua tenendæ juſtitiæ voluntate promeretur. Habet deinde ordinem ſuum etiam iſta peccatrix, amiſſa in peccatis beatitudine, ſed non dimiſſa recuperandæ beatitudinis facultate, quæ profecto ſuperat eam, quam peccandi perpetua voluntas tenet. Inter quam & illam priorem permanentem in voluntate juſtitiæ, hæc medietatem quamdam demonſtrat, quæ pœnitendi humilitate altitudinem ſuam recipit. Nam neque ab illa creatura, quam præſcivit Deus non ſolum peccaturam, ſed etiam in peccandi voluntate manſuram, abſtinuit largitatem bonitatis ſuæ, ut non eam conderet: ſicut enim melior eſt vel aberrans equus, quam lapis, propterea non aberrans, quia proprio motu & ſenſu caearet; ita eſt excellentior creatura, quæ libera voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem .... propterea jam non te moveat, quod vituperantur animæ peccatrices, ut dicas in corde tuo melius fuiſſet, ſi non eſſent. In ſui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales eſſent, ſi peccare noluiſſent.*

Ex his omnibus patet folutio huic objectioni quam proponit Cotta apud Ciceronem, l. 3. de nat. Deor. *Si medicus, inquit, sciat eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumpturum statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos sciverit ea perverse & improbe usuros:* Manifesta est istius comparationis vanitas. Potest enim æger sine vino vivere, immo & convalescere. At homo sine ratione esse non potest. Nec minus distant peccare & perire. Verum est quod nemo vinum sumere ægrotum voluerit, quo periturum sciverit; quilibet tamen prudens medicus ægro cibum sumere permittet, sine quo certo periturum novit; etiamsi febrim eo sumpto auctum iri præviderit. Sic Deus rationem hominibus, sine qua homines non essent, dedit, etiamsi quædam inde mala oritura prævideret. Deberet ergo ratio comparari cum vita, mala moralia cum morbo: proindeque si Deus rationem auferret, ne homines male illa uterentur, similis esset ejus, qui occideret filium, ne ægrotaret. At, inquies, bonitatis pars esset in patre occidere potius filium, quam permittere ut *insanabiliter* decumbat. Si hoc sit patris officium, non est *provisoris generalis, ad cujus providentiam, ait S. Thomas, pertinet & boni productio & permissio mali, ut non impediatur bonum universi perfectum.*

Eadem vanitas est omnium exemplorum seu olim a Manichæis & Epicureis seu nuper a Baylio allatorum: hic vero in similitudine matris familias præsertim delectatur, quæ cum certa sit filiam suam pudicitiæ jacturam facturam esse, si certis illam perditorum hominum circulis & ludis interesse sinat, tamen permittit, ne filiæ libertatem tollere videatur: hanc vero matrem cum omnes facile concedant imprudentem & in filiam revera sub benignitatis specie sævam esse, ejusdem plane imprudentiæ & sævitiæ Deum arguendum esse pronuntiat. Sed hæc comparatio ob multiplicem causam distat a præsenti quæstione. 1. Quia præsentia filiæ istis circulis res necessaria non est: mater impedire potest ne illa intersit sine ejus interitu: sed libertas contrarietatis pertinet ad statum hominis. Quærendum est igitur an matrem bonitas excitare debeat ad filiam occidendam, ne pudicitiæ adeat periculum. 2. Quia mater malo filiæ nullum remedium afferre novit; nec ex illo, vel sibi, vel filiæ, vel familiæ, vel patriæ utilitatem aliquam arripere potest. Deus vero efficere potest & revera efficit, ut peccatum sibi prosit ad manifestationem suorum attributorum; ut peccatori nisi volenti non obsit aut etiam prosit; cum per salutares pœnas non tantum ad primam, sed majorem perfectionem & felicitatem illum si velit perducat; ut toti civitati utile sit cum paucorum infortunium exemplo aliis esse possit quo in officio contineantur.

Ex iisdem principiis solvitur illa adeo nota objectio Epicuri, quam Lactantius proponit his verbis. *Deus aut vult tollere mala & non potest; aut potest & non vult; aut neque vult, neque potest. Si vult & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest & non vult, invidus, quod æque alienum a Deo. Si neque vult neque potest, & invidus & imbecillis, ideoque neque Deus. Si vult & potest, quod solum Deo convenit; unde sunt mala? aut cur non tollit?* Ex quatuor illis membris sumebant olim *Manichæi* & *Stoici* primum: illi fingebant propter vim & potentiam mali principii Deum bonum non posse efficere quod velit. Hi vero voluntatem divinam frustratam dicebant, incorrigibili natura materiæ aut animæ maleficæ insitæ in materia. Alii secundum eligunt propter diversas rationes: *Deus, inquit* Lactantius, *potest quicquid velit, & imbecillitas vel invidia in Deo nulla est: potest igitur mala tollere; sed non vult: nec ideo tamen invidus est: idcirco enim non tollit; quia sapientiam simul*

mul tribuit, & plus est boni & jucunditatis in sapientia, quam in malis molestiæ: sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoscamus & per eam cognitionem immortalitatem assequamur, quod est summum bonum. Itaque nisi prius malum agnoverimus, nec poterimus agnoscere bonum: sed hoc non vidit Epicurus, nec alius, si tollantur mala tolli pariter sapientiam, nec ulla in homine remanere virtutis vestigia, cujus ratio in sustinenda & superanda malorum acerbitate consistit. Igitur propter exiguum compendium sublatorum malorum, maximo & vero & proprio nobis bono careremus. Leibnitzius quoque dicendum existimat Deum mala tollere potuisse, sed noluisse propter hanc optimam rationem, quod simul bona sustulisset, & plus boni quam mali. *Clericus* & alii multo melius respondent & huic responsioni inhærendum est, Deum potuisse mala tollere, sed non voluisse: quia Deus in dividendis donis suis creaturis nullam aliam legem habet præter arbitrium, ut supra diximus ubi de malo imperfectionis. Si ad aliquid procreandum teneretur bonitas infinita, teneretur ad perfectissimum, sed perfectissimum repugnat. Necessitas ergo est, ut bonitas quamvis infinita in aliquo gradu finito perfectionis & felicitatis consistat. Sed etne gradus ullus finitus, cui Deus adstrictus sit? manifeste nullus est. Ergo bonitas quamvis infinita in quocumque gradu perfectionis & felicitatis potest consistere. Ergo in eo qui est proprius hominum in præsenti conditione.

OBJECTIO QUINTA.

Ex inæquali distributione præmiorum & pœnarum.

Justa rerum administratio postulat ut præmia & pœnæ dividantur pro meritis. Atqui in administratione divina boni ærumnis sæpe conficiuntur; dum impiis afflat fortuna.

Unde Ovidius:

Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso
Sollicitor nullos esse putare Deos.

Notus est etiam elegantissimus Claudiani locus in Ruff. l. 1.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu.
Nam, cum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci .....
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, latosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia veri.

Respondeo, distinguo majorem: Justa administratio postulat, ut præmia & pœnæ dividantur pro meritis in statu *finali*, concedo: in statu *probationis* & *militiæ*, qui via est ad alium statum, nego. Esse quidem inæqualem distributionem præmiorum & pœnarum facile concedimus: nonnisi sero Dei vindicta assequitur malos, quandoque in hac vita nullatenus; boni è contrario propter ipsam suam virtutem malis multis opprimuntur. Sed hæc forma regiminis cum Dei justitia optime consistit, ob duplicem hanc præcipue rationem.

Primo. Quod Deus utpote omnium su-

supremus Dominus pro suo beneplacito possit differre malorum supplicium & bonorum præmia, si id ad bonum aliquod consequendum possit inservire. Hoc jus ipsis regibus & magistratibus nostris non denegamus; si e re reipublicæ sit differre malefactoris supplicium vel bonæ actionis remunerationem, hoc regi licitum esse nemo negabit. Ad absolvendam ergo Dei justitiam moderatricem mundi sufficit, quod aliquando malos capiet suæ improbitatis pœnitentia & boni invenient præmia virtutis; vemietque tempus quando bonos non pœnitebit dilati præmii, nec mali poterunt gloriari de dilato supplicio; quando Deus ipsius moræ & dilationis in puniendo & remunerando habebit rationem.

Secundo. Præsens mundi conditio postulat banc inæqualem distributionem: nam primum hominum conditio est status probationis & militiæ, in quo ad exercitationem virtutis oportet bonos viros molestias multas perferre: oportet etiam malos uti prospera fortuna: ut probetur bonorum constantia, quandoque ad ulciscendam improborum hominum impietatem; ut iidem sint illustria exempla in infausto exitu divinæ ultionis. Deinde vero divina justitia rerum humanarum moderatrix talis esse non debet, quæ omnia statim destruat; sed quæ potius mundum conservet in conditione qua potest optima. Jam vero si Deus sederet in tribunali ad ferendam ultimam sententiam, judiciumque æquum diceret in hac vita, in omni ætate destrueret maximam partem generis humani: & quid simile experiremur istius calamitatis quæ in diluvio contigit, si hic habitare nullis liceret nisi bonis. Cum igitur Deus velit servare mundum, necesse est ut malos vivere patiatur & id solummodo agar, ut legibus suis & judiciis quandoque severioribus coerceat hominum perversitatem. Denique manifestum est juxta cursum rerum ordinarium sine perpetuis miraculis exerceri non posse illam strictissimam justitiam: conditionem quoque generis humani illam non ferre; ita quippe vinculis amicitiæ, sanguinis & commodorum colligantur inter se homines, ut mali acerba pati non possint, quin in partem infortunii veniant etiam boni. Quæ esset, v. g. pats liquidæ voluptatis in parentis optimi vita, qui sibi divino judicio ereptos charissimos liberos lugeret?

ARTICULUS TERTIUS.

De motivo, finibus, perfectione & methodo Dei providentiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quo motivo Deus excitatus fuerit ad creandum? & quem finem in agendo spectaverit?

CONFUNDUNT sæpius Theologi & Philosophi *motivum* divinarum operationum ad extra cum earumdem *fine*: & ex duabus illis quæstionibus, quas titulus exhibet, unam valde æquivocam effecere: ex quo evenisse videtur, ut etsi reapse sint concordes, tamen in varias discesserint opiniones. v. g. Quidam, inter quos *Estius* est, negant dici posse Deum aliquem finem sibi proposuisse in condendo mundo; quia, inquiunt, Deus perfectissimus est & nullius indigens; & sicut efficientem causam non habet, ita nec finalem. Hæc opinio seu potius forma loquendi valde dissona est, nec satis abhorret ab Atheorum sermone, qui omnia propter nullum finem temeraria ac inconsulta actione entis æterni & necessarii constituta pronuntiant. Quid est agentem carere fine, nisi agere temere & inconsulto? tamen manifestum est hos Theologos nonnisi verbis ab aliis differre, quia per finem intelligunt, non finem operis, sed motivum quo Deus inclinatus est ad operandum: fatentur etenim rerum a Deo creatarum esse aliquem finem, gloriam videlicet Dei: fatentur etiam inter res creatas aliquas esse, quæ conditæ sunt propter alias, v. g. solem ad illustrandos lumine suo planetas.

Nos

Nos ergo adhibita distinctione statuemus cum *Estio* Deo nullum fuisse motivum naturale agendi ad extra; deinde vero cum aliis, Deum libera voluntate ad agendum determinatum sibi proposuisse finem v. g. gloriam suam & creaturarum bonum.

PROPOSITIO PRIMA.

Nec gloria Deo ex universitate rerum redundatura, ut quidam putant, nec bonitas creaturarum, nec inclinatio aliqua benevolentiæ erga creaturas, aut aliud quodvis motivum, Deum impulit ad agendum ad extra: sed Deus seipsum libere determinavit, & volendo creaturarum existentiam eas fecit & bonas & gratas sibi.

PROBATIO.

1. Gloria ex universitate redundatura non potest dici motivum, quo Deus ad agendum determinatus fuit. Nam gloria hæc est res externa & adventitia. Atqui Deus a re externa ad agendum moveri nequit: qui enim determinatur ab extra, pendet ab ea re a qua determinatur, passive se habet, agitur, non agit. Quæ omnia de Deo affirmari nequeunt.

Deinde vero ens sibi sufficiens, nullaque re indigens nihil diversum a se appetit; cum ipsa alicujus rei appetitio indigentiam significet. Et propterea tali enti indifferens esse debet, cujuscumque rei finitæ & externæ existentia. Sed gloria ex universitate redundatura res est finita & externa.

Denique si esset in Deo aliqua gloriæ appetitio independenter a libera voluntatis determinatione, esset illa appetitio naturalis, & idcirco æterna & necessaria, & consequenter ab æterno excitatus fuisset Deus ista appetitione ad creandum, quod tamen omnes negant. Ergo.

2. Deus dici non potest excitatus ad creandum creaturarum *bonitate*. Nam primum ante liberam Dei electionem creaturarum bonitas nulla est. Num bonitas absoluta seu realis perfectio aliqua? Sed rei non existentis nulla bonitas est absoluta, nulla realis perfectio. Num bonitas relativa? Sed hæc sine existentia concipi nequit: & relative ad Deum infinitum nihil extra se, natura sua & independenter a voluntate divina, bonum & conveniens esse potest.

Deinde si Deus bonitate externa creaturarum inclinaretur ad operandum, omnes indiscriminatim creaturas possibiles produxisset: nulla est ratio, cur creaturas aliquas discriminaverit, cum omnes æqualiter habeant illam objectivam bonitatem, qua Deus inclinatus supponitur.

Denique cum bonitas creaturarum sit respectu Dei res externa, huc referri possunt omnes modo allatæ rationes, quibus effecimus gloriam externam non fuisse divinarum operationum motivum.

3. Propter easdem rationes nulla concipitur in Deo ante liberam voluntatis determinationem *benevolentiæ inclinatio* erga creaturas seu naturalis appetitio.

4. Restat ergo quod divina voluntas libere sese determinaverit ad operandum ad extra. Nam nulla causa distincta a voluntate fingi potest, & cum nullam habeant creaturæ, dum sunt possibiles, bonitatem, nec absolutam, nec relativam, necesse est divino fiant bonæ decreto. Atque revera existentia perfectio est absoluta & ceterarum fundamentum; earumdem conformitas cum divina voluntate, cæterisque ejus attributis, bonitas etiam relativa est, quam utramque creatione acquirunt. Tandem Deus volendo concupivit eas sibi gratas facere & in se quamdam earum voluntatum appetitionem excitare: dum enim erant tantummodo possibiles, nullamque haberent bonitatem nec absolutam, nec relativam, gratæ ipsi proprie esse non potuerunt: sed cum volendo ipsis existentiam destinaverit, propter bonitatem tum absolutam, tum relativam diliguntur. (*a*).

Obji-

(*a*) Qui quærit, quare Deus voluerit mundum facere, causam quærit volun-

Objicies. Si ab effectis suæ omnipotentiæ & decretis suæ voluntatis nihil gloriæ, Deus expectaverit, quo excitaretur ad res creandas; cur creavit? cur non otiosus mansit?

Respondeo non plus afferre Deo molestiæ voluntatem creandi, quam otium; proinde ad velle & non velle prorsus indifferens Deus fuit. Tam igitur quæri potest cur non creaverit, quam cur creaverit: atque propter hanc indifferentiam summe liber intelligitur, utpote qui nullo modo natura inclinatus, potest agere vel non agere.

Objicies 2. Nullo modo intelligitur, quomodo ens aliquod possit sese ad agendum determinare nulla causa, nulla ratione inclinatum.

Distinguo antecedens. Non concipimus modum, quo ens aliquod seipsum determinat ad agendum, seu vim illam sui determinatricem, concedo. Non concipimus rem ita esse, nego. Fatemur quidem nos nullam habere ideam claram potentiæ seu vis sui motricis & activæ, nec modum quo sese exerit intelligere: sed esse entia prædita tali vi certo scimus: quia certo novimus progressum infinitum in causis esse non posse, & consequenter sistendum esse in aliqua causa, quæ vim habeat sese determinandi. Quam multa sunt hujusmodi quæ negare non possumus; etsi quomodo sint non intelligamus: scimus lucem a sole derivatam nervorum pulsatione sensationes luminis & colorum excitare; scimus membra nostra cogitatione vel desiderio moveri: at quomodo id fiat nullo modo concipimus. Fortasse si quis penitus rem hanc expendere velit, inveniet nos non clarius apprehendere, qui aliquid ab alio moveatur, vel quoquo modo afficiatur, quam qui seipsum moveat & afficiat: saltem multo difficilius intelligitur quomodo motus vel cogitatio esse potest sine principio, quam quomodo ab agente incipiat. Fallunt nos in hac parte entia corporea inter quæ versamur, quæ exempla nobis passionis exhibent, actionis vero nulla; at si nulla essent corpora & cum mente nostra, ejusque interioribus facultatibus conversaremur; nescio an non obscurior esset cogitatio passionis, quam actionis. Hoc certum est nullam esse posse passionem sine actione & multo obscuriorem esse cogitationem, quomodo volitiones mentis sint natæ ex impressionibus extrinsecus acceptis; quam quod sint naturæ cujusdam per se activæ operationes.

Ab hujus quæstionis solutione pendet etiam illa omnium aliarum similium. *Cur Deus citius non creaverit? Cur præcise in hac spatii infiniti* (si quod sit) *parte creaverit? Cur plura entia non produxerit? Vel cur alias dotes creaturis non addiderit?* Responsio generalis hæc est: *quia noluit*.

PROPOSITIO SECUNDA.

Divinarum ad extra operationum finis est vel gloria Dei (*a*); vel bonitas divina creaturis communicanda (*b*); vel divinorum attributorum exercitatio, vel Dei perfectionum in creaturis expressio (*c*).

Hæ

tatis Dei. Sed omnis causa efficiens est; omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur. Nihil autem majus est voluntate Dei. Non ergo ejus causa quærenda est. *S. Aug. l. de civ. Dei* 28. Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult. *S. Tom. part. prim. qu.* 19.

(*a*) Universa propter semetipsum operatus est Deus, *prov.* 16. in laudem gloriæ suæ. *S. Paulus*.

(*b*) Bonitate Deus præstabat, bonus invidet nemini. Itaque omnia sui similia generavit. *Plato in Timæo*. Hæc justissima mundi condendi causa fuit, ut a Deo bono bona opera fierent. *S. Aug. l.* 11. *conf. c.* 21.

(*c*) Satis liquet quod intuitu primariæ & universalis rationis hominem Deus creaverit ob seipsum, suamque & bonitatem & sapientiam, quam facile in omnibus perspicias, *Athenagoras de resurrectione*, *c.* 11.

Hæ omnes formæ loquendi probantur a graviſſimis authoribus, tum veteribus, tum recentioribus; & revera eodem omnes redeunt. Nam expreſſio Dei perfectionum ad extra, eſt ipſa exercitatio ſuorum attributorum; voluntas vero exercendi ſua attributa & communicandi ſuas perfectiones, quid aliud eſt quam divina bonitas? Et denique gloria Dei, in qua re poteſt conſiſtere, quam in dicta attributorum ſuorum exercitatione vel ſuarum perfectionum in creaturis expreſſione, atque illa complacentia quæ hinc in Deo enaſcitur? Sic certe mentem ſuam explicavit Mallebranca, quem calumniantur Baylius & alii bene multi, dum ſtupidam & ridiculam illi tribuunt opinionem, quod Deus egerit ex vana gloria, ad aucupandam famam & exiſtimationem hominum; quam ſententiam e contrario confutat in diſputationibus metaphyſicis. *Entret. metaph. p.* 349.

QUÆSTIO SECUNDA.

An providentiæ divinæ ſyſtema dici poſſit perfectiſſimum.

Veteres omnes Philoſophi *Platonici*, *Stoici*, & alii aſſeruiſſe videntur mundum hunc cum omnibus ſuis imperfectionibus atque malis eſſe tamen perfectiſſimum; eorum omnium mentem expreſſit *Balbus Stoicus* apud Ciceronem, l. 2. de nat. Deor. his verbis. *Ex iis naturis, quæ erant, quod effici potuit optimum, effectum eſt. Doceat ergo aliquis potuiſſe melius. Sed nemo unquam docebit: & ſi quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id quod fieri non potuit deſiderabit.*

Quidam etiam Eccleſiæ Patres, qui Platonis philoſophiæ addicti fuerunt, docuerunt mundum hunc perfectum eſſe: non eo quidem ſenſu, quod Deus perfectiorem creare non poſſit; ſed quod partes reſpectu totius ſic aptæ ſint, ut melius eſſe non potuerint. *Theodoretus* qui majorem operam quam alius quiſquam poſuit in illuſtranda & defendenda Dei providentia expreſſe probat *Platonicorum* doctrinam (*a*).

Cum *Baylius* in Dictionario ſuo hiſtorico critico multa adverſus providentiam Dei ex conſideratione mali phyſici & moralis diſputaſſet: hoc ſibi negotii dari crediderunt præclariſſimi Philoſophi recentiores, ut religionem adverſus illius hominis objectiones vindicarent; neque aliam tutiorem viam ingredi poſſe ſe multi putaverunt, quam ſi abſolute pronuntiarent mundum hunc cum omnibus malis ſuis phyſicis & moralibus eſſe tamen perfectiſſimum, neque Deo licuiſſe condere perfectiorem: proindeque aut Deo fuiſſe temperandum a creatione, aut mundum hunc, uti nunc eſt, condendum fuiſſe. Sed inter hos magna extitit contentio, unde repetenda ſit operis divini perfectio: alii cum *Leibnitzio* mundum hunc ratione perfectionis ſuæ abſolutæ & indepen-

 den-

(*a*) Poſt hæc quorumdam refellit inſaniam (Plotinus) qui quaſdam mundi particulas reprehendere conabantur, ſic loquens: totum enim quoddam fecit, omni ex parte pulchrum & ſibi ſufficiens, amicum ſibi ſuiſque partibus, tum principalioribus tum minoribus, tamquam ipſi magis congruentibus. Qui ergo a partibus totum accuſat, hujus ſuæ accuſationis cauſa inſulſiſſimus eſt. Nam & partes conſiderare oportet ratione totius, utrum ſint illi conſonæ ac conformes: & qui totum conſiderat, non ad minutiores quaſdam partes reſpicere debet. Hoc enim non ſit mundum reprehendentis, ſed quædam illorum ſeorſum capientis: ut ſi quis ex toto animali crinem inſpiciens, imoſque pedum ungues, totum hominem, prope divinam viſionem, non curet inſpicere... Quando igitur quod factum eſt, univerſus eſt mundus; qui hunc contemplabitur, dicentem fortaſſe audiet: *Deus me fecit, & ego inde ſum factus ex animantibus cunctis perfectus meipſo potens, mihique ſufficiens & rei nullius indigens: quoniam in me ſunt omnia, & plantæ, & animantia & generum omnium natura.* Serm. 6. Therap.

denter a viis simplicioribus, ordinem esse inter omnes possibiles prorsus optimum arbitrantur, neque posse tolli malum quin simul tollatur & bonum. At *Mallebranchius* ordinis hujus perfectionem summam ex duplici fonte repetit: nempe primum a viis generalioribus & simplicioribus, quibus in condendo mundo Deum usum esse asserit: magis dignum fuisse Deo illum mundum præ cæteris omnibus eligere, qui via simpliciori creari, conservari ac gubernari poterat; etsi magis abundaret vitiis, quæ ex ipsa legum simplicitate procederent. Secundo ab incarnatione Verbi Divini, quæ mundum ad eum extulit dignitatis & perfectionis gradum, ut dignus esset in quo condendo & administrando Deus occuparetur. Clarissimus Dubliniensis Archiepiscopus in ingenioso opere *de origine mali* ab utroque in multis discessit, summam systematis mundani perfectionem repetit ex convenientia ejus cum voluntate divina, & ex eo quod nulla pars mutari possit nisi in deterius; quod sic conficit: si aliqua pars mundi melior effici possit relative ad totum, id triplici tantum ratione fiet, vel augendo numerum individuorum in aliqua parte existentium; vel majorem inducendo specierum varietatem; vel intendendo sensus & appetitus animantium. Atqui qui harum mutationum consequentias in hac tellure nostra perpendere velit, inveniet plus incommodi ex illis esse oriturum, quam commodi: & per analogiam idem de cæteris omnibus partibus concludet. Non negat tamen hic author quin Deus infinitos alios mundos eodem sensu perfectissimos creare potuerit.

Cum tota hæc quæstio metaphysica sit & nostrum intellectum superet, quid nos de illa sentiamus brevissime aperiemus.

Dico primo, mundum hunc esse perfectissimum ratione illius *finis*, quem Deus sibi proposuit; saltem asseri non debere alium perfectiorem esse possibilem. Nam hic finis est gloriæ Dei, & perfectionis ejus manifestatio. Dico quoque esse perfectissimum ratione *mediorum* ad hunc finem. Nam juxta nostrum concipiendi modum sapientia posita est in electione mediorum aptissimorum ad fines suos consequendos; isque stulte agere censetur, qui relictis mediis magis idoneis, iis utitur, quæ sunt minus idonea: v. g. si quis ad solertiæ suæ specimen, machinam, cum magno sumptu, valde compositam faceret, ad obtinendum finem, quem assequi potuisset simplici rota & sine sumptu; rideremus certe illius artificis imperitiam: sic haud scio an non jure desideraremus in opere Dei sapientiam, si finem suum quæreret per media minus apta.

2. Etsi Deus necessitate morali teneatur ad prosequendum finem optimum, nempe gloriam suam; & ad assumenda media ad illum finem aptissima: tamen cum ille finis, qui *specie* est in divina actione necessarius; *gradu*, ut ita loquar, sit arbitrarius, quippe Deus tenetur ad manifestationem suorum attributorum, sed non ad infinitam manifestationem, quæ est impossibilis. Si ad finitam tantum, quandoquidem in finito innumeri gradus sint & nullus summus existat, solum Dei arbitrium, in quo gradu & qua mensura manifestaret sua attributa, determinare potuit. Sicque ex finium possibili multiplicitate & varietate intelligimus multos mundos possibiles esse, eoque omnes revera perfectissimos, hoc sensu quod in omnibus Dei gloria obtineatur per media optima.

3. Dico a posteriori, confutari non posse veteres & recentiores Philosophos, qui asserunt mundum hunc esse absolute perfectissimum; si per mundum intelligas ordinem infinitum & æternum rerum omnium præteritarum & futurarum, quæ ab æterno fuit, est, & erit divinæ complacentiæ objectum. Quia dicere possunt hujus immensi ordinis nullos limites esse, Deum novas res cum indefinita varietate semper producere & totum systema, saltem rerum spiritualium, perpetuo in statum progredi perfectiorem,

& ire

& ire de virtute in virtutem. Si talis esset rerum constitutio, intelligitur nullum datum perfectionis actualis & fixæ statum, cum illa esse comparandum, id est, esse omnino perfectissimum: tum respectu Dei, cujus gloriæ in hac hypothesi indefinita est manifestatio: tum respectu creaturæ, quia nulla est rationis compos quæ non satius duceret in hac depressa mortalis conditionis sorte exordium existentiæ capere, si per omnes temporum periodos nova intelligentiæ & lætitiæ incrementa capere deberet, quam nasci in quocumque dato gradu perfectionis stabilis & nullius capacis incrementi. Juxta hanc ideam universitas rerum si in aliqua ætate infinitæ suæ durationis spectetur, vel si per partes consideretur, non erit perfectissima *absolute*, cum pars non possit habere perfectionem totius, & concipiatur totam constitutionem perfectionibus novis perpetuo amplificari: sed si consideretur cum omnibus suis partibus, & omnibus suis evolutionibus, uti mundi idea existit in mente divina, erit perfectissima, tum ratione gloriæ Dei, cujus est æterna, immensa & infinita explicatio, tum ratione bonitatis seu perfectionis communicandæ creaturis. Erunt quoque partes perfectissimæ *relative* ad totum ordinem, quia quamvis non habeant in se summam perfectionem sunt tamen partes systematis optimi, cujus indefinita perfectio est.

Verum, quamvis Deus sensu exposito systema perfectissimum condere voluerit & indefinitam gloriæ suæ manifestationem sibi proposuerit, tamen initium systematis hujus perfectissimi ab aliquo gradu finito perfectionis sumendum fuit; ibique erat locus arbitrio. Quapropter calculis omnibus subductis videtur adhærendum esse huic principio, quod si Deus liber fuerit ad creandum, liber etiam fuit circa majorem vel minorem operis sui perfectionem: si non omnino manifestare attributa sua potuit, nullam creaturis tribuere perfectionem & ex solo arbitrio id fecerit: certè arbitrium solum figere potest limites, intra quos in exercitio suorum attributorum & bonorum distributione se se contineat.

QUÆSTIO TERTIA.

An Divina Providentia legibus generalibus procedat, sintque illæ leges prorsus mechanicæ?

Si animus esset, omnia, quæ ad hanc quæstionem pertinent, referre, & Philosophorum veterum atque recentiorum opiniones varias & discordes expendere, & diligentius confutare; nacti sumus hic locum ad dicendum amplissimum; sed cum operis hujus ratio sit, non curiose res reconditas investigare, sed religionis principia exponere & defendere, non nisi leviter hanc partem attingemus.

Quæri potest primo, an universa *natura*, & singulæ ejus partes legibus fixis & ratis procedat, evolvatur & gubernetur; an non *voluntatibus*, ut ajunt, *particularibus* Deus sine aliquo certo tenore cuncta immediate producat?

Respondeo nullum dubium esse debere, quin Deus agat juxta *leges generales*. 1. Quia nisi cuncta sic procederent, nullo modo esse posset in creaturis prudentia, seu consilium, nullæ scientiæ & artes, nulla industria, nulla certa ratio instituendæ vitæ, nulla stabilis methodus vel corporum curandorum, vel animorum perficiendorum: quæ omnia manifestissime pendent ex constantia legum, qua fiat, ut calculos inire possimus, futura prospicere, certos effectus & consequentias ex certis actionibus expectare, facileque totum vitæ cursum instituere.

2. Quia experientia compertum habemus revera cursum omnem naturæ sic per leges generales procedere: verbi gr. in orbe corporeo *ubique* & *semper* obtinent eædem leges gravitatis, cohæsionis, elasticitatis, percussionis, &c. in mundo corporeo spirituali eædem sunt leges in omnibus hominibus, quibus animi cum corporibus conjunguntur: inditi sunt omnium mentibus iidem sen-

sus, eædem propensiones, eadem vivendi præcepta. Ex his cognitis naturæ partibus, earumque legibus, per analogiam rectè concludimus, partes alias abditas magis & quarum administrationis ratio obscurior est, legibus quoque ratis & fixis gubernari.

3. Idem colligitur etiam a priori: quia illa ratio administrationis sine dubio obtinet, in qua magis elucent divinæ perfectiones, scientia, consilium & potentia; id est, quæ Deo omni ex parte dignior est. Sed majorem habet notam sapientiæ & potentiæ cuncta unico intuitu ab origine rerum prospicere & perpetuo tenore ex legibus generalibus evolvere, quam minutatim & per partes novarum legum institutione producere.

Quæritur 2. quibus legibus natura tota ejusque partes gubernentur?

Respondeo magnam esse Philosophorum in hac re dissensionem.

1. Fuit olim communis valde & pervagata opinio, affectionem seu tactum siderum, causam esse omnium eventuum sublunarium; etiam actionum humanarum. Hujus opinionis defensores dicere solebant, cœlum magnum quoddam volumen esse, in quo Deus mundi historiam & cujusque fortunas descripsit: cœli efficaciam hanc, alii repetebant ex tactu physico astrorum; alii vero sidera non causas physicas, sed morales vel occasionales eventuum faciebant; Deum vero certa lege pro diverso eorum situ, cursuque eventus producere. Vanam & anilem superstitionem hanc, quæ tamen ultimo sæculo in tota Europa vigebat, & apud Orientales adhuc viget, sustulit restauratæ philosophiæ lux. Vide *Barclaii Argen. l. 2.*

2. Stoici olim defendebant cunctas omnino res, eventusque omnes *fato* evenire: per *fatum* vero quam plurimi intelligebant, ferream rerum omnium concatenationem seu necessariam & invariabilem causarum inter se aptarum & nexarum seriem ac successionem æternam: cui fato Dii ipsi subjecti erant, *eadem necessitas*, *ait. Seneca*, *& Deos alligat*; *irrevocabilis divina pariter & humana cursus vehit*. At multi etiam inter ipsos extitere, qui cum fato libertatem conciliabant & eadem plane ratione expediebant sese, qua apud nos Thomistæ, ut patet ex hoc loco *Ciceronis* de fato, c. 18. *Chrysippus autem cum & necessitatem improbaret, & nihil vellet sine præpositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut & necessitatem effugiat, & retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ & principales, aliæ adjuvantes & proximæ: quamobrem cum dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis & principalibus, sed causis adjuvantibus, antecedentibus & proximis, &c.*

Ab hac opinione Stoicorum vix differre videtur sententia recentiorum Philosophorum; inter quos eminet Leibnitzius, qui sublata omni physica necessitate moralem, non minus ineluctabilem ejus loco posuerunt. Prædictus philosophus docet, Deum ad mundum hunc creandum necessitate morali adductum fuisse, neque alium condere potuisse; quia ad optimum quodque semper tenetur. Mundum hunc duplici parte constare corporea & spirituali; utriusque vero hanc esse naturam atque leges. Corpoream vero complexionem esse substantiarum supplicium, quas *monadas* vocat, quibus inest illa ad motum tendentia, eæque vires, ex quibus naturaliter & necessario nascuntur motus omnes, qui mundum hunc aspectabilem efformarunt: mundi vero formati status omnes esse necessitate mechanica connexos & unumquemque subsequentem ex præcedenti necessario consequentem esse. Partem vero mundi spiritualem, ut animos hominum, docet totidem etiam monadas esse seu substantias simplices, aliis viribus instructas, in quibus naturaliter nascitur series cogitationum, voluntatum & appetituum sibi invicem succedentium & sese continuo producentium sine vi ulla *sui determinatrice*; quam valde irridet. Has vero monadas materiales seu

mo-

moventes, & spiritales seu cogitantes, negat agere in se mutuo aut omnino ex ulla parte a se mutuo dependere; ita tamen hasce monadas spirituales a Deo provido comparatas esse; ut earum cogitationes, appetitiones & voluntates perfecte respondeant motibus certarum materiæ combinationum, quas corpora humana vocamus: quæ propterea a Deo cum iisdem materialibus machinis copulatæ sunt. Eodem momento, verbi gratia, quo monas spiritualis vult ambulare; eodem præcise collectio monadum materialium seu corpus mechanice ambulat. Adeoque animus & corpus in homine relationem secum invicem habent, non per actualem unionem, vel reciprocam actionem seu physicam, seu moralem; sed tantum per constantem correspondentiam motuum corporis cum cogitationibus animi. Hoc systema vocatur, systema *harmoniæ præstabilitæ*: quod certe satis divinam commendat industriam, sed omnem tollit libertatem seu divinam seu humanam; & consequenter morale Dei in homines imperium.

3. Alii philosophi Deo & mentibus creatis relinquentes libertatem, statuunt saltem ordinem totum Physicum mechanicis legibus omnino permitti, nec unquam Deum intervenire; duas tantum leges postulant Cartesius & Malebrança; nempe primam *quæ jubeat conservari motum in linea recta*. Secundam quæ præcipiat, *ut quantitas motus communicetur pro quantitate molis corporum impingentium*. Alii plures concedi sibi volunt. Ex his generalibus & ratis legibus derivant mundi formationem & conservationem; quidam, corporum organicorum artificium; quidam illos eventus, qui contra leges naturæ accidere videntur & propterea *miracula* dicuntur: quidam hisce legibus sine particulari interventione Dei remunerari justos, puniri nocentes; hominum devote supplicantium vota perfici; ea denique omnia peragi, quæ Deus factu necessaria judicaret, si *particularibus* uteretur *voluntatibus*. Hujus opinionis commendatio est simplicitas & exquisita quam Deo attribuit solertia.

Verum ex materia & motu & ejus legibus mechanicis, nec mundum oriri, nec conservari; nec corpora organica formari; nec ullum naturæ phænomenon explicari, jam ferme omnes philosophi consentiunt: & tota illa philosophia posita fuit a Cartesio in principio falso: videlicet esse semper in mundo eandem motus quantitatem; quem revera interire omnes nunc physici agnoscunt. Igitur inveniendæ sunt *vires vivæ* motus productrices quas materiæ inesse non posse, supra ostendimus: & hæ si materiæ inessent, nisi illas etiam facias intelligentes, prædictorum omnium effectuum causæ esse non possunt. Quis enim ingenio valeat consequi, quomodo vis motrix certa lege eaque invariabili definita attemperare sese possit statui creaturæ liberæ & mutabilis, nunc sævam sese erga peccantem præbere, & statim ex pœnitentia mansuescere & vota supplicantium cumulare? potestne, v. g. pestilens vapor hunc corripere, ut dignum morte; alium præterire precantem, & sic in eodem cursu suo cum quadam arbitrii specie dividere vitam & mortem pro meritis, rationem habere sacrificantis & non sacrificantis? nisi tamen mechanicæ vires hæc exequantur, tollit hæc opinio omnem Dei cultum, omnem in divina ope spem, aut iracundiæ divinæ metum. Quod vero attinet illam rationem ex hujus systematis simplicitate & solertiæ caractere, illa sine dubio authoritatem cuicumque systemati affert: sed imprimis considerandum est, quis machinæ finis, quis usus sit: Nam si hi tales sint, ut obtineri nequeant, nisi admoveatur opificis manus, non esset sapientiæ pars manum non admovere, v. g. Horologium, quod singulis diebus indiget manus applicatione, recteque indicat horas, multo præstat alio, cui applicaretur manus singulis mensibus, sed nunquam vel raro recte horas indicaret. Sic quoque si hæc machina mundi destinata fuerit ad bonorum remu-

munerationem & malorum punitionem, ad pœnas post pœnitentiam removendas & iterum post relapsum renovandas: cum materia harum vicissitudinum, variis animorum statibus correspondentium, nullo modo capax videatur; aut adhibenda manus est, aut optimus finis atque usus machinæ est deserendus. Jam vero abesse a sapientia videtur frustrari optimis finibus & machinæ suæ usibus propter viarum simplicitatem; sed nullo modo defectus in Deo est quod materia capax non sit arbitrii & libertatis.

4. Quidam vero cum varia naturæ phænomena, præsertimque corporum organicorum admirabilem structuram legibus mechanicis explicari nullo modo posse censerent, neque divina majestate dignum putarent omnia minutissima corpora propriis quasi manibus fabricare, statuerunt esse in mundo genitricem quamdam naturam, qua, tanquam instrumento, divina providentia utatur in disponenda ordinandaque materia: illam includi in materia, spiritualem tamen esse & via ac methodo progredi; licet consilio, intelligentia & conscientia careat. Hanc sententiam confirmant ex eo, quod gradatim, tarde ac lente cuncta fiant in rerum natura; & quod varia in ea vitia & errores notentur. Hæc significare putant causam immediate dirigentem motus materiæ, non esse infinita potentia præditam.

At novæ & incomprehensibilis naturæ plasticæ seu fictricis comminiscendæ rationes non sufficientes sunt. Prima ratio petita ex molestia, quam Deo facessit rerum minutarum procreatio, valde vana est, ut supra dictum fuit. Præterea Deus in hac opinione non solvitur omni cura: invigilare quippe debet ne natura genitrix in vitia incurrat graviora; oportet eum corrigere & emendare, quæ quandoque prave operatur natura hæc. Uno verbo docent hujus sententiæ patroni sublimiori quadam providentia regi & gubernari naturam hanc; quia ita constituta est, ut cum judicio & consilio nihil agere possit. 2. ratio ex tarditate operationum naturalium vana quoque est: nam etsi Deus operaretur immediate, posset sine dubio efficere propter sapientissimas causas, ut naturales operationes tarde conficerentur; neque, quia habet ille infinitam potentiam, ullo modo sequitur teneri eum momentanea actione ad perfectum statum rem quamque adducere: 3. Tandem ratio levis est. Nam si Deus semper videt, quid agat hæc natura, si actiones ejus moderetur; si cavet ne desciscat a norma; si denique corrigit opera ejus; quæ omnia admittuntur a defensoribus hujus sententiæ: certe rerum omnium, quas hæc natura peragit, causa & ratio ad ipsum Deum postremo referenda erit. Isne Dominus, qui servum nunquam ex oculis dimittit, modumque ponit laboribus ejus, reus esse non videbitur vitiorum, quibus hic sese astringit?

5. Nos tandem existimamus cum multis gravissimis viris: 1. Nullas esse causas mechanicas seu causas secundas proprie dictas; si per illas intelligas vires aliquas insitas in materia, quia harum omnium virium incapacem esse materiam, nec per se legibus parere, jam probavimus: nullas igitur alias causas secundas vel mechanicas esse, quam vim divinam, quæ materiam immediate cietratione constanti & invariabili juxta ratas & fixas leges: solas substantias spiritales vi motrice donari posse aut legibus parere. 2. Putamus illas vires, earumque leges, quas Deus corporum motibus vel spirituum cogitationibus fixit, non leviter vel temere turbari: attamen quia mundus corporeus cum morali conjunctus est, ita ut efficiatur unum systema, & attemperandus sit naturæ corporeæ cursus creaturarum liberarum meritis; solas vires motrices fixas & invariabiles nullo modo sufficere arbitramur propter rationes modo expositas: adeoque Deum vel per se vel per alia agentia libera intervenire, vires illas motrices sæpius dirigere, quandoque suspendere; sed tamen juxta leges æque constantes ac sunt illæ, quibus reguntur vires.

res mechanicæ: quas si sciremus, varii eventus etiam illi qui prodigiosi habentur, non majorem haberent admirabilitatem, quam cursus solis atque astrorum aut suspensio virium mechanicarum, v. g. gravitatis, ex viribus humanis. Nulla alia philosophandi ratione in tuto consistere religionem existimamus, quæ omnis posita est in divinæ providentiæ nobis semper invigilantis, rationem habentis meritorum & vota recte supplicantium exaudientis, sensu & persuasione.



RELI-

RELIGIONIS NATURALIS PRINCIPIA.

PARS SECUNDA.

ETHICES ELEMENTA.

ETHICA sive *moralis* disciplina a *moribus*, quos dirigit & fingit ad honestatem, nomen accepit. Sunt autem *mores* propensiones quædam in bonum vel malum *morale*, seu in id quod sensu interno *honestum* vel *turpe* judicamus: quæ propensiones vel nobiscum natæ sunt, vel usu ac repetitis actibus comparatæ, quæque proinde actibus humanis, sive bonis sive malis præbent originem. Unde *Ethica* definitur in scholis *scientia practica seu prudentia, quæ circa actus humanos ad honestatis regulas conformandos occupatur: sicque complectitur omnia vitæ* principia *& officia; universam Jurisprudentiam*. Nos vero, qui tertia parte de officiis speciatim & universa Jurisprudentia dicturi sumus, *Ethices* nomen strictius accipimus, vel ejus partem solum attingimus: atque hoc loco naturam & conditionem hominis explicare animus est, duabus sectionibus: in prima dicemus de natura hominis morali, & conditione, seu quod eodem redit, de actionum humanarum principiis internis, finibus seu principiis externis, qualitatibus, imputabilitate, æstimatione, &c. ex qua disquisitione constabit homini imputari posse actiones suas ad laudem vel ad culpam, ad præmium vel ad pœnam; & consequenter hominem natura patientem esse moralis imperii, immo conveniens esse ut imperio morali pareat. In secunda differemus de actionum humanarum regulis, & speciatim de legis naturalis in omnes homines diffusione, authoritate divina & immutabili, ejusdemque sanctione per præmia & pœnas in hac atque futura vita, ex quibus evidens erit hominem revera vivere sub morali Dei imperio. Sicque posita erunt principia, ex quibus derivata fluent omnia erga Deum, seipsum & alios officia, quæ tertia parte evolvemus.

ETHICES ELEMENTA.

SECTIO PRIMA.

De Actibus humanis.

ACTUS HUMANI, qui legum sunt objectum & materia officiorum *ii dicuntur, qui oriuntur a principiis homini proprii s, intellectu, voluntate & libertate: seu qui fiunt ab homine cum deliberatione ob finem aliquem: seu qui dici possunt moraliter boni vel mali: seu qui imputari possunt ad laudem vel ad vituperium, ad præmium vel ad pœnam: seu qui possunt subjici legibus & de quibus ratio exigi potest*. Adeoque actiones puerorum, vel amentium, vel non cogitantium humanæ non sunt, sed in scholis vocantur *actiones hominis*. At sub actione humana comprehenditur ejus omissio:

missio: non enim quis dicitur agere modo humano & morali solummodo, quando positive aliquid præstat prædicto modo; verum etiam quando id quod sui erat officii negligit.

Ex prædicta actionis humanæ descriptione patet dicendum esse nobis hoc loco primo de hominis natura & statu, seu principiis internis actionum humanarum *intellectu*, & *voluntate*, & *libertate*. 2. De finibus actionum humanarum, qui dicuntur principia externa; & præsertim de *fine ultimo* seu *summo bono*. 3. De qualitatibus actionum humanarum *bonitate* scilicet & *malitia*. 4. De actionum humanarum *imputabilitate* & earumdem *æstimatione*.

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura Hominis.

Seu

De principiis actuum humanorum internis.

OMnis olim Stoicorum Philosophia moralis his duabus sententiis continebatur: NOSCE TEIPSUM, SEQUERE NATURAM. Et revera necesse est, ut cuique animanti vitæ dux sit propria natura; neque ullum esse potest officium, quod non proficiscatur a commendatione naturæ. Ante omnia igitur oportet unumquemque sese perspicere, totumque tentare, ut intelligat quemadmodum in vitam ornatus venerit, quanta habeat instrumenta ad adipiscendam sapientiam & felicitatem, quam personam imposuerit natura.

Cum unusquisque facultatum atque virium suarum conscientiam habeat, & melius suam naturam meditatione perspicere possit, quam ex aliorum doctrina intelligere, si vellent omnes sese explorare, supervacaneum foret in naturæ descriptione immorari: sed quoniam plerumque absunt magis homines a seipsis quam a qualibet alia re; ideo ostendendas esse illas quibus constant partes & excitandam animi animadversionem duxerunt Philosophi morales. Eos imitati brevem & nos descriptionem trademus.

Qui sese tentaverit intelliget 1. in se conjunctas esse, & quadam societate copulatas substantias duas valde dissimilis naturæ, corpus & animum, quarum utraque suas habet vires, sua bona, suaque mala.

Corporis partes cognitionem habent faciliorem, Physicis propriam: nos solummodo obiter hic observabimus, illud ita formatum esse, ut longe aliorum animalium corporibus antecellat: non solum enim sensuum organis, partibusque ad conservationem cujusque individui, & generis, aptissimis instructum est; verum etiam iis solertissime fabricatis, ut mentis imperiis infinitis exequendis commodissime inserviant. Non prætereunda est forma ad dignitatem erecta & contemplationi rerum idonea; membrorum motus facillimi & celeres; tot artium ministræ manus; vultusque ad omnium animi motuum indicia exhibenda flexibilis; quæque ad vocis variæ & orationis usum in corpore machinata est natura: quæ omnia fusius prosequuntur Anatomici, & nos supra attigimus. At quamvis cæteris animantium corporibus tantis dotibus præstet corpus humanum, est tamen iisdem motus legibus subjectum, quibus parent cætera omnia. Habet cum cæteris corporibus organicis hoc commune, quod ex semine oriundum, nutritione intus suscepta augeatur, & vigeat: est etiam morbis & interitui obnoxium: ideo ad ejus conservationem conquirenda multa sunt, pastus quo alatur idoneus, habitatio qua injuriæ tempestatum arceantur, vestes quibus ab aeris inclementia protegatur: atque propterea in tutelam datum est animo sagaci & provido, qui altera pars est hominis, eaque longe præclarior.

Animum vero in partes tres tribuere solemus: *intellectum*, quo rerum percipit differentias, comparat ideas, judicat, argumentatur & conficit: *voluntatem* seu *appetitum*, quo in res intellectas sponte propendet & naturali rapitur inclinatione: & *libertatem*, quo nomine intelligimus illam vim sese excitandi agendique, cujus unusquisque con-

scius est. Habet unaquæque facultas suam temperationem, habet & morbos suos; propria sunt unicuique munera, quæ ut appareant pauca de singulis dicenda sunt.

De intellectu.

Intellectus est animus cognoscens seu complexio omnium facultatum, quibus animus res cernit. Proinde ad illum pertinet vis percipiendi sive per *sensus*, sive per *imaginationem*, sive per *memoriam*: pertinet & vis *judicii*; qua animus res comparat, earumque convenientiam vel disconvenientiam perspicit: pertinet vis *rationis*, quæ per judiciorum seriem detegit convenientias rerum primo intuitu non perspectas.

Sensus vero alii sunt *externi*, quibus corpora eorumque qualitates apprehendimus: qui vulgo ad quinque classes revocantur. Horum objecta etiam cum non sunt præsentia sibi mens exhibere potest sub immaginibus corporeis. Quæ facultas dicitur *imaginatio*. Alii sensus *interni* sunt, quorum ope novit animus seipsum & omnia quæ apud se geruntur, ideas & sensationes suas, judicia, ratiocinia, volitiones, desideria, consilia, &c. Hanc omnem sui & suarum affectionum notitiam conservare valet, quæ facultas dicitur *memoria*. Hi sensus dici possunt *directi* & *primarii*, atque illas in singulis hominibus sic perfecit natura, ut nulla egeant cultura ad optimam suam conformationem: aut si imperfectos dederit, corrigi nullo modo aut parum possunt. Illos Physicorum considerationi & Metaphysicorum relinquimus.

At præter hos sensus alios experimur, quos *reflexos & subsequentes* dicere liceat, qui ex prioribus enasci solent, & quorum plura genera sunt, quæ hic breviter attingemus, quod contineant moralis disciplinæ fundamenta (*Hutcheson synopsis metaphysicæ & philosophiæ moralis.*). Imprimis rei fere cujusvis *novitas* menti grata est, ex quo sensu enascitur naturalis quidam impetus ad res cognoscendas aut scientiæ cupiditas. Grata item est rei cujusvis perceptæ *amplitudo*, & plurium rerum *uniformitas*, ubi simul cernitur *diversitas* & *varietas*. Grata est fere omnis *imitatio* sive in operibus artium, ut fingendi, pingendi & cœlandi, sive in motu & oratione rythmica. In ipso corporis humani statu & motu cernimus aliquid sua sponte & per se gratum, in voce & in gestu, in incessu & in exercitationibus, quibus oblectationis causa utimur. Lætissimus etiam sensus comitatur rerum *cognitionem & scientiam*, neque sine jucunditate observantur omnia, quæ *solerter* sive *artificiose* sunt in certos usus fabricata, etiam ubi nullam speramus ex his rebus utilitatem. Sed veniamus ad illos sensus qui circa mores hominum versantur, eosque fingunt & regunt.

Hisce sensibus reflexis annumerandus est ille, qui latine *communis* dicitur & est quædam sympathia, qua ex alterius rebus prosperis gaudium; ex adversis tristitiam colligimus. Mira etiam naturæ nostræ fabrica, plerique aliorum hominum affectus & sensus contagione quadam similes in nobis excitare solet sensus & affectus, etiam ubi nulla suæ conditionis ratio habetur; unde fit ut nemo satis beatus esse possit, ex eo solo quod sibi suppetant omnia ad vitæ copiam & jucunditatem; sed necesse est ut suppetant etiam iis qui sibi chari sunt: mira hac naturæ vi efficitur, ut vix ullæ sint voluptates, quæ consortio aliorum non plurimum augeantur, vixque quidquam gratum est vel lætum, vel facetum, quod non ex pectore exardescat, ebulliat, atque inter alios prorumpere gestiat: neque quidquam homini gravius aut tristius, quam aliorum præcipue immerentium spectare ærumnas, dolores, mœrores, miseriam. Hujus sensus infiniti gradus sunt pro majori vel minori cum aliis propinquitate, vel amicitia, vel familiaritate: atque illo omnes omnino copulantur aliquatenus & sibi invicem conciliantur.

Verum horum sensuum reflexorum præcipuus est ille *decori* & *honesti*, qui quasi pro tribunali sedens exercet judicium in omnia quæ agunt homines; in omnes

omnes animi & corporis voluptates, in sententias, actiones, vota, consilia, affectus; decernens quid pulchrum, quid deceat, quid honestum, quis in quoque sit modus. Huic sensui omnis fere, quæ cum belluis nobis communes sunt, voluptates viles videntur; quæ vero agendi consilia produnt ingenium sublimius vel benignam indolem; præcipue vero quæ stabilem & constantem voluntatem benefaciendi, & de aliis bene merendi ostendunt, omnium movent animos ipsa eorum honestate; eique cui insunt lætissima sunt & gloriosa, cum eorum revocat memoriam. Innatam esse hanc menti vim, neque propter ullam suam utilitatem aut voluptatem, suas aliorumve actiones eomprobari, ex eo constat, quod quisque honestiora sua erga alios censeat officia, quo majori cum periculo suo aut damno fuerint conjuncta, quoque minus ad nominis sui celebritatem fuerant destinata; quodque aliorum actiones honestas, de quibus legimus & audivimus in sæculis licet prioribus pariter ac præsentes laudemus: immo virtutem, fidem, patriæ suæ caritatem, nobis damnosam, vel in hoste, comprobemus. Quæ hoc sensu probantur *recta* dicuntur & *pulchra virtutumque* nomine appellantur: quæ damnantur, *fœda* dicuntur aut *turpia* aut *vitiosa*.

Huic sensui decori & honesti affinis est suavissimus ille sensus *laudis & honoris*, cum intelligimus consilia nostra & actiones sententiis bonorum hominum comprobari: cui contrarius est molestissimus *vituperii* sensus, si actiones nostræ vel consilia aliorum suffragiis damnentur. Hisce sensibus commoventur etiam illi qui nullam aliam ex hominum comprobatione sperant utilitatem, neque ex censura incommodum: immo de fama superstite solliciti sunt homines jamjam morituri, non minus quam qui vitam sperant diuturnam. Hunc sensum e natura datum esse satis docet ille animi motus naturalis, qui *pudor* aut *verecundia* dicitur, vultus rubore se prodens; quem non virtutis solum verum omnis decentiæ custodem cernimus, humiliorumque appetituum vigilem moderatorem.

Cum autem sensuum horum ope quædam venusta, gloriosa, veneranda appareant, alia vilia videantur, & despicienda, sensum alium reflexum cernere licet eorum, quæ *ridicula* sunt aut risum movere idonea; ubi scilicet eadem res simul excitat contrarias has sensationes. Sic quando agitur de hominum consiliis & actionibus, quia in ipso hominis nomine inest dignitas quædam ex prudentia & solertiæ opinione, risum movent errores leviores, qui commiserationem non valent excitare. Aliarum rerum istæ risum movent, quæ simul speciem quamdam præclaram exhibent, una cum specie opposita, scilicet humili & despicienda. Non exiguum habet hic sensus usum sive ad sermonis voluptatem augendam, sive ad mores hominum emendandos.

Hanc partem naturæ, quæ *moralis* dici potest, non ita perfecit natura, ut sensus externos. Sunt quidem hi sensus reflexi initia quædam & quasi elementa omnium virtutum, quæ si natura non tantum inchoasset, sed confirmavisset in animis, nulla alium ducem desideraremus ad perfectam vitam: sed parva hæc virtutum semina sæpe pravis moribus aut perversis consuetudinibus præfocantur & magistra opinione discimus pretia rebus male imponere. At studio & doctrina hi sensus si sopiti sint, possunt excitari; si parum vividi, confirmari queunt & intendi; cum ita nata sint corpus & mens, ut omnes eorum vires *consuetudine* & *exercitatione* perficiantur & *habituum* rationem acquirant.

Ex hisce sensibus seu directis seu reflexis acquirit mens omnem suppellectilem idearum, in quibus comparandis ad earum deprehendendam convenientiam vel disconvenientiam, *judicii*, & *rationis* vis tota posita est: hæc facultas primas intelligentias & doctrinæ semina in sensibus sita evolvit, peperitque omnes scientias; Arythmeticam ex comparatione numerorum; Geometriam ex comparatione figurarum; Physicam ex

comparatione effectuum naturalium cum viribus materiæ & legibus motus; Scientiam vero moralem ex comparatione actionum humanarum, vel cum sensibus naturæ nostræ insitis, vel cum finibus, quos illi sensus naturales prosequendos esse indicant.

Idearum convenientia vel disconvenientia quandoque *immediata* & *intuitiva* visione apprehenditur, ut in primis principiis quæ *axiomata* vocantur & omnem probationem respuunt. Quandoque duarum idearum convenientia, quæ intuitive non perspicitur, mediæ alicujus ideæ assumptione cum qua utraque comparatur, detegi potest & demonstrari '. Quandoque idearum convenientia arte nulla detegitur: sic Geometræ nequeunt invenire rationem circulum inter & quadratum: sic in moralibus sæpius determinare non possumus, an aliqua actio aut ejus omissio magis conferat vel ad privatam agentis, vel ad societatis publicam felicitatem. Quandoque rationes plures & graviores unum suadent, suntque tamen quædam pro parte contraria; tuncque sententia *probabilis* est: verisimilitudinis autem gradus sunt innumeri.

Manifestum est hanc vim judicii & rationis ex nulla parte liberam esse, sed nos ad judicandum determinari ex naturæ nostræ constitutione & rerum naturis. Adeoque non alia ratione judicia penes nos sunt, quam quod in nostra potestate sit mentis aciem in hanc aut illam partem convertere atque utramque sedulo examinare: sed cum serio argumentis evidentibus animum advertimus, eaque intelligimus, cohibere assensum non possumus; aut si argumenta tantum sunt probabilia eam partem quam confirmant esse verisimilem etiam inviti percipimus. Cum restet tamen hæc suspicio contra rationes, quæ tantum sunt probabiles, quod aliæ in contrariam partem existere possunt probabiliores, penes nos est plenum mentis assensum huic parti denegare atque ab agendo abstinere, nisi quædam incumbat agendi necessitas.

Hæc de variis intellectus partibus observanda duximus, quorum usus in sequentibus patebit: at non sunt hic omittendæ scholæ divisiones a cujus sermone recedendum nobis non est.

Dividitur vulgo *intellectus moralis* in partes duas: *synderesim* & *conscientiam*. Synderesis est primorum bene vivendi principiorum cognitio: sic dicta a voce græca, quæ significat conservare, quod hæc prima principia semper in mente conserventur, nec improbissimi illa possint exuere. Conscientia vero est judicium actuale practicum dictans quid in particulari agendum sit aut omittendum; quidve fieri aut omitti debuisset. Hinc vel est *antecedens*, ubi de agendo deliberatur: vel *consequens*, ubi de præteritis est judicium.

Conscientia dividi solet ratione sui in *præcipientem*, quæ jubet aut vetat; *consulentem*, quæ solum adhortatur; & *permittentem*. Ratione objecti, in *rectam* & *erroneam*. Ratione assensus, in *certam*, *probabilem*, & *dubiam*. Dividitur etiam in *scrupulosam*, cui levissimæ rationes formidinem incutiunt; & *latam* seu *laxam*, quam graviores rationes non satis movent. Hæ divisiones ampliori explicatione indigere non videntur & alius erit de iis dicendi locus, ubi agemus de imputabilitate actionum, quæ fiunt ex conscientia erronea vel dubia, &c.

Intellectus vitia sunt *ignorantia* & *error*. Ignorantia est defectus scientiæ & si in rebus naturalibus sit, *physica* appellatur; si vero mores respicit, *moralis* dicitur. Hæc ratione subjecti, vel est *invincibilis*, quæ adhibita morali diligentia vinci non potest, vel est *vincibilis* quam moralis diligentia superaret. Hæc rursum vel est *affectata*, cum quis non vult intelligere ut bene agat, sed affectat nescire id quod scire tenetur: vel est *crassa* seu *supina*, cum quis licet non affectet ignorantiam, tamen non adhibet debitam diligentiam, ut illam excutiat. Ignorantia ratione objecti dividitur in ignorantiam *juris* qua ignoratur lex aliquid jubens aut vetans: & igno-

ignorantiam *facti*, qua ignoratur factum aliquod. Ignorantia ratione principii ex quo oritur, vel est ignorantia *puræ privationis*, ut cum oritur ex aliqua oblivione, vel præjudicio, vel ingenii hebetudine: vel est ignorantia *pravæ dispositionis* cum oritur ex pravo voluntatis habitu. Ignorantia in ordine ad actiones dividitur in *antecedentem*, *consequentem* & *concomitantem*. *Antecedens* ea est, quæ præcedit omnem attentionem intellectus & consensum voluntatis; adeo ut dici possit causa actionis privativa, quatenus scilicet privat cognitione, quæ si adesset, actionem impediret: hæc uti explicatur a scholasticis eadem esse videtur cum ignorantia invincibili. Ignorantia *consequens* ea dicitur, quam potuimus & debuimus removere & dicitur consequens, quia sequitur actum voluntatis saltem virtualem: unde eadem videtur cum ignorantia vincibili. Ignorantia *concomitans* ea dicitur, quæ actionem concomitatur, non tamen ejus causa existit: ut cum quis inimicum suum interficit, feram esse arbitratus, & facto lætatur, illudque sciens admisisset. Tandem ignorantia dividitur in *essentialem* & *accidentalem*: ignorantia *essentialis* illa est, quæ afficit ipsam actionis substantiam sine qua actio non existeret; *accidentalis* ea est, quæ non afficit rei substantiam nec causa rei censetur: ut si quis ex insidiis Petrum occidit, volens occidere Paulum.

Error easdem habet divisiones.

Quamvis ignorantiæ & errori ex judicii præcipitatione vel defectu attentionis intellectus obnoxius sit; tamen est per se naturaliter rectus & ratio est vitæ humanæ regula, ad quam omnes componendi sunt animi motus & externi actus: est in homine quod in navi acus nautica, quæ ubi tranquilla est, nec turbulentis motibus agitata, indicat quo flectendus sit cursus.

De voluntate seu appetitu.

Voluntas sumpta pro appetitu significat illos omnes animi motus, quibus in res fertur vel impellitur ad agendum: est animus propendens seu cupiens seu appetens. Cum sensibus omnibus sua sint objecta grata, hinc nullus omnino est, cui non sit conjunctus naturæ constitutione suus appetitus; appetimus res quæ gratæ sunt sensibus externis; appetimus etiam res gratas sensibus interioribus; uno verbo propendemus in id omne quod intellectus exhibet ut jucundum, vel honestum, vel utile; & ubi bona sunt cum malis commixta aut bona sunt inæqualia, inclinat voluntas ad ea quæ plura sunt aut præpollentiora. Harum propensionum aliæ, quæ sunt omnibus hominibus communes, & semper vigent, vocantur *instinctus* naturales: aliæ quæ non sunt adeo communes aut in diversis hominibus variæ sunt, dicuntur *inclinationes* si sint tranquillæ; si sint turbulentæ & conjunctæ cum motu in corpore, sunt *passiones* proprie dictæ.

In voluntate distingui solet appetitus duplex, alter *rationalis*, alter *sensitivus*. Appetitus rationalis is est, qui rationem in consilium advocat, constanterque prosequitur ea, quæ consideratis omnibus adjunctis, præstantiora judicantur. Hujus motus dici solent inclinationes & sunt tranquilla Appetitio seu desiderium boni adipiscendi & fuga seu aversatio mali depellendi. Quibus adjungi possunt *gaudium*, ubi bonum contigit aut malum est depulsum; & *tristitia*, ubi malum premit aut bonum amissum est. Sed nobis potius *sensus* videntur gaudium & tristitia, quam *impulsiones* ad agendum seu appetitus.

Appetitus vero sensitivus is est, quo quis cæco quodam impetu & perturbato animi motu fertur in voluptatem, vel ad bona quædam præsertim sensibilia adipiscenda aut mala declinanda. Hujus appetitus motus, qui passiones dicuntur, reducebant veteres ad *cupiditatem* & *iracundiam*, hincque extitit divisio appetitus in *concupiscibilem* & *irascibilem*: varias passionum divisiones videre licet apud Sanctum Thomam in 1.

2. quæs

2. quas hic prosequi nimis longum foret.

Horum omnium motuum nobilitas pendet ex sensu quo excitantur: adeoque cum sensus corporei, quos habemus cum animantibus communes, omnium sint maxime viles; cupiditates hisce respondentes omnium sunt magis abjectae & ad inferiorem partem animae revocantur: sensus vero omnium nobilissimus cum sit ille *decori & honesti*, sequitur motus hoc sensu provocatos esse omnium maxime excellentes.

Ac quemadmodum sensus alii sunt, qui propriam utilitatem spectant, alii publicam seu alienam, sic motus sunt animorum quorum alii propriam voluptatem & felicitatem prosequuntur, alii sunt pure gratuiti. Ubi enim nulla commovemur invidia aut ira, vel nulla cernitur inter alienam & nostram felicitatem oppositio, ex sensu communi seu naturali sympathia oritur universalis benevolentia, quae sine discrimine omnium felicitatem appetit: sic quoque tranquillis affectibus appetimus prosperitatem patriae, amicorum, cognatorum & virorum quorumvis bonorum. Habemus etiam ejusdem generis voluntatis motus perturbatos, quorum quidam nostram insequuntur voluptatem, quidam alienam: sic sponte sua beneficia accepta naturaliter excipit grati animi sensus & vehementior motus benignus erga benefactorem: sic praeclarae in aliis virtutes animos nostros incendunt affectu saepe perturbato & acri studio viros hisce virtutibus ornatos ad altiores dignitates provehendi: sic naturali indignatione commovemur adversus eos qui aliis immerentibus inferunt injuriam. Hos autem animi motus benignos sponte sua in animis excitari neque nostram aliquam utilitatem, ultimo spectare, inveniet quisquis suos affectus diligentius exploraverit, vel qui clarorum virorum proposita & facta perspexerit, morientium sanctissima officia, mortes pro amicis & pro patria voluntarias: haec juxta *Ciceronem* indicant innatam esse homini probitatem & bonitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus, nec praemiorum mercedibus evocatam. Adeoque vane philosophari videntur quotquot ad philautiam, id est, sui amorem omnes affectiones revocare voluerunt (*Vide Hutcheson de natura & usu passionum*.).

Manifestum est voluntatis temperationem pendere ex temperatione intellectus, tuncque perfectam esse, cum rectam rationem neque temere praecurrit neque ignave deserit.

De libertate.

Si menti humanae nulla alia insita esset vis praeter facultates quodammodo passivas intelligendi & appetendi; cum neque judicia sint libera nec appetitiones arbitrariae, manifestum est hominem nullo modo futurum Dominum suarum actionum. Ut autem harum ratio ab eo exigi possit, vel ut sui actus illi imputari possint ad laudem vel ad vituperium, ad praemium vel ad poenam, necesse est ut alia vi gaudeat sui determinatrice & independenti ab omni causa a se ipsa distincta, aut etiam ab omni motivo exterius aut indeliberate adveniente & impellente, quam facultatem, *libertatem* dicimus vel *arbitrium*.

Libertas vero hujusmodi duplex distinguitur, alia *contrarietatis*, qua est sui vis determinatrix, qua ad hoc vel oppositum cogitandum, vel volendum, vel agendum se movere quis possit; ut si quis possit de morte vel vita cogitare, mortem vel vitam appetere, mortem sibi inferre vel vitae subsidia arripere. Alia est *contradictionis*, quae est vis sui determinatrix, qua ad cogitandum vel non cogitandum, ad volendum vel ad non volendum, ad agendum vel non agendum se determinare quis possit.

Quantum & quomodo haec vis sui determinatrix ad humanam mentem pertineat non consentiunt philosophi & theologi. 1. Illam omnino sustulerunt, quotquot docuerunt res humanas ineluctabili fato constrictas esse, sive illud fatum ortum sit ex mechanica constitutione rerum,

rum, sive ex siderum tactu vel affectione, sive ex mali cujusdam principii vi, sive tandem ex decretis Dei necessario prædeterminantibus. Cum quibus etiam recensendi illi sunt, qui rejecta omni necessitate extrinsecus adveniente seu coactione, aliam induxerunt interiorem & rationalem. Hi existimant nullam esse actionem humanam, quæ non habuerit antecessiones in animo plane necessarias & continuatione seu serie causarum inter se connexarum non contigerit: videlicet putant unumquemque nostrum certam & determinatam indolem a natura accepisse; juxta hanc indolem affectiones varias excitari ab illis boni & mali speciebus, quæ menti occurrunt, idque juxta fixas & ratas leges: judicia etiam & opiniones secundum oblata boni & mali indicia pro varia mentis sagacitate semper formari: Tandem volitiones & actiones ex his animi judiciis & affectibus semper & necessario profluere. Adeoque causas illas dicunt liberas, quæ agere possunt quod volunt, & abstinere ab iis quæ nolunt, utcumque ad volendum aut nolendum motæ erant. In hac opinione nostris temporibus fuere multi philosophi *Hobbius*, *Leibnitzius*, *Baylius*, *Collinsius* & alii. Hæc sententia vulgo tribuitur Stoicis & revera eorum omnium fuit qui *Cleanthem* sequebantur; at patet ex Ciceronis libro de fato *Chrysippum* cum omnibus suis cum fato, per quod intelligebant Dei providentiam, libertatem conjunxisse: causas vero fatales dicebant *adjuvantes* tantum, non *perfectas* aut *principales*.

2. Alii vero sic explicant naturam libertatis. Censent primo, intellectum & voluntatem in propriis suis operationibus, seu potius passionibus, non pendere a libertate: nimirum liberum non esse homini hoc vel illo modo apprehendere; hoc vel illo modo propendere; vel hoc vel illo modo agere. Non potest non intelligere, ubi obversantur ideæ; neque non propendere, ubi obversatur menti boni species; neque non agere post determinationem intellectus & voluntatis, seu postquam judicium ultimum practicum, uti vocatur, latum est: videtur certe noxia futura in hac parte libertas; neque omnino intelligitur, quomodo apertis oculis liceat non cernere; aut proposita felicitate liceat non appetere; aut re aliqua prorsus bona & arripienda judicata liceat non agere. Secundo docent nullam esse unquam in animo æquilibrii indifferentiam, neque unquam quidquam ab homine fieri, cujus præparationes seu prædeterminationes in intellectu vel in voluntate non sint. Sed tertio illæ prædeterminationes non sunt *necessitantes*, sed *inclinantes tantum*, neque tanta est earum vis, ut actus necessario sequatur, quia quamdiu homo sui compos est, quamvis vehementissime vel intellectus judicio, vel appetitu inclinetur, tamen semper aliqua ratio cohibendi actum existit, ubi evidenter bonus non est, donec attentius examinaverit cujus naturæ judicium mentis sit, an rectum an falsum, vel cujus generis appetitus sint; vel quænam esse poterint actionis suæ consequentiæ. Adeoque libertas juxta hanc sententiam posita videtur in *facultate deliberandi*.

3. Alii vero statuunt primo, intellectum, id est, sensus naturales & judicia non pendere a libertate: insitas quoque esse naturæ hominum in res aliquas propensiones quas pro arbitrio immutare non possumus; sicut & augere non possumus illud quod habemus a natura in corpus nostrum dominium. Sed secundo, asserunt circa multas res existere in mente æquilibrii indifferentiam, aut saltem multa ab homine cogitari, optari & agi ex arbitrio sine ullis proprie dictis prædeterminationibus seu rationis seu appetitus. Hincque consequenter asserunt tertio, in mente esse vim vero & proprio sensu sui ipsius determinatricem, quæ neque ab intellectu neque ab appetitu, neque a bonitate objectorum, neque a molestia aliqua insensibili, ut aliqui loquuntur (*Locke*), determinatur: sed sibi ipsi agendi motiva creat & in-

& intellectu utatur tanquam face, ut possibilia actu ab impossibilibus discernat; utatur etiam sensibus tanquam exploratoribus, ut rerum naturam pervideat. Hujus facultatis exercitium ita gratum esse docent, ut res maxime indifferentes, sola electione, gratæ efficiantur; sicuti enim terra nullius est natura, cedit vero in jus occupantis, atque ex ipsa occupatione jus oritur; haud secus arbitrium res eligendo eas quasi occupando facit suas & sibi convenientes & gratas; rerum vero quæ naturaliter gratæ sunt congruitatem intendat & augeat, atque rerum natura ingratarum molestiam minuat: Hincque existere optimum & excellentissimum naturæ munus ac felicitatis ferme omnis principium, cujus ope in omni plane re voluptatem quærere & invenire possumus, atque cum ex fortunæ casibus spe & expectationibus nostris decidimus, nova studia, non minus propter electionem & voluntarium desiderium jucunda capere possumus. Clarior evadet hujus sententiæ intelligentia ex subsequenti illius desensione (Vide King. de origine mali.).

PROPOSITIO.

Est in homine arbitrium seu vis vero & proprio sensu sui determinatrix.

PROBATIO.

Argumentum primum ex conscientia. Experitur unusquisque posse se pro arbitrio animum suum ad cujuscumque rei, quæ sub suam notitiam cadit, considerationem convertere excitare etiam in se cujuscumque rei, quæ speciem boni habet actualem appetitionem; imperare in corpore quoscumque motus ad quos dominium animi in corpus sese extendit. Hocque facere potest nullo alio adductus motivo quam ut experimentum capiat propriæ libertatis; proindeque ex motivo, quod sibi fingit mens, & nullo modo naturali & antecedenti. Si quis hoc neget generis humani testimonio mendacii convincitur. Et certe omnium hominum authoritas infinite major est in re facti, quæ obvia est & nativa menti, quam paucorum hominum ingeniosorum, qui argutiis ipsis suis occæcati & irretiti decreverunt verbis negare quod factis sentire se solent ostendere. Sed fortasse meliorem rationem conscientia desideras cum Spinosa? id est, certior esse vis te esse liberum, quam te esse intelligentem, aut te omnino existere. Quo enim argumento alio quam conscientia, existentiæ suæ quisquam certus esse potest?

At, inquies, multa plebis captum fugiunt, tum in natura, tum in homine; adeoque fieri potest, ut homines semper inclinentur aliquibus motivis *insensibilibus*, quæ non percipiuntur. Verum hoc satis male in præsenti re observatur: nam populum testem non appellamus de re non percepta, sed ad testandum id quod singulis momentis revera experitur, videlicet, activitatem suam: & præterea nullo modo intelligitur quomodo illa motiva si sint *insensibilia* inclinare mentem possint, nam earum rerum quæ non apparent & earum quæ non sunt, idem est judicium; ideoque dum conceditur motiva illa non esse sensibilia, conceditur quoque mentem nullis perceptis motivis, nisi quæ sibi ipsi finxit, inclinare sese. Et certe negari non potest quin habeamus ideam libertatis,& idea hæc diffusa sit in omnium hominum animis, sed unde orta est idea hæc, nisi ex conscientia libertatis? admirabilis quædam res esset. si causæ necessariæ suaderent non omnes causas esse necessarias, aut si ex necessariis inclinationibus nasceretur sensus libertatis.

Argumentum secundum, ex sensibus conjunctis cum exercitio libertatis. Sensus sive qui præcedunt, sive qui actiones humanas subsequuntur, efficiunt nos esse liberos: nam primo huic facultati inter omnes alias hoc peculiare est, quod illam me habere sciam ante experimentum & conscius hujus vis possum in antecessum prædicere quid ipse facturus sim,

non

non tantum proximo momento, sed die vel anno proximo, & totius vitæ rationem instituere. Quinimmo etiam causas occasionales futurarum mearum actionum plane arbitrarias statuere possum. Hi sensus, hæc præscientia & arbitraria prædeterminatio sat bene consentiunt cum libertate, cum necessitate nullo modo.

Deinde huic facultati proprium est ut ea quæ ab ipsa imperantur, sive sint cogitationes, sive propensiones, sive actiones externæ, pro suis habeat, illaque sibi imputet: non aliam ob causam in bene actis nos ipsos approbamus & laude dignos putamus, in male actis nosmetipsos damnamus: dum eadem illa si a nobis perficerentur involuntario aut sine imperio nostræ libertatis, hosce sensus non haberemus. Sic si aliquod malum negligentia & culpa nostra accersamus, multo magis torquet & diutius ejus memoria molesta est, quam idem illud malum aut majus si in illud casu incidissemus. Atque vel natura nostra in hac parte vana est, dum nobis imputat ea quorum non sumus causæ, vel revera sumus causæ & effectores illarum actionum. Prius ponere, est pervertere omnem philosophiam & in Pyrrhonis præcepta delabi.

Argumentum tertium ex oppositione libertatis & motivorum naturalium. Experimur nos posse judiciis nostris, appetitibus & omnibus naturalibus motivis vi sola electionis seu arbitrio obsistere ac nulla sequi motiva nisi arbitraria & quæ ipsi finximus. Quod ad appetitus naturales attinet, qui hoc in se expertus non est? Cui non contigit molesta & appetitibus naturalibus contraria sponte tolerare? Idque tam alacriter, ut ipse dolor ex vi allata appetitibus gratus quodammodo factus sit, qui seposita electione fuisset molestissimus. Unde certissime constat cum electionibus nostris seu arbitrii usu conjunctam esse voluptatem, quæ suspendat molestiam ortam ex appetituum frustratione & illam quandoque vincat. Immo obstinata electione appetitus naturales pervertere possumus & efficere, ut ea prosequantur quæ naturaliter fugiunt; fugiant vero quæ natura appetunt; ut illi certe barbari fecerunt, qui perpetuo occupati in bello vicinis inferendo captivis vescuntur: nam natura ad pericula perpetua, ad crudelitatem, ad tales cibos non inclinavit, hæc ab illis non fierent, nisi aliter sibi possent placere, quam ex rerum congruentia cum naturalibus appetitibus, aut nisi esset in nobis arbitrium cujus vi naturam ipsam vincamus.

Deinde ipsi etiam rationi hac vi contradicere nos posse quotidiana docet experientia, & dolendum est nos tot exemplis id probare posse. Immo tantum esse videtur dominium arbitrii in intellectum, ut ejus vi quodammodo subactus non solum bona pro malis, sed etiam falsa pro veris admittere quandoque cogatur: nam arbitrium depravare potest sensus, præcipue interiores illos, in quibus posita est moralis disciplina: sicut enim ea quæ gustui primum insuavia & amara fuerunt, ex usu fiunt gratissima; sic illis quoque sensibus, quibus rectum & honestum cernere deberemus, ea, quæ revera deformia sunt & contemptibilia, pulchra & admirabilia apparent.

Sed, inquies, semper aut appetitus ratione aut ratio appetitu suspenditur. Si per appetitum & rationem intelligas, motiva non naturalia sed libera, quæ mens sibi ipsa effinxerit, verum est. Si intelligas rationis judicia necessaria, vel appetitus vere naturales, falsum est. Extitit Atheus, qui ex mentis obstinatione arbitrarie perversa, cruciatus, carcerem, & mortem ipsam ferre voluit potius quam ejurare sententiam, quam temere elegisset; adeoque amicorum preces, charorum consilia, mentis propriæ dictamina, tormenta, mortem, divinam iracundiam & futura post mortem supplicia, quorum omnis præsensio exui non potest; omnia denique quæ bona sunt floccifecit, pro opinione quæ seposita bonitate, quam ex electione libera habebat, nullum in se continebat bonum naturale. Has tam absurdas electiones explicare frustra conati sunt ad-

ersarii libertatis, videlicet primo ex erroribus *necessariis* intellectus, quæ via tollit omnem ab illis electionibus pravitatem; & præterea hoc sine ullo fundamento asseritur quod error Athei sit necessarius: Secundo ex *pertinacia* mentis; sed quid aliud est pertinacia, quam electio prava & perseverans? Tertio ex vi *passionum* præsertim ex desiderio laudis & gloriæ, sed hæc motiva vim suam tantam non accipiunt a natura sed ab arbitrio.

4. Ex absurdis contrariæ sententiæ. Primo, ex contraria opinione sequitur nihil in rerum natura aliter fieri potuisse, quam fit: creationem rerum necessariam fuisse, nam iisdem principiis tollitur a Deo libertas, quibus aufertur ab homine. Secundo, omnes homines machinæ sunt rationales & omnis divini imperii virtus in omnipotentia sita est: nullus locus relinquitur in regimine divino sanctitati, justitiæ, cæterisque attributis moralibus. Tertio, omnis distinctio inter malum naturale & morale evanescit: scelera humanæ vitæ miseriæ sunt & infortunia, non culpæ. Quarto, homines maleficii puniuntur sicut bruta animalia, non quia merentur pœnas, sed quia eorum supplicia terrorem aliis incutiunt, quo a similibus criminibus avocantur. Quinto ideo tantum tenemur beneficia rependere, quia gratias habendo augemus benefactoris erga nos studium; sicque nullam rationem accepti beneficii sed accipiendi habere debemus; neque tantum gratitudo sed omnis religio, fides, pietas, spes divinæ opis, cæteræ omnes virtutes nullum locum habere possunt, si omnis natura sive corporea, sive spiritualis necessitate contorqueatur.

Objicies 1. Nihil fit sine causa satis potente ad effectum producendum. Atqui causa satis potens ad producendum effectum non potest existere quin producatur effectus, neque intelligitur quomodo effectus & causa sua dividi possint.

Respondeo, nego minorem. Verum est causas necessarias nunquam carere suis effectis; sed causæ liberæ vim habent multa efficiendi, & possunt tamen illam vim non exercere. Hoc verum etiam est ubi agitur de causis immediatis & actualibus, causa actualis sine effectu suo esse non potest, sic actualis volitio semper habet effectum suum: non est verum de causis habitualibus seu de potentiis: his enim competit facilitas agendi vel non agendi, sese exerendi vel non exerendi.

Objicies 2. Nullo modo intelligitur qui possit esse electio sine motivo naturali quod sit ejus causa. Deinde si daretur talis electio, quodammodo casu & fortuna contingeret. Denique nullatenus fieri potest, ut creatura quæ per seipsam non existit, per seipsam nihilominus agere possit.

Respondeo 1. Multa nos non intelligere, quæ tamen certissime existunt, neque magis intelligi quomodo arbitrium determinatur per motivum, quam quomodo seipsum determinet (*a*). Secunda ratio divinum etiam impugnat arbitrium, quod tamen mundum creasse sine antecedente aliquo motivo indeliberato & necessario certum est, uti supra confecimus. Huic ergo rationi reponimus, causam liberam non fortuna & casu agere, quia scienter agit; quia agendo sibi motivum & finem agendi creat; quia agit ut experiatur facultates suas & illam jucunditatem, quæ est a Deo optimo cum actione conjuncta. Tertia ratio vana est, nam ob unam tantum causam vis sui determinatrix creaturæ tribui non posset, videlicet, quia significaret perfectionem infinitam: sed id non probatur. Non est ergo creaturæ incommunicabilis.

Objicies 3. Operationes omnes naturæ humanæ ad has quatuor reduci possunt, videlicet, *perceptiones*, *judicia*, *propensiones & actiones* ex his sequenies. Atqui in illis omnibus homo liber non est. Nam objecta percipimus, prout sese nobis

(*a*) Ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa: motus voluntarius eam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa, ejus enim rei causa, ipsa natura est. *Cic. de fato*, c. 10.

bis offerunt; prout ea percipimus, sic judicamus; prout judicamus, sic propendemus & volumus; voluntatis vero propensionem actio necessario sequitur.

Respondeo 1. nego majorem. Nam vitiosa est enumeratio virium animi. Prædictæ quippe operationes potius passiones sunt, & sunt sine dubio necessariæ; quando illis homo obnoxius est non sponte sua, aut ubi non sunt imperatæ ab arbitrio. Sed præter has passiones est in mente vis viva sese commovendi, cogitationes, propensiones & actiones imperandi.

2. Nego minorem. Nam falsum est nos objecta tantum percipere, quæ sese offerunt; nam ipsi in nobis ideas excitamus & illas varie pro arbitrio componimus. Falsum est nos judicare ex prima specie objectorum; nam sæpissime deliberamus de objectorum naturis & affectibus & pendente deliberatione varia ferimus judicia diversa. Falsum est nos velle prout judicamus; nam quotidie volumus contra clarissima judicia rationis. Falsum denique est actionem cum propensione voluntatis semper conjungi: nam contra propensionis vim ab actione sæpissime abstinemus. Sequimur quidem semper judicium ultimum practicum, sed illud nihil aliud est, quam ipsa arbitrii libera determinatio.

Ex his omnibus colligimus 1. existere arbitrii imperium in intellectum positum in eo, quod hac facultate uti possit homo tanquam face ad res cernendas; illamque in quamlibet partem convertere, & sic scienter semper agere. 2. Existere arbitrii imperium in appetitum, positum in eo, quod ex consideratione arbitraria earum rerum, quæ habent speciem boni vel mali, possit excitare vel desideria, vel aversationes. 3. Existere arbitrii imperium in membra sui corporis quæ potest movere ad has aut illas actiones, quantum patiuntur leges unionis animæ & corporis: adeoque hominem dominum esse suarum cogitationum, appetitionum & actionum. Unde sequitur hæc generalis conclusio, ad quam per explicationem naturæ humanæ contendebamus: videlicet *hominem natura patientem esse moralis imperii, seu subjici posse legibus moralibus, seu ipsi imputari posse actiones suas, earumque rationem ab eo exigi.*

Quæri solet a scholasticis an voluntas *cogi* possit? Manifestum est voluntatem sumptam pro arbitrio, seu libertate, cogi non posse: nam arbitrium & coactio duo sunt contradictoria: unum est alterius plane negatio. Consequenter omnes actus arbitrii, qui *eliciti* & *imperantes* dici solent, sunt essentialiter liberi, & hoc tantum sensu cogi potest arbitrium, quod impediri possit ejus dominium in cæteras facultates. Sic suspendi potest dominium arbitrii in corpus per vim externam: unde existit *involuntarium per vim*. Suspendi quoque potest imperium arbitrii in appetitum per magnam perturbationem; unde existit *involuntarium per concupiscentiam vel metum*. Suspendi tandem potest dominium arbitrii in intellectum per naturalem stupiditatem, vel levitatem, vel aliquam mentis avocationem; unde existit *involuntarium per ignorantiam*, Quantum imputari debeat homini ad culpam involuntarium ex diversis hisce impedimentis infra dicemus.

Observare etiam solent scholastici in omni deliberatione de re aliqua existere sex operationes animi: quarum tres spectant finem, scilicet, *amor*, *intentio & fruitio*; tres vero spectant media finem assequendi, nempe, *consensus*, *electio & usus*; de quibus fuse disputat S. Thomas in 1. 2. Horum actuum hic ordo esse dicitur in omni deliberatione. Quando objectum aliquod sub specie boni obversatur animo, statim nascitur sensus *amoris* seu complacentiæ: tum animus in illud bonum ardentius contendit, illudque efficacius prosequitur, unde existit *intentio*: deinde inquirit media ad illum intentum finem conducentia, quæ approbat per *consensum*: ex iis vero quæ utiliora sunt anteponit aliis minus aptis per *electionem*: postea vires suas adhibet ad illa media assumenda & applicanda, & est *usus*: denique in adepto fine conquiescit & est *fruitio*,

ARTICULUS SECUNDUS.

De actionum humanarum finibus.

FINIS est, quod propter se expetitur: quæ expetuntur propter alia, *media* sunt. *Finis* autem *ultimus*, is dicitur, qui omnibus aliis rebus anteponitur & ad quem reliqua ferme omnia referuntur. Ex qua definitione patet unum tantum esse posse naturæ humanæ finem ultimum, etsi plures habere possit fines non ultimos.

Bonum est, quodcumque vel sensibus gratum est, vel inservit procurandis illis rebus, quæ sunt sensibus gratæ; hincque existit divisio boni *jucundi*, *honesti* & *utilis*. *Jucunda* generatim dicuntur ea, quæ afferunt voluptatem, & propterea expetuntur: raro tamen in hac classe recensentur puriores lætitiæ ex rerum consideratione & ex virtute. *Honesta* sunt, quæ sua propria specie & dignitate animum commovent & sunt grata sensui illi morali *decori* & *honesti*. *Utilia* sunt, quæ propter alia, non propter se appetuntur. Ad quam divisionem revocari potest, illa altera bonorum divisio, in bona *corporis*, bona *animi* & bona *fortunæ*. *Summum* vero *bonum* simpliciter & absolute sic dictum, est id quo nil melius desiderari aut cogitari possit, completque omnes sensus & appetitus naturæ.

Felicitas generatim est fruitio bonorum: alia *perfecta* est, alia *imperfecta*. Imperfectæ felicitatis infiniti gradus sunt, pro bonorum numero, dignitate & diuturnitate. Perfecta vero felicitas est *status bonorum omnium aggregatione, & malorum omnium depulsione perfectus, cum summa securitate illius nunquam amittendi*. Felicitas seu perfecta, seu imperfecta, duplex distingui solet, alia *objectiva*, alia *formalis*. Felicitas objectiva est ipsum bonum cujus fruitione beati efficimur. Felicitas formalis est delectatio qua formaliter beati sumus.

In qua re posita sit summa felicitas, vel quid sit summum bonum, magna quæstio est in Philosophia morali, circa quam veterum Philosophorum summa discordia fuit, ita ut eorum omnium sententias dinumerare molestum sit. Inter eas tamen præcipuæ fuere tres.

1. Fuit *Aristippi & Epicuri*, qui summum bonum in *voluptate* posuerunt, summum malum in *dolore*. Hanc opinionem suam sic tuebantur. 1. Omne animal simul atque natum est voluptate gaudet, dolorem aspernatur & repellit quantum potest, ex quo intelligitur natura id omnibus insitum esse, ut voluptatem summum bonum putent. 2. Dicebant voluptatem esse summum bonum, dolorem summum malum ex eo intelligi, quod nil beatius esse possit eo, qui perpetuis fruatur animo & corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente; nil contra miserius eo, qui maximis confectus sit animi corporisque doloribus, nulla spe proposita fore melius aliquando, nulla neque præsente, neque expectata voluptate. 3. Quia voluptas expetitur propter se: at virtus expetenda non videretur, nisi voluptatem efficeret & esset omnium virtutum quidam ad voluptatem cursus. Hæc summa est primi libri Ciceronis de *finibus*, ubi Epicuri sententia defenditur a Torquato. Voluptatem vero in qua posita esset felicitas varie definiebant, illamque suam esse dicebant in *indolentia* corporis & animi *tranquillitate*; alii vero illam tanquam in *motu*, ut consisteret in suavi motione, veluti lætitia aut hilaritate & quacunque sensus jucunda titillatione. *Epicurus* vero priorem descriptionem probasse dicitur, quam etiam defendit *Hyeronimus Rhodius*, ideoque felicitatem sapientis stabilem esse affirmabat & præsertim in virtute sitam, *Cyrenaici* cum *Aristippo* voluptatem felicitatis effectricem in *motu* ponebant. Epicurus quoque dicere solebat, *nolumus sapientis vitam esse quasi torrentem, rapidumve flumen; at non idcirco tamen esse volumus quasi aquam restagnantem & mortuam, sed potius quasi aquam fluvii tacite placideque labentis: quare & contendimus ejus voluntatem inertem non esse, sed eam quam ratio efficit firmam sibi*. (Vide *Diog. Laert.*)

Se-

Secunda sententia *Stoicorum* est, qui nullum aliud bonum agnoscebant præter *honestatem*, & beatam vitam in *virtute* sitam esse docebant. Asserebant sapientem in paupertate divitem esse, in servitute Regem, in summis cruciatibus felicem. Ille, inquiebant, beatus est, quem nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente; sic animi quietus ac pacatus status cernitur, cum perturbatio nulla est qua moveri queat: contra illi miseri quibus motus turbulenti jactationesque animorum incitatæ & impetu inconsiderato elatæ rationem omnem repellentes, vitæ beatæ nullam partem relinquunt. Atqui virtutes, constantia, gravitas, fortitudo, sapientia efficiunt, ut is, qui eas habet, vim fortunæ & omnia humana tolerabilia ducat, neque timor eum nec angor attingat; efficiunt ut nihil concupiscat, nulla efferatur animi inani voluptate: immo rapiantur ad tortorem nullum recusant nec supplicium nec dolorem. Sic defenditur & multis aliis conquisitis argumentis Stoicorum sententia apud Ciceronem in *Tuscul. quæst.* & *libro tert. de finibus*.

Tertia sententia est *Platonicorum* & *Peripateticorum*, quos sequitur ipse Cicero *libro quint. de fin.* Illi summum bonum ponebant *in virtute simul cum prosperitate vitæ*: vel ut aliis Ciceronis verbis utar: *Finis bonorum seu summum bonum est vivere secundum naturam, sic affectum, ut optime affici possis & ad naturam accommodatissime*. Cumque in homine pars præcipua ratio sit, pars levissima cupiditas: cum illa potius, quam cum hac deliberandum est, & longe plurimum tribuendum virtuti, quam cæteris bonis. Hanc sententiam confirmat Cicero, 1. ex commendatione generali naturæ; quod omne animal seipsum diligat; quodque ea sit corporis & animi omnium partium facultatumque natura, ut eas salvas & integras perfectasque velimus, per se caras habeamus; in eisque sint ad beate vivendum momenta maxima: quia cui conservatio sui proposita est, necesse est huic partes quoque sui caras esse, eoque cariores, quo sint perfectiores. Ex quo intelligitur, ut quæque ex nostris plurimum habent dignitatis & præstantiæ ita maxime expetenda, atque adeo virtutem animi qua nihil in homine divinius omnium esse maxime appetendam. 2. Idem conficit Cicero ex speciali commendatione cujusque partis naturæ hominum: quod nempe cujusque partis, tum in corpore, tum in animo, sua vis est, ut idcirco in illis rebus & actionibus, quæ cuique parti subjectæ sint, summa nostra sponte moveamur & ad eas nati videamur: quod Actionum aliæ aliis majores excellentioresque sint, sic natura ipsa judicante: maximæ scilicet sunt cognitio rerum divinarum, administrandæ reipublicæ scientia, tum prudens, temperata, fortis & justa ratio, cæteræque virtutes & actiones virtutibus congruentes, quæ omnia honesta dicimus, ad quorum cognitionem natura ipsa præeunte deducimur; quæque præterquam quod nos ipsi diligimus, etiam suapte natura appetenda sunt.

Hi ergo Philosophi ab Epicureis in hoc dissidebant, quod assererent esse aliquid natura sua honestum, & id tale esse, ut detracta omni utilitate, sine ullis præmiis fructibusve, per seipsum possit jure laudari; hocque honestum magis esse secundum naturam hominis, quam ipsam voluptatem: Epicurei contra dicerent nos omnibus ex rebus voluptatem tanquam mercedem exigere, adeoque in voluptate tanquam fundamento positas esse omnes virtutes, quarum nullum officium est, quam ut famulentur voluptati. Dissidebant etiam a Stoicis, quod admitterent alia præter virtutem bona, quorum esset aliquod momentum ad beatam vitam: quod quamvis tanta sit virtutis excellentia, ut bonorum externorum defectum obruat, & beatus sapiens dici possit, quamvis in molestia quadam sit; accessione tamen illorum bonorum aut decessione fieri alium alio beatiorem. Sic disputabant veteres Philosophi.

At

At nos Christiani cum majori gravitate hanc quæstionem solvimus.

1. Ponimus in hac vita nullum esse summum bonum ex cujus fruitione existat perfecta felicitas. Etenim summum bonum illud est, quo nihil desiderari vel cogitari melius potest; quodque omnes complet sensus & appetitus naturæ. Sed tale bonum nullum est. Primo. Situm non est in bonis *externis* videlicet *opibus*, vel *honoribus*, vel *potentia*, quia hæc omnia fluxa sunt & instabilia & in fortunæ posita temeritate, aut pendent ex aliorum erga nos gratia. Quia & improbi qui felices esse non possunt, illis potiuntur. Quia hæc vix ullam habent vim per se ad beatam vitam, sed tantum quantum inserviunt ad alia bona procuranda. Secundo. Non in bonis & voluptatibus *corporis*. Quia etiam hæc bona nullam habent stabilitatem; sed in dies mutantur & intereunt. Quia spernendas esse voluptates corporis & postponendas bonis animi nos ipsi judicamus; aspernantur earum consortium sublimiores animi sensus, quibus ad scientiam & virtutem exeitamur. Tertio. Non etiam in *animi* bonis, in *scientia* & *virtute* positum est summum bonum; quia quamvis maximum sit sapientiæ & virtutis momentum ad beatam vitam, tamen non afferunt remedium, neque tormentis fortunæ, neque malis corporis, morbis & doloribus, neque animi sollicitudinibus & mœroribus ex malis fortunæ & corporis nascentibus. Quarto. Non denique in bonorum omnium complexione: tum quia hæc complexio esse non potest, cum sint bona bonis contraria & non solum ea quæ sunt animi pugnant cum bonis corporis, sed etiam ipsæ corporeæ voluptates pugnant inter se. Tum etiam quia omnia simul fluunt, omnia incerta sunt, omnia citius aut serius nos deserent: moriendum certe est omnibus.

Ex quibus sequitur solum hominis summum bonum esse ipsum Deum supra quem nihil desiderari aut cogitari potest & cujus infinita perfectio sola potest hominis appetitum satiare. Est etiam Deus propter eandem rationem hominis ultimus finis: nam extra omnem creaturam finis alius est, quia bonum est excellentius quod homo adipisci potest & quo adepto natura humana perficitur; at extra Dei fruitionem nihil est ejusmodi.

2. Si instituenda sit comparatio inter bona hujus vitæ, nullum dubium est quin virtus cæteris omnibus præstet. Nam quamvis non sufficiat ad perfectam felicitatem, tamen si sit conjuncta cum corporis sanitate & modicis fortunæ bonis efficit vitam satis beatam. Qui vero sequitur virtutem, sequitur naturæ partem præstantissimam nempe rationem & secum ipse consentit: atque inter omnes lætitias & jucunditates nulla est tam liquida, vel tam diuturna, quam ea quæ exoritur ex recta conscientia; cujus tanta vis est, ut illa confirmati obniti possimus contra quoscumque dolores & ærumnas, ac gustare etiam aliquam felicitatem in ipsis cruciatibus. Qui vero virtutem aspernatur, aspernatur naturam suam aut saltem præstantiorem ejus partem & secum ipse divisus est: summumque omnium malorum est animi depravati & sceleris sui sensu vexati turpitudo, quæ nempe hominem sibi odiosum facit, suumque ingenium quod maxime est intimum vile sibi reddit & pudendum: diuturna est etiam hæc miseria, quam comitantur sollicitudines, metus, angores & continua suspicio quod aliquando pro meritis, vel ab hominibus, vel a Deo, pœna retribuenda sit.

3. Denique si non mortalis vitæ tempus brevissimum solum consideremus, sed universam durationem animi humani complectamur, uti decet: sequitur ex his omnibus hominem sapientem in nulla re terrena & mutabili inhærere debere, sed Dei ipsius possessionem prosequi per virtutis viam. Via autem virtutis obvia est ex ipsis sensibus naturalibus & manifeste posita in charitate in omnes diffusa seu in prosecutione boni publici. Neque tantum hunc finem indicant sensus naturales, maxime ille honesti & decori, sed etiam his rationibus ostenditur illum solum esse dignum homine. Primo. Bonum

num publicum finis est tanto præstantior bono privato, quanto hominis exiguitas superatur universitatis immensitate. Secundo. Bonum universale omnium ille finis est, quem omnibus durationis nostræ periodis etiam post hanc conditionem mortalem prosequi poterimus, neque unquam mutare finem nostrum necesse erit. Si igitur in hominis vita delectet constantia, levitas dedecoret; elucebit certe illa in constanti prosecutione hujus optimi finis; at incertum semper jactabitur, nec secum constabit, qui diversum ab universali bono finem quæsierit. Tertio. Bonum universale ille finis est, qui omnibus entibus rationalibus communis esse potest & ex cujus solius unanimi prosecutione unum omnium quasi systema efflorescet, in quo regnabit ordo, concordia & unanimitas. Quarto. Ex generali omnium ad promovendum bonum publicum studio pendet omnis societatis & reipublicæ rationalium pulchritudo & etiam uniuscujusque suprema felicitas. Siquidem ut in corporum universitate omnia in se connexa ponderant versus se mutuo, generalemque insuper ad commune centrum habent inclinationem; ex quibus viribus oritur illa mira pulchritudo, motuum conspirantium concentus, partium subordinatio & totius molis plena dignitatis conversio: ita in rerum ordine morali similis oritur concentus ex mutuo benevolentiæ sensu inter creaturas eorumque simul omnium in Deum propensione. Quinto. Denique cum hominis felicitas completa & absoluta esse nequeat, quin omnes causæ concurrant, ex quibus illa pendet; patet propriæ perfectioni studendum esse & prætera officiis atque meritis omnium entium sibi conciliandum esse amorem, qui nobis aut prodesse aut obesse possunt. Nam qui sibi non constat aut quem ægritudines exedunt, qui potest non esse miser? aut qui omnium in se concitat odia privatorum commodorum studiosus nimium, quomodo potest esse beatus? denique si benevolentiæ & amicitiæ Dei parum securi sumus, quæ potest esse pax & tranquillitas? nullum igitur ens a quo pendere potest nostra felicitas negligi debet; omnium ergo officiis gratia captanda est, universorum bonum prosequendum.

ARTICULUS TERTIUS.

De qualitate Actionum humanarum.

PER *Qualitatem* actionum hunanarum intelligimus 1. earum vim & efficientiam *physicam*, seu utilitatem & noxietatem. 2. Earum moralitatem seu bonitatem & malitiam *moralem*; sub qua divisione includitur earum *justitia* & *injustitia*. 3. Earum *meritum* & *demeritum*. Observa quod per actus humanos non solum intelligamus illos externos qui cadunt in sensus, sed etiam internos animi motus; quales quoque sunt judicia intellectus, animique affectus & cupiditates, quæ ab arbitrio imperantur. *Mores* certe non in actionibus externis præsertim consistunt, sed in animi habitibus & commotionibus, a quibus actio externa bonitatem suam aut malitiam mutuatur.

1. Actio *physice bona* ea est, quæ est effectrix boni physici, id est, confert ad perfectionem & felicitatem, seu agentis propriam, seu aliorum. Actio *physice mala*, est ea, quæ est procreatrix mali physici & affert aliquod incommodum vel agenti vel aliis. Actio *physice indifferens*, illa est, quæ neque augeret, neque minueret suam vel aliorum, seu perfectionem, seu felicitatem. Bonitas ergo actionis physica est ejus utilitas, & varios, ut patet, admittit gradus.

Actio *moraliter bona*, *est actio libera consentiens cum sensu decori & honesti, vel cum ratione. Definitur etiam ea, quæ ab omnibus laudatur & probatur: vel ea, quæ elicitur libere ad promovendum bonum physicum, seu quæ est orta ex benevolentia*. Actio mala huic contraria est. Ultima definitio valde clara & accurata videtur: Nam hoc solummodo interest inter bonum *physicum* & bonum *morale*, quod illud in *natura* positum sit, hoc in *voluntate* atque *electione libera*: illud quod nobis aut aliis utile est,

est, bonum dicimus physicum; amare vero, eligere, facere libere id, quod utile est, bonum est morale. Manifestum est, quod bonitas & malitia moralis habeat varios gradus pro majori vel minori scientia & attentione agentis; vel majori vel minori propensione voluntatis; vel majori vel minori in agendo difficultate; uti dicemus articulo proximo: hic solummodo dicendum est de *specificatione* quam habet actio ex triplici re, *objecto*, *fine & circumstantia*.

Actus liber dicitur bonus, vel malus ex *objecto*; quia ex eo præcise quod circa hoc vel illud objectum versatur, rectæ rationi vel est conformis, vel deformis: sic odium virtutis est deforme, sed odium vitii conforme est rationi. Cum autem dicimus actum quemlibet sumere speciem ab objecto, non intelligimus objectum *materiale*, seu rem ipsam circa quam actio versatur, sed objectum *formale*, id est, rationem illam propter quam actio ad hoc vel illud objectum terminatur, ut cum virtutem propter intrinsecam suam bonitatem amplectimur. Hincque sequitur primo omnes actus, qui habent idem objectum formale esse ejusdem speciei quamvis habeant diversa objecta materialia: unde amor charitatis, quo diligitur Deus propter suam bonitatem, & amor charitatis, quo diligitur proximus propter eandem bonitatem communicatam cum creatura, sunt ejusdem speciei. Secundo sequitur omnes actus distingui specie, qui habent distincta objecta formalia, quamvis habeant idem objectum materiale: sic actus spei & charitatis habent idem objectum materiale, nempe Deum; & tamen distinguuntur specie, quia habent distincta objecta formalia: nam actus spei versatur circa Deum quatenus est summum bonum nostrum, actus charitatis circa eundem quatenus in se bonus est. Tertio: sequitur omnes actus, qui versantur circa media, esse ejusdem speciei cum actu, qui versatur circa finem: nam media & finis appetuntur propter idem motivum, nempe propter finem. Unde hæc tria, *objectum formale*, *motivum & finis*, idem valent.

Actus etiam liber specificatur a *fine*: nam ex fine malo fit malus, ex bono & honesto bonus. Finem hic intelligimus non *operis*, is enim ab objecto non differt, sed *operantis* qui actioni quodammodo extrinsecus est, ut quando furtum committitur, ut indulgere quis possit intemperantiæ. Quando actus liber ex objecto bonus est & simul refertur ab operante in bonum finem; ita ut bonitas finis sit diversæ speciei a bonitate objecti: tunc habet novam speciem bonitatis a fine ipso: ut si quis largiatur eleemosinam, ut sanctificetur nomen Dei: sic è contrario actus ex objecto malus, sumit novam malitiam ex malo fine, ut quando furtum committitur, ut indulgere quis possit potius intemperantiæ.

Circumstantia quoque in actione considerandа est; quæ quamvis sit extra substantiam actus posita, illum tamen varie afficit. Circumstantia alia est pure *physica*, quæ nec auget nec minuit conformitatem vel deformitatem actus cum recta ratione, ut si quis alium interficiat dextra vel sinistra manu. Aliæ circumstantiæ sunt *morales*, quæ afficiunt actus moralitatem, quæque hoc versiculo recensentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis,
cur, quomodo, quando.

Quis, non denotat nudam personam, sed qualitatem, statum, ætatem, conditionem personæ sive facientis aliquid, sive patientis: nempe si servus vel dominus, subditus vel rex, injuria affectus sit, aut alium affecerit. *Quid*, magnitudinem aut parvitatem, multitudinem aut paucitatem denotat, aut furtum decem denariorum, vel decem nummorum. *Ubi*, non locum simpliciter, sed eundem conditione accidentaria affectum, sacrum videlicet aut non sacrum: furtum in loco sacro sacrilegium est. *Quibus auxiliis*, id est, quo instrumento, quo medio, quo socio. *Cur*, id est, quo fine extrinseco actio fiat, puta si quis occiderit furti vel vindictæ gratia. *Quomodo*, non significat modum actui essentialem in genere morali, sed actus boni vel mali qualitatem; puta si intense vel remisse, si de-

destinata opera vel casu, si obstinato animo vel reluctante, si secreto vel palam. *Quando*, non tempus simpliciter significat, sed quandam ejus conditionem, si quis aliquid admiserit die festo, tempore precum: huc etiam duratio actionis revocanda est.

Circumstantiæ quædam tantum adaugent vel minuunt bonitatem aut malitiam actus; quales sunt illæ quæ nullam per se dicerent conformitatem vel deformitatem cum ratione, nisi illam aliunde supponerent; ut majus & minus, multum & parum. At aliæ sunt, quæ actionem in nova specie moralitatis constituunt, quales sunt illæ, quæ per se opponuntur alicui virtuti: sic in furto rei sacræ peccatur contra justitiam & contra religionem. Hæ circumstantiæ transeunt in objecta; nam si accidentia fuissent, non potuissent actionem in nova specie constituere, adeoque quod actionis externæ circumstantia dicitur, est objectum actus interni; nam voluntas non simpliciter vult objectum suum, sed vestitum omnibus suis circumstantiis.

Ex his patet actionem moraliter bonam esse ex *integra causa*, objecto nempe, fine & circumstantiis; malum ex *quolibet defectu*; defectu, inquam, *specifico*, videlicet, objecti, finis vel circumstantiæ; non *graduali*, qui in hoc statu naturæ semper est in actionibus nostris: defectus etenim *gradualis* existit, cum omnia requisita insunt actioni secundum speciem, sed non secundum eam perfectionem quam habere posset.

3. Actio *justa* ea est, quæ legi est conformis: actio *injusta* dicitur, quæ est legi dissentiens. *Justitia* ergo proprie est conformitas cum lege hinc si ratio in homine habeat naturam legis divinæ, omnes actiones bonæ sunt etiam justæ & piæ; & omnes malæ sunt injustæ & impiæ.

4. Actio *meritoria* generatim ea est, quæ est procreatrix præmii; cumque *præmium* positum sit, vel in approbatione apud se, vel in laude & benevolentia aliorum, vel in illis bonis quæ ex benevolentia sequuntur: *meritum* definiri potest *qualitas moralis operativa approbationis apud se, benevolentiæ apud alios & illorum bonorum quæ ex aliorum benevolentia sequuntur*. Demeritum *vero e contrario est qualitas moralis auctoris apud se procreatrix, vituperii & indignationis apud alios & illorum malorum, quæ ex aliorum indignatione sequuntur*.

Quæritur hoc loco a scholasticis an dentur actiones aliquæ *indifferentes*, quæ neque sint bonæ neque malæ. Ad hujus quæstionis solutionem solent distinguere actiones in *specie* consideratas ab actionibus in *individuo*: actiones in specie sunt illæ, quæ spectantur tantum relative ad suum objectum, abstrahendo a fine & circumstantiis. Actiones in individuo sunt illæ, quæ spectantur cum suis circumstantiis & comparate ad finem. Sed revera hæc distinctio satis est inutilis, nam cum omnis actus vere humanus fiat cum deliberatione ob finem aliquem & a mente nunquam fiat præcisio omnium circumstantiarum, nullus est actus in specie, sed omnes sunt in individuo. *S. Thomas* cum maxima Scholasticorum turba docet nullas actiones esse indifferentes: *Scotus* vero ex altera parte cum suis contendit dari actiones indifferentes. Quid nos sentiamus aperiemus sine contentione in sequentibus observationibus.

Dico 1. eam esse naturalem actionum humanarum vim & efficientiam, ut semper physice bonæ sint vel malæ, id est, utiles vel noxiæ. Quod ideo observamus ut intelligatur quam necesse sit ut legibus regantur. Siquidem homo quilibet in præsenti conditione vitæ societate quadam conjungitur cum seipso, & cum cæteris quibuscum vivit hominibus; & etiam cum Deo ipso, si interfit suo operi, uti interesse eum supra demonstravimus: & propterea actiones cujusque hominis efficientia naturali tangunt seipsum, alios & Deum. Seipsum quidem, est enim homo a natura constitutus suæ vitæ conservator, suæ perfectionis & felicitatis opifex: neque corpus sine labore & certis actionibus sustentatur, neque mens sine cura vires explicat: habet hæc suas

aegritudines, ut corpus morbos; ignorantia torpet, ut corpus cibis privatum imbecillum est; passionibus eliditur, ut corpus febribus. Immo fortasse nulla actio est etiam levissima qua non perficitur aut imminuitur corporis valetudo: nulla etiam interior animi motio, quae non conferat ad mentis aciem intendendam & ejus perfectionem aliquo modo augendam aut quae contrarium non habeat effectum. Illae quae maxime sunt indifferentes valent ad depellendam praesentem aliquam molestiam aut aliquod procurandum oblectamentum: ad hoc valent illae ipsae actiones, quas admittimus ob nullam aliam causam, quam ut experimentum capiamus nostrae libertatis & ut in otio non maneamus. Ergo constanti cura agendi ratione opus est, ut servetur tum corporis tum animi habitus perfectissimus.

Habent etiam efficientiam naturalem in alios homines actiones quaelibet; v. g. numquid non cura & sollicitudo parentum liberis necessariae sunt? divitum largitiones ad sustentandam pauperum vitam? mutua concordia, fides, gratitudo & caeterae virtutes naturali efficientia conservatrices sunt status publici, haud minus quam aer omnibus salubris. Contra injuriae, bella, perversa exempla quibus alii ad flagitia impelluntur, mala sunt publica & naturalia. Et quamvis omnes nostrae actiones non sint aequaliter noxiae vel utiles, tamen nulla fere est, quae ad alios spectet, quae illos non bene vel male afficiat, eos non delectet, aut vexet. Ergo & in hac publica & sociali vita nostra necesse est certam vitae rationem sequi.

Tangunt denique Deum actiones humanae: illum certe nec perfectiorem nec beatiorem reddere possumus, tamen cum suo operi intersit & ordinis a se instituti conservationem & perfectionem velit, contraria intelligitur ejus voluntati ordinis voluntaria & inutilis perversio, id est, ipsi mala est; ut è contrario illae omnes actiones quae ad conservationem, perfectionem & felicitatem rerum, quatenus ejus voluntati congruae sunt, ita sunt ipsi bonae. Ergo etiam certam tenere oportet nos agendi rationem, ne in Deum malefici simus. Ergo in quacumque conditione naturali hominem spectemus, necessaria est vitae illius regula propter ipsam efficientiam naturalem suarum actionum.

Dico 2. Omnes hominis actiones aliquo sensu dici posse bonas vel malas moraliter, nullas vero indifferentes. Nam actio bona moraliter illa dici potest, quam ratio probat; illa mala est, quam ratio improbat. Atqui ratio omnes nostras actiones vel probat vel damnat: in omnes exercet judicium, si ullae essent actiones circa quas judicium non ferret ratio, maxime illae quas facimus ex puro arbitrio & ut aliquid agamus; ad quas potius quam ad alias nulla sunt invitamenta in ratione. Atqui has ipsas actiones tam indifferentes probat ratio, quia probat exercitium libertatis in eis rebus quae neque jubentur neque prohibentur. Vel si definias actionem bonam moraliter, eam, quae elicitur libere ad promovendum bonum physicum seu proprium seu alienum, seu quae oritur ex benevolentia; si actio mala moraliter illa sit, quae elicitur libere ad nocendum, vel sibi vel aliis, seu quae oritur ex malitia aut amore inordinato. Manifestum quoque est hoc sensu omnes actiones deliberatas dici posse bonas vel malas, nam semper intendimus bonum seu nostrum seu alienum vel contrarium; semper amor noster vel est ordinatus vel inordinatus. Sint in exemplum illae actiones, quas facimus ad depellendam aliquam molestiam vel procurandum aliquod leve oblectamentum, quae maxime videntur indifferentes; si hae actiones fiant ordinate seu cum subordinatione ad actiones magis necessarias, sine dubio bonae sunt & honestae. Denique in omni actione humana, id est, deliberata tria menti obversantur, objectum, finis & circumstantia: si haec tria bona sint, id est, rationi consentiant, necesse est, ut actio sit moraliter bona. Si ex his tribus unum regulae seu rationi dissentiat, actio manifeste mala est. Propterea statuebant

Stoi-

Stoici : *ni ratio jubeat , digitum exere , peccas*. Atque hoc diei potest non tantum de actionibus, sed etiam de deliberatis actionum omissionibus . Attamen cum honestas harum actionum quas ratio neque jubet neque prohibet, sed permittit arbitrio, longissime distet ab honestate illarum actionum, quas ratio expresse jubet, illæ priores dici possunt indifferentes comparate ad harum necessitatem & convenientiam . Licet sine dubio ex arbitrio hodie deambulare in uno aut in altero horto ad oblectationem : & quemcumque hortum elegeris, electionem probabit ratio, si hæc deambulatio sanctiora officia non impediat : at quænam est honestas istius deambulationis aut electionis unius horti præ alio, comparata cum honestate operum misericordiæ & magnanimitatis? Ideo fortasse scripsit Sanctus Hieronymus : *bonum est continentia , malum luxuria , inter utrumque indifferens , ambulare : hoc non est bonum, nec malum ; sive enim feceris, sive non feceris , nec justitiam habebis , nec injustitiam*. Sanctus Paulus in Epist. prima ad Corinth. cap. 10. scribit : *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloria Dei facite*. Quæ verba juxta quosdam Theologos continent solummodo consilium , juxta alios continent præceptum solis Christianis impositum ; at juxta plerosque declarant præceptum ipsius legis naturalis : quod tamen non ita intelligendum est, ac si ad gloriam Dei promovendam, *expresso* & *actuali* mentis proposito, omnes referendæ sint actiones, quæ eo directe & immediate non pertinent : sed sensus est , omnia sic facienda esse, ut serio caveatur, ne in quavis re præstanda Dei honos lædatur , quod sæpe contingere potest ex circumstantiis, seu ratione scandali ex eis orti : & ut omnia referantur ad Deum *virtualiter* : quod fit, cum quis intendit eum finem ad quem dictante ratione naturali referenda sunt , vel aliquem alium ex se bonum , nullaque prava circumstantia vitiatum. Verba sunt *Sylvii*, quæst. 18.

Controvertitur inter juris naturalis studiosos utrum actiones humanæ sint natura sua bonæ vel malæ independenter a quacumque institutione positiva , sitque consequenter bonum & malum in rerum naturis positum aut in arbitrio divino . Negat Pufendorfius cum aliis multis Philosophis & Theologis esse aliquod bonum morale independenter a divina institutione , quorum opinionem infra expendemus, ubi de immutabilitate legis naturalis. Hic solummodo observabimus bonitatem aut malitiam moralem nullam esse posse in actibus humanis materialiter consideratis ; sed positam esse in dispositione animi actus elicientis : si igitur sit habitus animi qui est in se bonus , alius vero in se malus independenter a quacumque institutione positiva , erit actio bona natura divisa ab actione mala , & habebunt semper actiones liberæ a suis principiis absolutas & incommutabiles denominationes : atqui res ita est ; veracitas & benevolentia a perfidia & malevolentia natura distinguuntur : illæ etenim naturæ divinæ perfectiones sunt , entis necessarii incommutabilia attributa : perfidia vero & malevolentia non tantum a Deo absunt , sed etiam ab ejus creaturis nisi depravatis sponte sua . Ergo ut negari possit actus malevolentiæ in creatura intelligente & libera non esse natura malos moraliter , actus benevolentiæ non esse bonos ; negandum est benevolentiam esse absolutam perfectionem , malitiam & perfidiam absolutas esse imperfectiones ; quo nihil absurdum magis esse potest.

Dico 3. Omnes actiones humanas esse naturaliter *meritorias* vel *demeritorias* . Nam semper nosmetipsos nostrasque actiones judicamus . Si quidem innata quadam vi , quæ non pendet ex arbitrio, nos ipsos approbamus vel condemnamus. Deinde actiones illæ quæ ad alios spectant semper ab aliis dijudicantur , eorum habent vel approbationem vel condemnationem , atque eorum provocant etiam vel amorem ex quo affectu propensi sunt ad nobis benefaciendum ; vel excitant contemptum & indignationem , quibus inclinantur ad nos male excipiendos . Hincque etiam concipimus , quod si di-

si divinam majestatem tangunt res humanæ, respectu quoque illius meritoriæ sint vel demeritoriæ actiones humanæ, de qua re infra fusius disputabimus, ubi de sanctione legis naturalis.

Ex iis omnibus quæ hactenus disputata sunt de hominis natura, de fine ultimo & de qualitate actionum humanarum intelligitur quare tam varia extiterit apud Philosophos virtutis definitio. Juxta Stoicos virtus est *juxta naturam vivere seu constans propositum naturæ parendi*. Juxta alios virtus est *sequi rationis dictamina*. Alii dixerunt virtutem *amorem ordinis seu constans propositum agendi secundum immutabiles rerum relationes*. Alii virtutem posuerunt *in actionum nostrarum constanti veracitate seu convenientia cum persona morali, qua ab ipsa natura induimur*; alii in boni communis studio; *alii in constanti desiderio divinæ voluntatis adimplendæ*. *Juxta scholasticos est habitus electivus secundum rationem*. Sed hæ omnes notiones eodem redeunt; nam naturam nostram sequimur, eique consentienter vivimus; quando obsequimur rationi, quæ pars est naturæ præcipua: rationi vero obtemperamus, & veraciter seu consentienter personæ, qua nos induit natura, vivimus; quando veritatem seu immutabiles rerum relationes pro nostrarum actionum regula assumimus: & demum cum naturam sequimur vel ordinem rerum æternum & immutabilem, sequimur Deum parentem naturæ æternamque ejus legem.

Intelligitur tamen nos posse rationi parere ex multiplici motivo, nempe vel ex pietate erga Deum & obedientia ejus voluntati, vel ex prudentia propter propriam nostram felicitatem, vel ex amore justitiæ propter virtutis pulchritudinem, ac quæritur in quo motivo posita sit virtutis ratio? Nos vero existimamus tres illas virtutes pietatem, amorem justitiæ & prudentiam nec debere, nec posse separari: ratio quippe ista tria motiva nobis proponit; adeoque illi parere non possumus quin singula complectamur. Aliunde manifestum est tres illas virtutes sese vicissim continere, neque prudens quisquam esse potest, qui justus & pius non est; nec quisquam est justus & pius qui simul prudens non sit.

ARTICULUS TERTIUS.

De actionum humanarum imputabilitate, & earumdem æstimatione.

PRæcedenti articulo generatim consideravimus actionum humanarum *speciem*, nempe bonitatem, malitiam & indifferentiam, hic considerandа venit quædam earum *quantitas* & earum facienda *æstimatio* est.

Cum vero actio moralis ea sit, quæ elicitur libere consentienter rationi, vel aliter definiri possit, electio libera boni physici: Manifestum est actionis quantitatem pendere ex duplici re, nempe ex libertate cum qua facta est, & ex convenientia cum ratione seu momento ad bonum physicum, & consequenter ex hac duplici re pendere quoque ejus æstimationem: quo fuerit actio magis vel minus libera ex una parte & magis vel minus conducens ad promovendum bonum physicum ex altera parte; eo est magis vel minus laudabilis & habet gradum bonitatis majorem vel minorem; dicendum est ergo de æstimatione actionum, 1. ratione *libertatis*, & 2. de eatumdem æstimatione ratione *momenti* sui.

De Actionum æstimatione ratione libertatis.

Constretum supra est hominem liberum esse & existere arbitrii dominium non solum in actiones externas, sed in ipsas cogitationes & appetitiones; & consequenter has homini imputari posse; id est, laudi aut vitio verti. Observavimus tamen quod quamvis arbitrium in actibus suis *elicitis* non cogatur, tamen ejus imperium in cæteras facultates impediri, aut etiam suspendi queat, & sic quodammodo cogi possit arbitrium in actibus *imperatis*. Sic impeditur, vel suspenditur dominium arbitrii in membra externa per vim externam aut per aliquem morbum debilitantem: suspenditur etiam arbitrii libertas, vel magis vel minus sol-

follicitatur ex diverfis inftinctibus, inclinationibus & paffionibus naturalibus & indeliberatis: fufpenditur tandem magis vel minus arbitrii libertas per ignorantiam vel indeliberatam aliquam mentis avocationem; aut etiam ex evidentiæ follicitationibus nafcitur involuntarium ex vi; vel ex appetitu, ut ira, metu, concupifcentia; vel ex ignorantia, &c. intelligitur hæc impedimenta abfoluta effe poffe, aut follicitationes irrefiftibiles; ita ut nulla remaneat libertas & actiones fint propterea vel impoffibiles vel neceffariæ: aut hæc impedimenta & follicitationes vinci poffunt, ita ut exiftat folummodo in agendo difficultas, quæ major vel minor effe poteft.

Quæritur quomodo actiones homini imputari debeant relative ad varia hæc impedimenta aut varias follicitationes intellectus & appetitus? Cui quæftioni jam jam refpondebimus poftquam ufitatas fcholæ notiones & divifiones voluntarii & involuntarii expofuerimus.

Nos vero fupra divifimus voluntatem fumptam pro appetitu ab arbitrio, quia hac ratione omnem tollimus ambiguitatem, quæ eft in voce *voluntas;* & quia abfurdum videtur dicere unam facultatem habere aliam facultatem, id eft facultatem voluntatis habere facultatem libertatis; eodem plane fenfu dici poteft intellectum habere quoque facultatem libertatis: nam fi appetitiones quædam liberæ funt, non minus funt liberæ cogitationes. Voluntatis ergo proprie dictæ operationes juxta nos, funt *inftinctus*, *inclinationes & paffiones;* arbitrii vero operationes funt *electiones:* fed Scholaftici uni facultati, videlicet voluntati, tribuentes tum paffiones, tum electiones, *voluntarium* definiunt *illud quod fit a principio interno cognofcente fingula in quibus eft actus*. Dicitur a *principio interno*, id eft, a voluntate, in quo voluntarium differt a *violento*, quod fit a principio externo. Adduntur hæc verba *cognofcente fingula in quibus eft actio;* id eft, objectum, finem & circumftantias; in quo voluntarium differt a *fpontaneo*, quia fpontaneum etiam belluis ratione deftitutis tribui folet. Voluntarium hoc duplex diftinguitur, nempe voluntarium *neceffarium*, ut amor felicitatis in homine, amor Dei in beatis; & voluntarium *liberum*, ut profecutio alicujus boni particularis. Voluntarium etiam vel eft *imperans*, quod a voluntate immediate elicitur, qualis eft omnis electio aut libera determinatio: & voluntarium *imperatum*, quod per aliam facultatem exercetur, qualis eft ambulatio. Voluntarium iterum vel eft *purum* feu voluntarium *fimpliciter*, nempe fi fiat ex plena & perfecta inclinatione voluntatis fine ulla repugnantia: vel eft voluntarium *mixtum* feu *fecundum quid*, quod fit fecundum voluntatis inclinationem, fed cum aliqua repugnantia, ut projectio mercium in mare ex metu naufragii. Voluntatium iterum vel eft voluntarium *in fe & expreffum*, *feu explicitum*, quod in fe & immediate in fe volitum eft; vel eft voluntarium in *caufa* feu *implicitum*, feu *virtuale*, quod quamvis non in fe, in caufa fua volitum cenfetur: Sic, qui vult in fe, expreffe & explicite ebrietatem, vult implicite & virtualiter illas omnes actiones, quas admittere folet quando ebrius eft. Voluntarium rurfus vel eft *formale* feu *directum*, quod nimirum proficifcitur a voluntate, per influxum pofitivum operante: vel eft *interpretativum* feu *indirectum*, quod quamvis non procedat a voluntate ut efficiente, ab ea tamen dependet: fic omnes omiffiones actionum quas facere potuimus funt voluntariæ *indirecte* & *interpretative*.

Voluntario opponitur *involuntarium*, quod dividitur in involuntarium *privative*, cum voluntas aliquid non vult cum velle poffet: & involuntarium *contrarie* vel *pofitive*, quando aliquid eft expreffe nolitum. Involuntarium contrarie duplex eft: involuntarium *fimpliciter*, quod ita voluntati difplicet, ut id nullo modo velit: & involuntarium *fecundum quid*, quod licet fub aliquo refpectu difpliceat voluntati, eidem fub alio placet, ut projectio mercium metu naufragii. Hæc Scholaftici fufius.

Quæ-

Quæritur igitur 1. quomodo imputari debeant homini actiones quas admittit propter *vim externam*, aut omittit propter *debilitatem*.

Respondeo. Aut illa vis externa seu illa debilitas separari nequit, ita ut ad admittendam vel omittendam actionem quis invitus cogatur: tunc actio vel omissio nullo modo imputari potest neque ad laudem neque ad culpam. Hinc eventus extra nostram potestatem non imputantur, neque defectus naturales seu in corpore seu in animo: nisi tamen nostra culpa violentiam experiamur, aut in illa simus debilitate; quia tunc actiones ad quas cogimur aut quas omittimus, in causis suis liberæ sunt. Sic ille debitor, qui per suam imprudentiam vel intemperantiam non habet facultatem restituendi, sine dubio reus est. Sic etiam erant pœnæ obnoxii illi Romani, qui ne militare cogerentur, amputatis pollicibus, manus tractandis armis inhabiles efficiebant.

Si autem illa vis externa seu debilitas superari potest & affert solummodo difficultatem, tunc imputatur actio vel omissio ad laudem vel ad culpam, magis aut minus, pro majori vel minori difficultate; magis ad laudem, quo magis ardua.

Quæritur 2. quomodo imputari debeant actiones, quas quis admittit sollicitatus *instinctibus*, *inclinationibus & passionibus*.

Respondeo. Vel illi motus appetitus sunt *indeliberati*, *primo primi* ut loquuntur Scholastici, & *antecedentes*, vel sunt *liberi*, *primo secundi* & *consequentes*.

Si sint *indeliberati*, vel suspendunt prorsus usum rationis vel libertatis, aut illum tantum minuunt: Sin prius, quod quandoque contingit ex metu, ex ira, ex concupiscentia, tunc actiones non possunt imputari neque ad laudem & præmium, neque ad vituperium vel pœnam. Sin secundum, imputari debent actiones relative ad majorem vel minorem facilitatem. Sic quo validiore appetitu incitamur ad aliquod officium naturale, eo minor erit in eo servando honestas ac meritum, quia major facilitas; & major in neglecto turpitudo, quia minor difficultas in præstando fuit. Sic cura, quam parentes gerunt sobolis, honestate & merito vincitur ab aliis multis actionibus generosis; quamvis nihil turpius esset quam huic deesse officio tam naturali. Vice versa quo minore appetitu movemur in aliquod malum, eo major in illo patrando inhonestas; quo majori appetitu indeliberato excitamur ad malam actionem, eo minus demeritum est; hæc dicuntur peccata *infirmitatis*, dum priora dicuntur peccata *malitiæ*.

Si motus vero appetitus sint *deliberati* aut orti ex habitu libere contracto, imputari debent actiones ratione plane inversa, id est, quo validiore appetitu libero, cujus ipsi causæ sumus, officium præstamus; eo major est in præstando honestas & meritum: & quo vehementiore appetitu libero officium negligimus aut contra officium peccamus, eo major est neglecti officii vel peccati turpitudo & demeritum. Nam ipsi appetitus boni, cum sunt liberi, imputantur ad laudem & ad præmium, ac quo sunt vehementiores, eo sunt magis laudabiles; actionesque ex illis ortæ habent ex eis omne suum meritum. Absurdum esset dicere habitum virtutis, aut vehemens honesti desiderium minuere actionis bonitatem, aut pravam consuetudinem libere contractam minuere actionis inhonestæ malitiam. Officia igitur deliberata, si consilio stabili & magna propensione suscepta sint, sunt honestiora iis, quæ ex perturbato quovis & brevi amoris æstu nascuntur: turpiora pariter sunt delicta & injuriæ, quæ destinato consilio aut odio fiunt inveterato, quam quæ ex ira, metu aut vehementiore, at brevi fluunt cupiditate.

Quæritur 3. quomodo imputari debeant actiones, quæ fiunt ex *ignorantia*.

Respondeo 1. Si ignorantia fuerit *antecedens* & *invincibilis*, actio ex ea facta non imputatur: quia ignorantia hæc efficit ut invincibiliter ignoretur bonitas vel malitia actionis, & consequenter ut actio non fiat ex bono vel malo consilio.

lio. Si ignorantia fuerit *consequens* & *vincibilis*, actio imputari debet ad culpam, quia ignorantia malitiæ illius actionis libera est: & consequenter ipsa actio in causa sua.

Ut enim ignorantia sit vincibilis duo requiruntur: 1. ut sit eorum, quæ scire potuimus adhibita morali diligentia. 2. Ut sit eorum, quæ scire debemus vi præcepti cujusdam, cujus obligatio nobis nota esse potuit, & consequenter ignorantia vincibilis magis vel minus imputatur, quo major vel minor fuerit, tum facultas, tum necessitas cognoscendi.

Ignorantiam vero vincibilem fuisse, neque adhibitam esse sufficientem diligentiam judicatur, cum non est adhibita ea diligentia quæ rei naturæ & dignitati respondeat, id est, in rebus summe necessariis summa, in spiritualibus major quam in temporalibus, aut cum non adhibeamus eam diligentiam, quam viri prudentes & pii in ejusmodi rebus adhibere solent: aut cum ea diligentia non utamur, quam in rebus minoris momenti dignoscendis adhibemus: aut cum eam non afferamus, quæ veri desiderii cognoscendi officii atque industriæ indicium sit.

Juxta has regulas nemo potest ignorantiam invincibilem præ se ferre circa prima principia legis naturalis & conclusiones proximas & evidentiores, puta Deum esse, eumque bonum & justum, innocenti malum non esse inferendum, colendos parentes, &c. quia non tantum omnis mentis compos hæc scire potest, sed etiam vix potest ignorare. Christianus nullus prætendere ignorantiam potest circa præcipua fidei dogmata, aut ea præcepta, quæ ad vitam pie agendam scitu sunt necessaria; Neque demum ignorantiam invincibilem obtendere debemus in iis, quæ ad officium speciale a nobis susceptum pertinent; quia tale officium in se suscipere non debet, qui ea ignorat quæ sunt ad officium debite gerendum necessaria.

2. Si ignorantia fuerit *puræ privationis*, ut oblivio, inadvertentia, præjudicata opinio, & fuerit studio debito vincibilis, non excusat prorsus a peccato, sed tamen de gravitate ejus imminuit. Ignorantia autem *pravæ dispositionis*, si sit *affectata*, cum oriatur ex animo a virtute alieno nullo modo excusat aut minuit peccatum: si sit *supina* paululum imminuit, idque prout major vel minor fuerat socordia & negligentia, aut facilior minusve facilis officii cognitio, ac major minorve ad sciendum obligatio.

3. Denique in peccatis ignorantiæ inter se comparatis, id generatim minimum est, in quo defectus in intellectu major, in arbitrio minor: quantum enim de *liberi* ratione tantum de peccato minuitur. Unde ea peccata maxima sunt quæ fiunt cum perfecta scientia.

Cum hisce determinationibus per se evidentibus conjunctæ sunt hæ aliæ decisiones non minus evidenter circa conscientiam *errantem*, *dubiam & probabilem*.

1. Quæ turpia credimus, reclamante conscientia, agere; aut quæ videntur honesta omittere; semper peccatum est, quamvis sit *erronea* conscientia. Nam arbitrium æque fertur in malum ac quando non est erronea; cum idem sit respectu arbitrii *esse & apparere*: velle malum semper est malum. Varios tamen gradus admittunt peccata contra conscientiam pro delicti admissi turpitudine varia, aut officii omissi dignitate, gravitate etiam rationum, quæ ad peccandum impulerunt.

Quanquam ille qui sequitur conscientiam erroneam non in eo peccet, quod conscientiæ pareat; non est tamen a culpa immunis, ubi conscientia vincibiliter erronea est. Culpa gravior aut levior est pro errorum natura, alii enim errores produnt animum turpem, odio, superbia, & sævitia agitatum: alii vero negligentiam tantum indicant & honestiores animi sensus ac propensiones non satis valuisse.

Magis plerumque peccat, qui conscientiæ renititur erranti quam qui ei obsequitur: Uterque errores culpa tenetur, sed prior prodit honesti nullam curam & magnam legum divinarum incuriam. Ubi vero humaniores animi motus &

im-

imperia aliorum obstabant conscientiæ erranti: ingenium quandoque videbitur minus depravatum, si conscientiæ scrupulis repugnat, quam si ejus monitis obtemperet.

2. Si conscientia *dubia* sit circa actionis honestatem, seu negative propter defectum rationum & inscitiam, seu positive propter rationum hinc & inde æqualitatem; illam actionem admittere sine necessitate imputabitur ad culpam, magis vel minus pro momento actionis, nempe propter peccandi periculum, cui sciens & volens sese committit, parum prudenter adversus seipsum, parum pie adversus Deum, parum benevole adversus alios. Si adsit necessitas hic & nunc eligendi unam aut alteram actionem, si copia sit consilii, efflagitandum est; si non fuerit, eligenda est pars tutior, id est, illa in qua nullum est periculum: hoc prudentia, hoc justitia, hoc pietas manifeste suadet. *Bene præcipiunt*, *inquit Cicero lib. pr. de Officiis*, *qui vetant quidquam agere quod dubites*, *æquum sit an iniquum: æquitas enim lucet ipsa per se*, *dubitatio cogitationem significat injuriæ*. Hæc regula tamen non semper valet in materia justitiæ, ubi adest ratio generalis certo modo agendi, v. g. si quis dubitet an ager quem possidet suus sit necne, is jure potest illum retinere, modo nesciat esse alienum: quia reliquis paribus melior est conditio possidentis, ideoque certa esse potest ejus conscientia se meliore jure hunc agrum possidere.

Cum conscientiæ *scrupulosæ* terrores & formidines oriantur ex defectu scientiæ, melancholia, phantasia depravata, corporisve intemperie contra eam agere non modo licitum est, sed consultum: atque nedum hæc scrupulositas aliquam habeat laudem, è contrario actiones ex illa factæ imputari possunt ad culpam.

4. Quando *verum* nulla diligentia evidenter cerni potest, ejus locum tenet *verisimile*, unde contra conscientiam *probabilem* agere non licet, est quippe agere contra *rationem*. Sed prudenter quis sequi potest conscientiam probabilem, quia agit secundum judicium rationis: & revera necessitas plerumque incumbit agendi ex verisimilitudine, *nunquam expectamus*, *ut notat Seneca de beneficiis lib. 4. cap. 33. certissimam rerum comprehensionem*, *quoniam in arduo est veri exploratio; sed ea imus qua ducit verisimilitudo. Omne hac via procedit officium. Sic scrimus*, *sic navigamus*, *sic militamus*, *sic uxores ducimus*, *sic liberos tollimus; quanquam omnium horum incertus sit eventus. Ad ea accedimus*, *de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim polliceatur serenti proventum*, *naviganti portum*, *militanti victoriam*, *marito pudicam uxorem*, *patri pios liberos? Sequitur qua ratio*, *non qua veritas trahit. Expecta ut nisi bene cessura non facias & nisi comperta veritate nihil moveas: relicto omni actu vita consistit*. Attamen ut liceat sequi opinionem probabilem relicta tutiori, non sufficit quicumque probabilitatis excessus; sed requiritur notabilis, ut scilicet absit dubium: parum enim pro nihilo habetur.

Antequam paragraphum hunc finiamus, observandum venit, non tantum imputari homini actiones vel omissiones proprias, verum etiam actiones vel omissiones aliorum, quarum ipse aliquo modo causa extitit: eoque magis, quo illarum author magis fuerit. Poterit esse vel causa *principalis*, vel *collateralis*, vel *subalterna*. Tunc erit causa *principalis*, cum vel jussu, vel adhortatione sua, vel etiam simplici approbatione, ita causa actionis vel omissionis existit, ut sublato illo jussu, vel adhortatione, vel approbatione, non extitisset actio vel omissio. Unde non tantum reges & heri causæ sunt principales actionum quas subditis vel servis jubent: sed regum administri sunt causæ principales actionum ad quas reges consiliis suis impulerunt: illi quoque a quibus consilium quæsitum est & qui suæ approbationis authoritate dubitantem aliquem determinarunt. Tunc erit quis causa *collateralis*, quando vel consilio, vel approbatione, vel opera aliquem in proposito agendi solummodo confirmaverit, aut in actio-

actione adjuverit, aut cùm potuerit & debuerit non impedierit. Erit tunc quis causa actionis alienæ *subalterna*, quando neque causa principalis, neque in ea cooperator est, sed aliquam affert agenti suis indicationibus facilitatem, aut suis exemplis ad agendum excitaverit. Sic parentes & magistri qui exemplis suis juniores ad flagitia sollicitant, causæ sunt *subalternæ* malarum actionum ab ipsis admissarum; si cooperentur aut non impediunt cum possunt, causæ sunt *collaterales*: si jussis aut suasionibus ad illas impellunt, causæ sunt *principales*. Manifestum est causæ principali magis imputari actionem ad laudem vel ad culpam, imputari vero ferme ex æquo causis collateralibus & magis quam causis subalternis. Ad quam vero classem revocandi sint qui actionis alienæ aliqua ratione causæ existunt, ex omnibus circumstantiis est dijudicandum & quandoque habet magnam difficultatem; vulgo actionis immediatus effector vel dux facti haberi debet pro causa principali.

De Æstimatione Actuum Humanorum ex eorum momento & de habituum ex quibus oriuntur dignitate.

Manifestum est quod, cum habitus sit facilitas agendi, eadem est habituum ratio, quæ actionum; quoque sunt actiones perfectiores, eo perfectiorem esse earumdem habitum. Æstimatio ergo eodem redit sive instituatur inter actus, sive inter habitus, adeoque bene utrumque conjunximus.

Actiones vero aliæ sunt *intellectus* videlicet cogitationes & judicia: & sunt illis respondentes *habitus intellectuales*, quales sunt omnes scientiæ. Aliæ sunt *voluntatis* seu *appetitus* videlicet desideria & aversationes; & sunt hisce respondentes *habitus voluntarii*, qui instinctus, inclinationes & passiones nuncupantur. Aliæ sunt *externæ* & *corporeæ*, videlicet membrorum ad motum spontaneum aptorum motus; & sunt his respondentes variæ *corporis habilitates*. Quæ omnes actiones quatenus sunt ex arbitrii electione, sunt bonæ vel malæ moraliter; & earum habitus quatenus electivi sunt virtutes vel vitiæ.

Patet institui posse comparationem inter res omnes & earum fieri relativam æstimationem: primum inter sensus facultatesque intellectus. Sensus nempe interiores, quibus novimus bona animi, præstantiores sunt externis: inter sensus interiores longe omnium præclarior est sensus honesti & decori, magisque omnium colendus. Inter scientias vero æstimatio fit ex dignitate objecti & cognitionum utilitate: sic scientia rerum divinarum & moralis philosophia præstat cæteris omnibus; proxime accedit jurisprudentia; tum philosophia naturalis.

Comparatio quoque fieri potest inter affectiones voluntatis: illæ quibus ferimur in bonum nostrum privatum sunt omnium maxime humiles: voluptatum vero appetitiones nimiæ turpes sunt, indicantes vilissimam animi partem cæteris dominari. Benevolentia etiam quæ oritur solummodo ex conjunctione nostræ utilitatis & aliorum, quamvis turpitudine vacet, nihil habet tamen præclari; cum cadere in hominem turpissimum & erga turpissimos exerceri queat; neque per se præclara est ea charitas, quæ inter sanguine conjunctos aut amantes intercedit: hæ affectiones perturbatæ angustis limitibus sunt inclusæ neque absunt ab iis qui nihil altum sapiunt. Præclarior est ea benevolentia, quæ ex beneficiis acceptis oritur & gratiæ referendæ studio, ubi abest omnis amicitiæ simulatio ad captanda nova beneficia: in ejusmodi etiam officiis vulgaribus non admodum elucet virtus, quamvis in iis neglectis aut detractatis summa sit turpitudo. Præclarior longe est illa benevolentia & charitas, quam morum bonorum similitudo excitavit; ostendit enim acriorem honesti sensum & amorem. Huic autem præstat amor patriæ alte infixus. Omnium tamen pulcherrima est ea stabilis animi affectio, quæ universum humanum genus complectitur & singulis oblata occasione consulit. Hæc communis philanthropia non impedit, immo exigit, ut quisque, quantum pati-

tus communis utilitas, sui suorumque, quos commendant necessitudines arctiores, curam habeat præcipuam; quibus officiis exequendis pars hominum maxima utilitati communi consulere potest.

Institui etiam potest comparatio inter omnes corporis habilitates, atque inter artes liberales & mechanicas quæ ex illis pendent; inter varios vitæ status & cætera omnia: quam æstimationem cum prosequi non possimus, ex quibus principiis generatim facienda sit actionum æstimatio dicemus.

Actionis cujusque æstimatio moralis sequitur rationem *directam* utilitatis communis vel mali propositi, & rationem *inversam* virium seu facultatum seu opportunitatum agentis. Id est, quo *major* fuerit in agendo proposita utilitas & *minores* fuerint vires, facultates, opportunitates, eo major actionis honestas: sic qui in re tenui, exiguisque opibus opulentiores beneficentia æquat, honestate vincit, & similiter eo major est turpitudo actionis, quo *majora* habet incommoda; quoque ab *imbecillioribus*, contentis quodammodo nervis, fuerit perpetrata. In æstimando autem actionis momento spectanda est tota eventuum qui prævideri potuerunt & quorum actio causa sit, series: idque sive sua sponte & consecutione naturali sequantur, sive intervenientibus aliorum actionibus, quas hæc actio provocaverit: neque tamen ex eo concludendum est malam esse physice omnem actionem ex qua damna oriuntur, aut illam omnem esse moraliter malam seu turpem, ex qua prævisum est mala esse oritura, nisi hæc mala fuerint propter se expetita: ex bonis quippe & malis eventibus mixtum est omnium fere actionum externarum momentum & nullum est vitæ institutum, quod non sua habeat & commoda & incommoda: quæ omnia ad calculos vocanda sunt, atque illæ actiones judicandæ sunt bonæ ratione momenti, quarum commoda quæ alia ratione parari non poterant, haud parum præponderant; eæque malæ sunt, ex quibus incommoda oriuntur plura & majora.

Dixi supra æstimationem actionis sequi rationem directam utilitatis *ab agente propositæ*: nam apud Deum & conscientiam, atque etiam apud æquos æstimatores, hæc omnia imputantur non prout revera eveniunt, verum prout eorum spes erat probabilis. Non enim in ipsis eventibus sita est honestas aut turpitudo, sed in animi consiliis & voluntate. Unde pari sæpe sunt in culpa illi quorum alter casu aut aliorum interventione impeditus nemini nocuit, alter vero gravissime: neque minus laudandus, qui honesta pro viribus etsi frustra conatus est, quam quibus omnia ex voto contigerunt.

ETHICES ELEMENTA.

SECTIO SECUNDA.

De Regulis Actionum Humanarum.

Actionum humanarum regula duplex distingui solet, alia *externa* & *proxima*, nempe *conscientia*; alia *externa* & *remota*, nempe *lex*. De priori satis dictum est in superioribus articulis: hic igitur solummodo explicanda est legis notio & aliarum vocum potestas videlicet *obligationis*, *juris*, *authoritatis*, quæ in definitione legis continentur, ut via pareτur ad subsequentem defensionem legis naturalis.

I. Lex quatenus ad hominis vitam pertinet, definitur primo generalissime *regula agendorum & fugiendorum*. Quo sensu rerum relationes a mente perceptæ dici possunt leges, & sapientia divina lex est respectu Dei. Secundo definitur magis proprie a *S. Thoma*: *regula & mensura secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur*, id est,

est, obligatur ad agendum vel non agendum. Sic etiam Grotius; *lex est regula actionum moralium obligans ad id quod rectum est*. In his definitionibus includitur notio *obligationis*. Tertio denique lex strictius sumpta definitur ab eodem S. Thoma, *rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata*. Cui accedit Puffendorfii haec: *lex est decretum, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius praescriptum actiones suas componat*. Vel tandem definiri potest: *voluntas jure imperantis, subditis declarata, actiones alias jubens, alias vetans, praemiis propositis & poenis*. In hisce definitionibus includitur etiam notio *superioris* cum authoritate imperantis, quae utrum ad legis definitionem pertineat, necne, non levis est inter juris studiosos dissensio, sed tota de nomine.

Juxta hanc ultimam & maxime propriam legis acceptionem lex differt a *consilio*, vel a *pacto*, vel a *jure*: quae vocabula fuere a pluribus promiscue sumpta. 1. Enim lex differt a *consilio*; quod consilium sit praeceptum in quo ratio quare pareamus sumitur ab ipsa re, quae praecipitur: lex autem est praeceptum in quo parendi ratio desumitur a voluntate praecipientis; proprie enim non dicitur, sic volo, sic jubeo, nisi stet pro ratione voluntas. Deinde lex est ejus, qui potestatem habet in eos, quibus praecipit; consilium autem ejus qui potestatem non habet: facere id quod lege praecipitur, officii; quod consilio, arbitrii est. Consilium nisi volentibus non datur; lex etiam nolentibus fertur. Denique jus consiliarii tollitur arbitrio ejus cui consilium datur; jus legislatoris non tollitur arbitrio ejus, cui imponitur lex. 2. Lex differt a *pacto*. Nam pactum est promissum; lex mandatum: in pactis dicitur, *faciam*, in legibus, *fac*. 3. Denique lex differt a *jure* quae vox quandoque significat collectionem legum; uti cum dicimus *jus naturale*, *jus divinum*, *jus Romanum*: sed etiam aliam habet significationem & sumitur pro facultate in rem aliquam ut mox dicturi sumus.

Lex generatim dividitur in *naturalem* & *positivam*. Illa in rerum naturis posita est & per rationem rerum constitutionem observantem innotescit: haec in voluntate & arbitrio imperantis, voce vel scripto promulgata. Lex naturalis generatim sumpta alia *divina* est: quae definitur a Cicerone *recta ratio summi Jovis nata simul cum mente divina*. Est ipsa Dei sapientia. Alia *mundana* dici quodammodo potest, quae definitur ab eodem, *ratio Dei mundo & ejus partibus inserta*: estque ipsa Dei providentia, seu illa lex quam sibi Deus in regendo mundo ab aeterno praescripsit. Dicitur a Scholasticis lex *aeterna*, qui ad hanc revocant omnes alias leges sive illam qua gubernantur coelites, quaeque *coelestis* vocatur; sive illam qua gubernatur corporea universitas; sive illam qua gubernantur homines. Sed juxta maxime propriam significationem lex naturalis est *lex rationis*, quae definitur a Cicerone: *divina ratio in hominis mente confirmata & confecta*. Lex positiva vel est *divina*, ut vetus & novum testamentum; vel *humana*, quae vel est *civilis*, vel *ecclesiastica*. Leges positivae, vel sunt *necessariae*, quando monstrant utilitatis communis consequendae viam unicam; vel sunt *arbitrariae* seu non necessariae, quando inter plurimas vias consequendae utilitatis publicae aut optimam monstrant, aut inter aeque commodas unam determinant: hae dicuntur positivae ratione materiae, illae naturales.

Leges ferme semper totam communitatem spectant, at sunt leges privatae unum aut paucos respicientes, quae vulgo *privilegia* dicuntur, eaque sunt vel in *gratiam*, vel in *odium*.

Legis *interpretatio* duplex distinguitur, alia *simplex*, quae est mera legis explicatio: alia per *epiikiam* seu *aequitatem*, quae est explicatio legis per aliquam emendationem, videlicet quando verba legum magis vel minus sunt, quam par est, universalia. Locum tantum habet emendatio in legibus quae verbis enuntiantur: lex enim naturalis ex aequo & bono omnia determinat.

Dispensatio, est relaxatio legis, daturque exemptio seu immunitas vel a *præcepto* vel a *sanctione*, seu pœnis a lege comminatis. Ubi vero delicti admissi datur venia, seu tollitur sanctio, ita ut consulatur communi utilitati legumque vis conservetur & majestas, nil est in eo iniqui; sed immunitas a præcepti justi vinculo difficillime admittenda.

Controvertitur inter Theologos Scholasticos utrum lex omnis sit actus intellectus aut voluntatis; utrum de ratione illius sit ut pro tota communitate feratur, aut ad commune bonum, aut a publica potestate; utrum debeat esse necessario justa; utrum perpetua; perspicuum est illas omnes quæstiones ex definitione legis pendere, varieque resolvi pro diversa legis acceptione.

Hic præsertim observandum est legem, ut in duabus ultimis definitionibus explicatur, constare duabus partibus, nempe *præcepto*, quod indicat quid faciendum omittendumve; est voluntas jure imperantis: & *sanctione* qua imponitur obligatio per pollicitationem præmiorum vel comminationem pœnarum, adeoque ut omnis tollatur obscuritas explicandum est quid sit *obligatio*, quid *jus & authoritas*.

II. Obligatio definitur in *institutis Justiniani lib. 5. tit. 140. Juris vinculum quo necessitate adstringimur alicui rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura; sed hæc definitio non satis generalis est*. Juxta *Cumberlandium* de legibus naturalibus cap. 5. n. 24. *Est actus legislatoris quo actiones legi suæ conformes necessarias esse indicat, id est, necessarias esse ad consequendam illam felicitatem, quam quodque agens naturaliter expetit*. Juxta *Puffendorfium l. 1. cap. 6. n. 65. est qualitas moralis operativa, qua quis præstare aut pati aliquid tenetur*. Sed clarius & accuratius definiri potest: *Necessitas moralis agendi vel non agendi, orta vel ex ipsa naturæ rationalis determinatione, vel ex spe consequendæ felicitatis, vitandæve miseriæ*. Quoties ergo ea est alicujus actionis cum natura rationali convenientia, vel cum felicitate hominis connexio, ut illa posita sibi plaudat & beatus sit, & illa non posita sese condemnet & miserum se arbitretur, toties ad illam censetur obligari.

Juxta hanc definitionem duplex distingui potest obligatio, alia *interior* & conscientiæ orta ex quarumdam actionum interiori approbatione vel condemnatione nequaquam libera: alia *exterior* orta ex præmiis & pœnis, actionibus annexis sive per constitutionem rerum naturalem, sive per legem civilem in republica, sive per divinam voluntatem in altera vita. Vera & summa obligatio oritur ex conjunctione interioris & exterioris, neque una sine altera bene consistere potest. Nam quam vim servare posset obligatio interior ex conscientia ad inclinandos hominum animos, nisi cum illa conjuncta esset exterior per præmia & pœnas? Certe cum felicitatis dispendio nemo conscientiam sequeretur. Sic neque obligatio exterior vera & proprie dicta dici potest, si habeat sibi contrariam obligationem interiorem & agens suas actiones interius condemnet. Vane itaque disputare videntur Philosophi, dum alii omnem obligationem a conscientia, aut illo interno justi & iniqui sensu, omnem rationis usum antecedente, quem *moralem sensum* appellant; aut ex rerum relationibus, earum perceptis per rationem convenientiis, derivari unice volunt: alii vero ex sola Dei voluntate atque ex pœnis & præmiis legibus divinis annexis. Ex singulis siquidem nascitur obligatio, sed diversi generis; quia hæc omnia continent agendi motiva, sed diversa. Prior obligatio interior viget præsertim in iis, qui bene nati recteque instituti moventur virtutis pulchritudine, & id omne quod bonum, quod pulchrum, quod honestum, quod decens, quod pium & gratum erga Deum & homines constanter sectantur: aut afficit eruditos & sapientes, qui in scientiis versati rerum convenientias, actionum suarum consequentias omnes, & rationis omnia dictamina cernere valent. Sed sine dubio maxima est illa obligatio exterior orta ex consideratione voluntatis divinæ & intuitu pœnarum & præmiorum legibus an-

ne-

nexorum: quippe cum Deum nihil lateat, nec fugere ejus potentiam possimus, atque non solum in hac vita, sed per omnes temporis periodos maximis præmiis remunerari & pœnis plectere valet; hæc consideratio in omnimoda obtemperandi necessitate quemque constituit, omnesque afficit, etiam illos, qui alios sensus naturales præfocarunt.

III. *Jus* quoque vocabulum est, quod varias habet significationes. Primo significat id quod justum est & consentaneum rationi vel legi; hinc jure fieri dicitur quidquid juxta legem fit.

Secundo, sumitur *jus* pro ipsa lege vel complectione legum: quo sensu Pentateuchus dicitur *jus judaicum*, & Justiniani collectio, *jus Romanum*: Salustius in Catilinario hoc sensu jus definivit his verbis: *jus est civilis æquitas, vel scriptis legibus sancita, vel institutis & moribus recepta*.

Tertio definitur *facultas quædam moralis, quam unusquisque habet, vel circa rem suam, vel ad rem sibi debitam acquirendam*. Hæc facultas vel ex natura rei, vel ex conventione oritur aut aliquo facto humano, hinc alia sunt jura *naturalia*, alia *adventitia*. Jura quoque hujusmodi dividuntur in *perfecta & imperfecta*: ea *perfecta* dicuntur sine quibus servatis nulla existere potest inter homines societas: tale est jus cujusque ad libertatem & ad bona sua, aut ne in corpore vel in bonis suis lædatur. Jura *imperfecta* ea dicuntur sine quibus in societate commode vivi nequit: tale est jus cujusque ad caritatis officia. Est juris tertium genus *externum*: cum scilicet utilitatis cujusdam remotioris ratio exigit ne impediantur homines quædam agere, possidere, aut ab aliis deposcere, quæ tamen parum honeste agerentur vel possiderentur, vel deposcerentur: hæc jura externa sæpe oriuntur ex contractibus temerariis aut legibus civilibus, alioquin necessariis. Tandem jura hujusmodi vel alienari possunt, vel non possunt. Prioris generis sunt ea, quæ & vere transferri possunt & translata aliquam præbere utilitatem: quæ vero nequeunt in alium transferri, aut quorum translatio nullius esset utilitatis, nequeunt alienari.

Quarto *jus* a quibusdam definitur *libertas agendi aut suis facultatibus utendi, in statu vero naturæ, quantum permittit recta ratio; in statu autem civili, quantum permittunt civitatis leges*. Proinde jus hoc sensu legi quodammodo opponitur, quia jus lege coercetur, libertas naturalis legibus civilibus minuitur. At plures Jurisconsulti jubent nos omnes actiones humanas concipere tanquam *præceptas* vel *prohibitas*, vel expresse *permissas*: hanc notionem si admittas, standum erit primæ definitioni, cui congruent hæ duæ ultimæ; id jure fiet, quod secundum legem præceptivam vel permissivam fit, & jus poterit generatim definiri, *facultas homini lege concessa, ad aliquid agendum, habendum vel ab alio consequendum*.

Hobbius & *Spinosa* confundunt jus cum *potentia* & *viribus*; hoc ideo faciunt, quod nullum agnoscant legem naturalem qua libertas vel licentia coerceatur. Sed manifestum est eos pervertere communes rerum notiones; nam vulgo per *potentiam* intelligimus qualitatem physicam, *jus* vero in communi sermone semper dicit respectum ad regulam, seu est libertas relicta vel permissa a lege.

IV. *Authoritas* est *jus præcipiendi cum obligandi potentia conjunctum*. Ex supra dictis patet nos per potestatem obligandi, intelligere non cogendi potentiam, sed facultatem ea offerendi creaturis rationalibus ad agendum motiva, quibus sic interius moventur, ut rei fiant proprio judicio si parere recusent.

Hobbius l. de Cive. cap. 15. §. 5. Omnem authoritatem seu divinam, seu humanam in potentiam resolvit. Pronuntiatque jus regnandi Deo competere atque puniendi eos, qui leges suas violant, propter solam potentiam irresistibilem, neque creaturas ad obedientiam teneri nisi propter imbecillitatem. *Sic etiam, inquit, si quis inter homines cæteros potentia in tantum anteisset, ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent, ratio quare de jure suo di-*

discederet, nulla esset: Mansisset igitur jus dominii in cæteros omnes propter potentiæ excessum, qua & se & illos omnes conservare potuisset. Verumtamen potentia & vi solummodo potest cogi homo, obligatio vero perfecta, uti modo dictum est, supponit tales causas, quæ intrinsece hominis conscientiam ita afficiunt, ut ex propriæ rationis consilio agat & judicet se recte seu jure non posse resistere: & quanquam incassum sit contra vires potentioris tendere, & hoc modo gravius sibi malum arcessere; remanet tamen jus omnes tentandi vias, quibus vis alterius excuti possit. Ipseque Hobbius agnoscit bello captum quamdiu solis vinculis naturalibus constringitur, nulla teneri obligatione ad parendum, donec pactum seu fides intercesserit. Profecto si res aliter se haberet, juvenum & filiorum, propter majorem vim corpoream, in senes & parentes authoritas esset.

Quod attinet jus divinum imperandi, non est id in sola omnipotentia situm, sed illud habet Deus quia omnes possidet titulos qui ad tale jus constituendum conferre ullo modo possunt. Oritur nempe jus inter homines ab *occupatione*, vel *victoria*, vel *acquisitione* & dicitur *jus proprietatis*; ut est jus Domini in mancipium, jus victoris in bello captum: vel oritur a *beneficiis* ut jus parentum in liberos, benefactoris in beneficiatum: vel oritur ex *præstantia naturæ*, ex qua aliqui derivarunt jus hominum in belluas. Sed Deus hos omnes titulos in summo gradu possidet; nullum esse potest jus majus proprietatis, quam quod oritur ex creatione; Dominus ergo est: nulla re fruimur quam ab ejus liberalitate non accepimus; pater ergo est: si jus quoddam nascatur ex naturæ præstantia patet in Deo summum esse atque infinitum.

At præterea divinum regnandi jus multo melius a sapientia divina & ejus bonitate derivatur, quam ex supra dictis titulis: quippe jus omne lege aliqua constitutum concipimus seu a lege concessum, quod si ita sit, in æterna sapientia quæ est lex æterna & immutabilis necesse prorsus est jus fundari divinum: & certe lex illi decernit jus regnandi qui fines optimos novit, mediaque maxime idonea ad hos optimos fines obtinendos; quique propter infinitam perfectionem omnia optime moderari & vult & potest. Eadem imponit omnibus entibus rationalibus obedientiæ officium; dum ostendit hoc imperium Dei omnibus profuturum, atque idcirco omnium suffragiis esse comprobandum. Non ideo ergo Deus jus habet imperandi, quia omnipotens est; sed quia ejus omnipotens voluntas sanctissima est, æquissima, sapientissima.

ARTICULUS PRIMUS.

De Juris seu Legis naturalis existentia & in omnes homines diffusione.

JUS naturale in *digestis* lib. 1. tit. 1. de justitia & jure sic describitur: *jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari nascuntur, avium quoque commune est*. At hæc descriptio nimium generalis est, & per jus naturale intelligimus illud jus quod a Jurisconsultis Romanis vocatur *jus gentium*, quodque ab ipsis definitur in institutis lib. 1. tit. 2. *id quod naturalis ratio inter homines constituit*.

Per *jus* igitur *naturale* intelligimus *certa vivendi præcepta, quæ singulis hominibus dat ipsa natura hominis rationalis: quæ, ut ait orator, non didicimus, accepimus aut legimus; sed ex natura ipsa arripuimus, expressimus, hausimus; ad quæ non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus*. Quæ præcepta cum sint rationis dictata recte *scholastici* legem naturæ in *ratione* posuerunt, *Ciceronem* secuti qui legem naturalem sic definit: *est enim ratio, mensque sapientis ad jubendum & deterrendum idonea*. Quibus consonat *Grotius* juxta quem jus naturale est *dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem vel necessitatem moralem, ac consequenter ab authore naturæ Deo talem actum aut vetari aut præcipi*.

Jus

Jus hoc in rationis dictatis positum dicitur *naturale* ob duplicem causam: primum quia naturalibus hominis facultatibus innotescit atque ab ipsa quodammodo natura promulgatur. Deinde etiam quia jus naturale in rerum naturis fundatum est, nec suam habet obligandi vim ex arbitraria & positiva legislatoris voluntate: in quo jus naturale differt a jure *voluntario* seu *positivo*, etiam divino: nam hujus præcepta in se indifferentia, vim habent obligandi ex positiva Dei institutione; & qua authoritate lata sunt, eadem possunt immutari.

Cum legis stricte sumptæ, ut supra notatum est, tres sint præcipue proprietates: nempe ut sit regula agendorum clara & apud omnes promulgata; ut sit profecta a voluntate superioris: ut tandem sit sanctione pœnarum & præmiorum confirmata: illas præceptis naturalibus convenire sequentibus articulis astruemus. Jam olim illas rationi adscripsit *Cicero* in illo pulcherrimo loco quem ex libro de republica deperdito servavit *Lactantius* instit. divin. lib. *6.* quem hic describere operæ pretium est, cum ea omnia contineat quæ sunt a nobis in hac secunda sectione disputanda. *Est vera lex*, ait, *recta ratio*, *naturæ congruens*, *diffusa in omnes*, *constans*, *sempiterna*, *quæ vocet ad officium jubendo*, *vetando a fraude deterreat*, *quæ tamen neque probos frustra jubet & vetat*, *nec improbos jubendo aut vetando movet*. *Huic legi nec obrogari fas est*, *nec derogari ex hac aliquid licet*, *neque tota abrogari potest*. *Nec vero aut per senatum*, *aut per populum solvi hac lege possumus*, *neque est quærendus explanator aut interpres ejus alius*. *Nec erit alia lex Romæ*; *alia Athenis*; *alia nunc*; *alia posthac*: *sed & omnes gentes & omni tempore una lex & sempiterna & immutabilis continebit*; *unusque erit communis quasi magister & imperator omnium Deus*; *ille legis hujus inventor*, *disceptator*, *lator*; *cui qui non parebit ipse se fugiet & naturam hominis aspernabitur*; *hoc ipso luet maximas pœnas*, *etiamsi cætera supplicia*, *quæ putantur*, *effugerit*.

Fuere inter vetustissimos Philosophos non pauci qui ab opinione jus omne ortum existimarunt, nullum esse inter bonum & malum morale discrimen putarunt, negaruntque quidquam natura justum vel injustum, honestum aut turpe esse. *Callicles* apud *Platonem* sic *Socratem* alloquitur; *veritas*, *o Socrates*, *ita sese habet*; *luxuria*, *intemperantia*, *licentia*, *modo facultas suppetat*, *virtus est atque felicitas*. *Cætera vero ista speciosa præter naturam adinventa*, *hominum deliramenta sunt*, *nugæque penitus contemnenda*. Docebat etiam *Carneades*, jura sibi homines pro utilitate sanxisse: scilicet varia pro moribus & apud eosdem pro temporibus sæpe mutata, jus autem naturale esse nullum: omnes & homines & alias animantes ad utilitates suas, natura ducente ferri, proindeque aut nullam esse justitiam, aut si sit aliqua, summam esse stultitiam: quoniam sibi noceret alienis commodis studens. Ita etiam disputabant *Archelaus*, *Aristippus*, *Epicurus*, *Pyrrho* & alii plures, quos recentiores quidam nostris temporibus secuti sunt.

1. *Spinosa* in tractatu Theologico-Politico, c. *16.* habet: *per jus & institutum naturæ nihil aliud intelligo*, *quam regulas naturæ uniuscujusque individui*, *secundum quas unumquodque ut naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum & operandum*. *Exempli gratia*, *pisces a natura determinati sunt ad natandum*, *magni ad minores comedendum*; *adeoque pisces summo naturali jure aqua potiuntur & magni minores comedunt . . . . nec hic ullam agnoscimus differentiam inter homines & reliqua naturæ individua*, *neque inter homines ratione præditos & inter alios qui veram rationem ignorant*, *neque inter fatuos*, *delirantes & sanos*. *Quod enim unaquaque res ex legibus suæ naturæ agit*, *id summo jure agit*; *nimirum quia agit prout ex natura determinata est*, *nec aliud potest*. *Quare inter homines*, *quamdiu sub imperio solius naturæ vivere considerantur*, *tam ille qui rationem nondum novit*, *vel qui virtutis habitum nondum habet*, *ex solis legibus*

gibus appetitus summo jure vivit, quam ille qui ex legibus rationis vitam suam dirigit: hoc est sicuti sapiens jus summum habet ad omnia quæ ratio dictat, sive ex legibus rationis vivendi; sic & ignarus & animi impotens summum jus habet ad omnia quæ appetitus suadet, sive ex legibus appetitus vivendi...., jus itaque naturale uniuscujusque hominis, non sana ratione sed cupiditate & potentia determinatur .... Quidquid itaque unusquisque qui sub solo naturæ imperio consideratur, sibi utile vel ductu sanæ rationis vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetere, & quacumque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocumque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet; & consequenter pro hoste habere illum, qui impedire vult quominus animum expleat suum. Proindeque juxta hunc autorem, ut & ipse alio loco scripsit, *bonum & malum nihil positivum in rebus indicant; sed homines illas boni & mali, ordinis & confusionis notiones sibi efformarunt, postquam sibi persuasissent omnia quæ fiunt propter ipsos fieri: tunc in unaquaque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipsis utilissimum, & illa omnia præstantissima æstimare, a quibus optime afficiebantur*. Hæc Spinosa, quem ideo primum nominavimus, quoniam omnes alios temeritate & insania vincit.

2. *Hobbius* quem in multis imitatus est *Spinosa*, ad tollendas leges naturales aliam viam secutus est. In initio libri sui, qui de *cive* inscribitur, negat hominem esse animal *politicum* seu ad societatem aptum natum: *eorum*, *inquit*, *qui de rebus publicis aliquid conscripserunt, maxima pars vel supponunt, vel petunt, vel postulant, hominem esse animal aptum natum ad societatem; eoque fundamento ita superædificant doctrinam civilem tanquam ad conservationem & totius generis humani regimen nihil aliud opus esset, quam ut homines in pacta & conditiones quasdam, quas ipsi tum leges appellant, consentirent. Quod Axioma, quamquam a plurimis receptum, falsum tamen, errorque a nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est*. Si *Hobbius* per societatem nihil aliud intelligeret, nisi *confœderationes civiles & politicas*, ut in nota ad hunc locum se intelligere simulat, minus alienus esset a ratione: sed ipsius ratiocinia omnem omnino tollunt inter homines naturalem conjunctionem mutuaque omnia officia. Nam 1. Docet homines naturaliter sibi invicem esse infestos; *voluntas lædendi*, *ait*, *omnibus inest in statu naturæ*. Immo homines vult esse natura ferociores lupis, ursis & serpentibus; ideoque eorum statum naturalem esse statum belli, omnium contra omnes; singulos in ista conditione perpetuo intentos esse in aliis seu fraude seu vi seu quovis alio modo præoccupandis, *quia*, *ait*, *securitatis viam meliorem habet nemo anticipatione*: vel ut alibi scribit: *spes unicuique securitatis conservationisque suæ in eo sita est, ut viribus artibusque propriis proximum suum palam vel ex insidiis præoccupare possit*. 2. Asserit consequenter ad hæc principia, in illo statu naturæ licuisse cuilibet facere quæcumque & in quoscumque libebat, neque lege ulla impeditam fuisse libertatem; adeoque nihil fieri potuisse injustum, nemini inferri injuriam. 3. Statuit primam & fundamentalem naturæ legem hanc esse, propter sui conservationem quærendam esse pacem ubi haberi potest, quæ cum juxta illum authorem nonnisi pactis iniri queat, *lex naturalis est*, *ait*, *pactis standum esse & fidem servandam*; ex quo, 4. concludit regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & turpis, esse leges civiles: quod legislator præceperit id pro bono, quod vetuerit id pro malo habendum esse; *ideoque ait*, *si lex civilis jubeat invadere aliquid, non est illud furtum, adulterium*, &c. Immo civitati in omnibus obedire quisque tenetur, sive in iis quæ spectant cultum divinum, vel vitæ institutionem, aut etiam speculativas opiniones: *quoniam ad civitatem*, *ait*, *pertinet etiam christianam*, *quid sit justitia*, *quid injustitia determinare*. Hinc & aliud ejus dictum *nulla lex injusta esse potest*.

Tota hæc Hobbii doctrina inventa olim fuit

fuit a vetustissimis Atheis, ut videre licet apud *Platonem* de *Rep. lib.* 11. *p.* 358. *edit. Ficini*, *p.* 422.

3. Horum insistens vestigiis author libri recentioris, qui inscribitur *apum fabula*, demonstrare summo studio conatus est virtutem nequaquam esse naturalem hominis habitum, neque illam esse ex omni parte utilem humanæ societati, sed *privatorum vitia publica esse beneficia*. Etenim contendit virtutem a politicis & artificiosis hominibus primum introductam esse, ut homines natura disjunctos neque aptos societati in unum colligerent & copularent: ad informandos autem virtutum notionibus hominum animos adulatione usos esse primos Legislatores, & persuasisse hominibus esse se natura a belluis multum separatos, ac naturæ humanæ excellentia non in appetitu qui sibi cum belluis communis est, sed in ratione & virtute positam esse: vere excellentis naturæ eos esse & omni laude dignissimos, qui appetitus coercerent, & postpositis propriis utilitatibus studerent publicis commodis; fortiorem esse, qui se quam qui fortissima vincit mœnia; atque in hac sui ipsius despicientia positam esse animi excelsitatem. Propter hanc quam sibi finxit author hic virtutis originem, illam vocat *superbiæ ex adulatione conceptam prolam*. Existimat omnes homines in has fictas notiones consensisse variis adductos motivis: sapientes vero & peritos, quod illas necessarias putarent ad reipublicæ pacem & incolumitatem; multitudinem simplicem & rudem, quia revera delusa est; improbos etiam, quia inter communes hasce virtutum notiones privata sua commoda felicius promovere posse se arbitrabantur. Simili fere modo religionis originem explicaverat Sextus Empiricus.

PROPOSITIO.

Est lex naturæ nostræ congruens, diffusa in omnes, quæ vocat ad officium jubendo, vetando a fraude deterret.

PROBATIO.

ARGUMENTUM primum ex sensibus, affectionibus & facultatibus naturæ humanæ.

1. Est quidam *justi & iniqui sensus* omnium hominum animis a natura insitus, ut supra notatum est: nam est quædam vitæ ratio quam necessario probamus; sunt quædam vivendi principia tam evidentis æquitatis & sapientiæ, ut ab illis admittendis temperare nemo possit, quæ temporum omnium & locorum omnium communia sunt, quæ doctis & indoctis sponte innotescunt. Qualia sunt illa, suum cuique tribuendum, fidem servandam, beneficiis gratum animum deberi: *quæ autem natio, ut ait* Cicero, *non comitatem, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? Quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* Sensum hunc moralem nobis inesse conscientia intelligitur, argumentis demonstrare vane contenderemus: est quippe analogus illi intuitivæ veritatis perceptioni, quæ omnis est scientiæ fundamentum; aut illi gustus sensationi, qua cibos distinguimus; ac sicut sublata illa intuitiva veritatis perceptione, nullam haberemus veritatis & falsitatis notionem; neque sine illa gustus sensatione essent ulli sapores: sic sublato illo justi atque iniqui, honesti & turpis sensu, nulla esset vocabulorum illorum vis & potestas: hic sensus tam naturalis est, tam constans & uniformis, ut nullis possit præfocari præjudiciis, aut passionibus extingui; ejus sanctissimum judicium nullis præmiis corrumpi potest; viget in sceleratissimis hominibus, quibus ita gratiosa virtus est, ut invite probent meliores.

2. *Ratio* habet potestatem legis proprie dictæ: nam ad hoc duo requiruntur, ut sit ratio cuique homini in actio-

nibus suis perpetuus & domesticus monitor, & ut moneat cum authoritate. Atqui primo ratio quemque in instituenda vita & in singulis ferme actionibus monet: quia hujus facultatis vi quisque vel invitus percipit rerum relationes ac suarum actionum effectus & consequentias, earumdemque cum finibus, quos sensus naturales probant, convenientiam vel disconvenientiam. Hæc nisi quisque perciperet non esset rationalis, ageret impetu cæco, more belluarum, sine consilio. Si autem has convenientias percipit: ergo ratione dirigitur; cum dirigi, sit doceri quibus mediis fines attingi possunt, quos sibi aliquis proponit.

Secundo vero ratio monet cum authoritate, seu, quod idem est, rationis dictata necessario & naturaliter approbamus: quia hæc approbatio a perceptione convenientiæ actionis alicujus cum finibus nostris, v. g. cum felicitate separari nequit; tunc enim idem sensus qui probat finem, necessario etiam probat media ad finem conducentia. Quapropter quoties homo propter animi perturbationem non agit juxta perceptas rerum relationes, secum ipse divisus est; ex partibus quodammodo dissentientibus componitur, ex quarum conflictu angores sequuntur & ægritudines animi. Ergo cum homo rationis monita nequeat contemnere quin naturam hominis aspernetur & ipse se fugiat, est naturæ lex ratio, quæ vocat ad officium jubendo, vetando a fraude deterret.

3. Est in singulis hominibus *conscientia*, per quam intelligimus non justi & iniqui apprehensionem, neque judicia rationis, sed meriti & demeriti sensum, innocentiæ & delicti conscientiam; suavem illam jucundamque voluptatis affectionem, quæ vitam juxta rationis dictata institutam comitatur semper, terroresque illos & metus graves, quibus perturbantur & eliduntur ii, qui magistram vitæ rationem sequi recusant. Hanc innocentiæ & delicti conscientiam inesse singulis hominibus neque ab ipsis impiis & Atheis abesse confitetur *Lucretius* in his sequentibus initio libri tertii.

Nam quod sæpe homines morbos magis esse timendos,
Infamemque ferunt vitam, quam Tartara lethi,
Et se scire animi naturam sanguinis esse;
Nec quidquam prorsus nostræ rationis egere;
Hinc licet advertas animum magis omnia laudis,
Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
Jactari causa, quam quod res ipsa probetur.
Extorres iidem patria, longeque fugati
Conspectu ex hominum fœdati crimine turpi
Omnibus ærumnis affecti denique vivunt;
Et quocumque tamen miseri venere parentant,
Et nigras mactant peduces & manibus divis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis
Acrius advertunt animos ad Relligionem.
Quo magis in dubiis hominum spectare periclis
Convenit, adversisque in rebus noscere qui sit;
Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur & eripitur persona, manet res.

Malos igitur confitente Atheismi defensore insectantur furiæ, non ardentibus tædis ut in fabulis, sed angore conscientiæ & fraudis cruciatu; dumque omni metu solutos se prædicant, induunt personam, quæ in rebus acerbis eripitur. Atqui hæc involuntaria sui condemnatio arguit inter bonum & malum morale discrimen ab ipsa natura positum: alias cur homines mali proprias condemnarent actiones & sibi ipsis irascerentur? Cur supposita futura vita arbitrantur sibi potius pertimescendum, quam bonis; se potius Divini Numinis iracundiam experturos, quam pios & honestos? Unde horum fidu-

ducia, illorum diffidentia? Cur non suspicamur mali Deum ipsis favere & honestos pœnis esse affecturum? Si illi quos dicimus malos vivant sapienter, si naturæ pareant, si rationi uti contendunt obtemperent sua quærentes commoda, cur tantæ ægritudines, tantæ anxietates? Certo credant Deum nedum ipsis succenseat potius esse remuneratum. Sed si cogitare nequeamus Deum honestis inimicum, malorum patronum; ergo dividit & separat malos a bonis hominis natura, & consequenter etiam actiones hominis natura ipsa dijudicantur.

4. Sensui interno, rationi & conscientiunt *naturales* hominis *propensiones*. Nam si particulatim consideremus omnia vitæ officia sive adversus Deum, sive erga nosmetipsos, sive erga alios, nullum est quod aliqua propensione naturali nobis non sit commendatum. Primo nequimus cogitare excellentissimam Dei naturam & perfectiones infinitas, quin admiratione teneamur, & ad augustissimi Numinis *adorationem* sponte procumbamus: nec liberalem ejus & effusam in creaturas suas bonitatem, quin *gratos* experiamur pro beneficiis acceptis *sensus*: nec præsidem Deum supra & circa nos stare, factorum dictorumque censorem sine *observantia* & *reverentia*: alias unde factum est, ut omnes gentes in colendo Deo consenserint? Sic etiam secundo insitis naturæ affectibus cum aliis hominibus conjungimur & ad mutua officia inclinamur. Inest omnibus hominibus generalis benevolentia & gratuita bonitas, cujus tanta vis est, ut ignotis periclitantibus ultro sucurramus & naturali commiseratione in omnium miserorum opem commoveamur. Hunc sensum omnibus inditum esse probat plausus ille quo in theatro Romano exceptum fuisse legimus hunc Poetæ comici versiculum: *Homo sum*, *humani nihil a me alienum puto*. Præterea prolis amor in parentibus & liberorum mutua pietas, amor patriæ, amicitia, gratitudo, & aliæ omnes benevolæ affectiones, in quibus est posita omnis vitæ felicitas, ad officia nos ducunt gratuita, etiam cum jactura nostrorum commodorum & vitæ quoque periculo. Hisce affectionibus nullo modo contrariæ sunt cæteræ omnes, ut pudor & verecundia, honoris sensus, existimationis & gloriæ cupiditas, ex malorum prospera fortuna indignatio, immo vero confirmant naturalia officia. Tertio, denique quemque sibi commendari a natura & excitari ad quærenda ea quæ sunt conservantia sui status & ejusdem perficientia nullus dubitat. Ergo nullum est officium quod nobis non commendatur non solum a ratione, sed ab appetitu, & nullus est naturæ instinctus, vel inclinatio, vel passio, quæ si sit temperata vitæ humanæ non afferat utilitatem.

Et vero lex naturæ omnis caritate in omnes diffusâ continetur, rationisque dictata omnia, diligere alios & benefacere præcipiunt. Atqui ad diligendum & benefaciendum inclinare maxime propensiones naturales, ex eo patet, quod mentem quadam perfundant suavitate; & per se ac sua sponte comprobentur omnes motus benigni. In iis quisque sibi placet; lubens iisdem, tanquam naturæ accommodatis, indulget, & similes quoque in aliis comprobat & veneratur: contrarii autem motus ut ira, odium, invidentia, ultionis appetitio & malevolentia omnis, sunt proxime & per se molesti; in iis recordandis nemo sibi placet, aut similes in aliis comprobare potest. Præterea, ut observavit *Cartesius* in tract. de passionibus, amor ad optimum corporis habitum multum conducit: odium quædam tristitia est inimica naturæ, quæ cor contrahendo liberum sanguinis fluxum impedit.

Tandem ipsæ corporis habilitates & motus spontanei indicant, quid naturæ congruat, quid non congruat? Quanta vultui venustas accedit ex amica lætitia, socia hilaritate, lætaque sympathia & gratulatione? Quanta pulchritudo ex animo sedato & constanti, sibi recte conscio, atque ex interna sui comprobatione! In amici vultu ejusque qui grato beneficii sensu movetur, quæ gratia, quamque mitis flamma ex benignis emicat oculis! Si e contrario intentetur injuria

ubi ejusdem propulsandæ spes est, in vultu torvo se prodit ira, trucibus ex oculis ignes coruscant terribiles. Si mali avertendi spes nulla est, quanta eloquentiæ vi instruxit natura non homines solum, sed & muta animantia, prementе tristitia, dolore, vel metu graviore! Qualis illa vox flebilis & querula, qualis vultus oculique mœsti & dejecti, suspiria, lacrymæ, gemitus! Quanta eorum omnium vis ad commiserationem apud omnes excitandam, quo promptius opem ferant vel ab incepta injuria abstineant! Nulla ergo pars est humanæ naturæ, ex qua leges naturales non possimus colligere.

Argumentum secundum. Ex observatione in aliorum hominum ingenium & mores.

1. Certissima est illa *Socratis* & *Platonis* observatio, nullum esse juvenem rudem & omni vacuum præjudicio, qui, si recte & methodice seu de rebus speculativis seu de practicis morum regulis interrogetur, non apte respondeat: ex quo experimento alii concludebant scientiam esse reminiscentiam; alii vero concludunt veritates primas, tum eas quæ ad vitam pertinent humanam, innatas esse & a prima origine insitas: hoc saltem sequitur, esse rerum relationes in ipsa natura fundatas, earumque convenientias & disconvenientias non ex alicujus arbitrio fingi, sed ab ipsa natura edoceri.

2. Constat experientia perditos homines, qui sua commoda sine honestate & pudore prosequuntur, æquum ferre judicium de aliorum hominum actionibus: ex quo concludit *Plato lib.* 2. de legibus, divinam esse virtutis vim quæ nulla vinci potest morum perversitate.

3. Experimur flagitiosos & sceleratos homines aliquam virtutis rationem habere: *nam, ut ait* Cicero, *quis est aut quis unquam fuit aut avaritia tam ardenti, aut tam effrænatis cupiditatibus, ut eandem istam rem quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese etiam omni impunitate proposita sine facinore quam illo modo pervenire.* Ergo improbitatem refugit vel ipsa natura corruptissima.

4. Nullus est qui suas actiones etiam turpissimas defendere non studeat & illis recti speciem induere. *Impiorum nemo, ut habet Cicero, tam audax unquam fuit, quin aut abnueret esse commissum a se facinus, aut justi sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a naturæ jure aliquo quæreret.*

Rationes has pulchre complexus est *Seneca* de Ben. l. 4. c. 17. *Placet, inquit, suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis, probare meliores. Quis est qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis quæ impotentissime fecit speciem aliquam induat recti? velit quoque iis beneficium dedisse, quos læsit? gratias quoque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur, bonosque se ac liberales fingunt; quia præstare non possunt. Quod non facerent, nisi illos honesti & per se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quærere & nequitiam abdere, cujus fructus concupiscitur, ipsa vero odio pudorique est: neque quisquam tantum a naturali lege descivit, & hominem exuit, ut animi causa malus sit. Dic ergo cuilibet ex istis qui rapto vivunt, an ad illa quæ latrociniis & furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? optabit ille, cui grassari & transeuntes percutere quæstus est, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitiæ præmiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum præmittit, etiam qui non sequuntur illam, vident.*

Argumentum tertium ex testimonio hominum. Populorum consensio naturæ vox est, sapientum omnium authoritas maximum veritatis argumentum est. Sed esse legem naturalem & insitas a natura justi & injusti notiones omnes populi agnoverunt, omnes sapientes & legislatores putarunt. *Hanc, video, inquit Tullius de legibus lib.* 2. *sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam nec scitum aliquod esse*

po-

populorum, *sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret*, *imperandi prohibendique sapientiam*. Plura testimonia ex Philosophis & Poetis congerere, in re tam clara supervacaneum videtur.

CONFUTATIO SCEPTICORUM.

Objicies cum *Sexto Empirico & Scepticis*: est jus omne non a natura sed ab opinione ortum, & illa vivendi praecepta, morumque principia, quae naturae leges dicuntur, ad naturam minime pertinent, nihilque aliud sunt quam praejudicatae infantiae & educationis opiniones ad quas docti & instituti sumus.

Respondeo, prudentem & sedulam institutionem multum valere ad explicandas leges quibus a natura imbuti sumus, ad evolvendas complicatas animi notiones; multum conferre ad primarum intelligentiarum & scientiae seminum incrementum: *doctrina sane vim promovet insitam*, *rectique mores pectora roborant*. Sed si nulla sit naturae vis, qui fit ut notiones justi & iniqui tam generales sint, tam alte mentibus insideant, ut extirpari nequaquam possint? nam *opinionum commenta delet dies*, *naturae tantum judicia confirmat*. Exuuntur certe a viris Philosophis, quae nonnisi ab infantia ac institutione vim acceperunt opiniones, sed ista naturae praecepta quo magis excutiuntur & ponderantur a viris attentis & meditationi assuetis, eo magis sese illis commendant, eo solidioribus nixa fundamentis altiusque infixa mentibus deprehenduntur.

Instabis: si essent ullae naturae leges, essent illae ab ipsa mentis origine animis nostris innatae; essent universales & omnibus hominibus per se notae; essent in omni aetate uniformes atque constantes. Nam quod naturale est hisce dignoscitur criteriis: ab ipsa rei origine in illa apparet & conspicuum est: omnibus convenit naturae individuis seu plane universale est: immutabile est, naturamque semper eodem modo afficit, nec in diversis dispar & dissimile esse potest: sic, v.g. feli naturale est muribus infestum esse; naturale est malo aureae ferre mala; arborea; naturale est homini videre, sentire. Atqui nullum est vitae moralis principium, cujus semper conscii fuimus; de quo inter omnes conveniat; quodque in omni aetate constanter & uniformiter receptum fuit. Sunt quippe quidam homines, qui ferarum more nihil aliud habent in animo quam ut vitam corpusque tueantur & qui de Deo, aut religione, de virtute aut vitio numquam cogitarunt: Richier in Ep. quae est inter Epistolas Calvini 237. de *Brasiliensibus* scribit. *Bonum a malo non secernunt; vitia, quae natura in caeteris gentibus arguit, loco virtutis habent; saltem vitiorum turpitudinem non agnoscunt; adeo ut hac in re a brutis parum differant. Caeterum quod omnium perniciosissimum est, latet eos an sit Deus, tantum abest ut legem ejus observent, vel potentiam & bonitatem ejus mirentur. Quo fit ut sit nobis prorsus adempta spes lucrifaciendi eos Christo, quod ut omnium est gravissimum, ita inter caetera maxime aegre ferimus*. Legimus etiam apud *Thevenotium* quemdam esse Asiae populum, apud quem statim ac desperatus est aegrorum status & morti proximi creduntur, mos est illos extra domum projicere, ubi aeris inclementiae expositi misere intereunt: memorantur & alii populi, qui foeminas bello captas pro concubinis servant & liberos ex illis genitos ad annum usque decimum tertium saginatos, tandem mactare & manducare consueverunt; eandemque sortem experiuntur miserae matres, ubi liberos gignere desinunt. Alia multa ejusdem generis nec minus a nostris usibus abhorrentia apud historicos & peregrinatores legi possunt. Nulla sunt ergo praecepta vivendi, quae ad naturam humanam pertinent, sed opiniones omnes animis nostris adhuc teneris instillantur & consuetudine roborantur.

Respondeo 1. nego majorem. Falsa quippe sunt illa naturae criteria, quod scilicet quodcumque naturale est, illud debeat in rei origine deprehendi; esse omnibus per se notum; aut esse omnino constans & uniforme.

1. Enim

1. Enim sunt plura insita in natura, quæ non nisi post certas temporum periodos explicantur, adolescunt & conspicua evadunt: sic arbores non statim folia, flores & fructus explicant; nec nisi post confirmatam ætate stirpem: nemo tamen negaverit fructus cujuslibet arboris proprios illi esse naturales. Multæ sunt etiam in hominibus sicut in cæteris animantibus propensiones, quæ in primo ortu conspicuæ nequaquam sunt, quæ tamen labentibus annis nascuntur & quandam accipiunt maturitatem. Quamvis ergo præcepta vivendi menti nostræ non innotescant, nisi post confirmatam annis ætatem, non minus nota naturaliter dicenda sunt.

2. Id omne quod naturale est, non propterea est omnibus per se notum: quamvis nulla esset opinio, nullum vitæ moralis principium, in quo omnes conveniunt, tamen ex eo minime sequitur non esse legem naturæ nostræ congruam, & principia vitæ moralis naturalia. Nam ut non discedamus ab exemplo jam proposito & ad elucidandum hanc materiam aptissimo, certe naturale est malo aureæ ferre mala aurea; sed si plantetur in Septentrionalibus Europæ plagis non gemmabit, non induet se in florem, non fructum dabit; in Gallia nostra cum magno cultu fructus feret mediocres: sed in Lusitania sponte & sine cultura fructum explicabit pulcherrimum. Itaque licet ad naturam illius arboris pertineat mala ferre aurea, tamen ad florum fructusque explicationem conferunt soli humor, cæli temperies, hominis labor & cultura. Idem dicendum est de mente humana, parvulos dedit nobis natura igniculos, ut loquitur *Cicero*, quos multi celeriter malis moribus & opinionibus depravatis sic restinguunt, ut nusquam naturæ lumen appareat. Fovenda sunt quæ dedit natura scientiæ semina, attentione & meditatione explicanda sunt, tum adolescere illa videmus & perfectam assequi ætatem.

3. Ut aliquid naturale censeatur non debet esse omnino constans & uniforme: quamvis enim divini Numinis cultus varius sit apud varias gentes; varia sit apud varios populos forma regiminis; non exinde sequitur nos ad cultum religiosum & societatem civilem non esse naturaliter inclinatos. Quid tam naturale quam oratio? Quam diversa tamen apud varios populos obtinuit. Ergo potest esse aliquid naturale quod ab origine non fuit conspicuum, quod ab omnibus cognitum non fuit, nec in omnibus est uniforme (*Vide Berkeley alcyphron vel min. phil.*).

Sed quoniam hoc ex opinionum varietate argumentum adversariis nostris videri solet palmare & invictum, fusius discutiendum est, monstrandumque unde oriatur hæc opinionum varietas & in hominum moribus & institutis dissensio. Accepit enim a natura homo, non solum sui corporis conservandi curam, sed etiam ornandi animi; nam ut corpus natura imbecillum est, & non nisi exercitiis cibisque convenientibus roboratur; sic & animus angustis a natura primum constrictus limitibus, meditatione cogitationes profert, nutritur veritatis studio, contentione & ingenii exercitationibus confirmatur. Si vitam agimus more belluarum subitis sensuum acti impulsibus, sine ulla de vitæ summa deliberatione, nulla erit in vita constantia, & figura magis quam vitæ ratio nos ab animantibus dividet. Mens humana itaque in ortu primo tabula est fere rasa, quam sculpere debemus; terra est, ferax quidem, veritatis atque virtutis sata seminibus; sed quam fodere atque exercere oportet. Non sunt certe sic innatæ omnium hominum animis ideæ aut ingenita vivendi principia, ut eadem omnium hominum mentibus sponte obversentur; sed rerum notiones successive ex usu facultatum & ex meditatione accipimus: illæque ideæ solum sunt omnibus hominibus communes, quæ per sensus irruunt quodammodo in animos; illæ vero quas meditatione accipimus, possunt quamplurimis nunquam innotescere: ex. gr. qui rebus mathematicis nunquam dederunt operam, nullam habent cognitionem proprietatem *parabolæ* aut *hyperbolæ*, atque illa.

illa propositio evidentissima, *in circulo linea ordinata ad diametrum est media proportionalis inter duas diametri abscissas*, nullam habet significationem pro innumeris hominibus, qui de *diametro*, *abscissa*, & *media proportionali* non audierunt: nec intellectis terminis veritas hæc statim innotescit. Possunt alii rerum multo magis evidentium ignoratione laborare: sic quamvis vix ulla veritas sit, quæ clarior est entis summe perfecti & infiniti existentia; tamen ille qui rebus intenderet, nisi quantum ad vitam tuendam inservire possunt, neque admirabilem rerum ordinem & divini consilii vestigia, neque sui animi virtutes & abstractas notiones contemplaretur; diu vivere posset sine distincta cogitatione entis perfecti. Neque solum homines quandoque non consequuntur cognitionem illarum veritatum, quæ quandam idearum seriem & complexionem postulant: sed nec duarum simplicissimarum convenientiam cernunt; quia ipsis nunquam accidit duas illas ideas secum componere & uno complecti cogitatu. Sic quamvis naturalis sit & valde evidens scientia numerorum; tamen memorantur aliqui populi, qui ad numerum vigesimum vel decimum calculos tantum inire solent. Quamobrem si qui homines sint aut integræ etiam nationes, qui rationem haudquaquam coluerint, admirationem nostram habere non debet quod multa ignorent moralis philosophiæ principia, seu speculativa, seu practica. Verumtamen sicut non minus pertinet ad naturam soli feracis, ut arboribus nutriendis aptum sit, licet subactum esse debeat; ita neque ad hominis naturam minus pertinent leges naturales, quod non nisi illis mentibus innotescant, quarum facultates meditatione vel doctrina sunt explicatæ. Ut principia quædam vitæ moralis dici possint naturalia, sufficit ut attentas mentes sua percellant evidentia, & ut illis semel perceptis constanter & immobiliter ab omnibus adhæreatur: ridicule certe ex hominum ignorantia ducitur argumentum; & ut aliquam possit habere vim ad convellendam nostram conclusionem opinionum inter homines varietas, ostendendum esset dissensionem non minorem esse inter eos, qui ad veritatis investigationem animos ingenuos & veri cupidos contulerunt. Ut ait *Aristoteles l. 2. pol. quid naturale sit, spectandum in his qui bene secundum naturam se habent, non in depravatis*.

Respondeo 2. nego minorem. Multa enim a veritate valde remota narrare solent itinerum scriptores; neque facile crediderim uspiam esse mortalem aliquem omni sensu honestatis vacuum aut divini Numinis metu solutum. Illi quorum testimonio nituntur assertiones in objectione positæ temere plerumque pronuntiant de illis populis, quorum sermonem & mores, animique cogitata intelligere non potuerunt; aut etiam eos malitiose calumniati sunt, quod supra confecimus ubi de consensu nationum circa Dei existentiam. Legimus ipsos Judæos & Christianos, quorum disciplina cæterarum gentium religionibus sanctitate tantopere præstat, a multis olim Gentilibus Atheisticæ impietatis & maximorum scelerum accusatos fuisse.

Pleræque illæ etiam consuetudines, quæ ab æquitate & humanitate nobis alienissimæ videntur, recta quidem principia supponunt, sed perperam & contra omnem rationem ad rem aptata. Sic qui ægros morti proximos atque desperatos aeris exponunt inclementiæ, aut quod verius est in suis tuguriis deserunt, sic agunt ex humanitatis & commiserationis sensu, ipsis ægris rogantibus, ne scilicet eorum languor producatur, finemque citius doloribus insanabilibus imponant. Quod de fœminis bello captis, eorumque liberis ad cædem & epulas saginatis refertur, valde est incredibile, eoque magis quod ex aliis relationibus noverimus plerotsque barbaros, qui hostium carne vescuntur, illas ingratas epulas sine voluptate parare, ultionis causa & ex vana gloria, ut par hostibus referant. Præterea fortassis apud illos populos, qui omni carent industria & arte, difficile victus comparatur atque ad sustentandam suam & suorum vitam hæc in hostes crudelitas

tas quodammodo necessaria est. Quid non suadet dira fames?

Instabis 2. Atque non solum apud barbaras gentes obtinet illa opinionum varietas & perversitas morum; sed etiam in illis regionibus, quæ legibus gubernantur, magna est in religione & institutis diversitas: immo etiam in iis ubi artes & scientiæ maxime floruerunt, in Græcia scilicet & Romana Republica, ubi tot ac tanti viri in rerum divinarum investigatione & recludendis doctrinæ moralibus fontibus assidue laborarunt, fuerunt tamen tam variæ tamque discrepantes sententiæ circa Dei naturam, summum bonum & alia morum fundamenta, ut illas dinumerare molestum sit, & *Cicero* concluserit prudenter a rebus tam incertis *Academicos* assensionem cohibuisse.

Respondeo in illis Gentibus, quæ legibus gubernantur illam varietatem opinionum non esse plerumque circa moralis vitæ principia practica; vel si fuerunt quædam perversa apud quasdam gentes instituta, uti apud *Carthaginenses*, qui liberos suos Diis immolare solebant, ex populi stupiditate & ignorantia primum orta consuetudine robur acceperunt. Sicut enim malos corporis habitus ex aliorum imitatione contrahimus, ita quoque & pravi habitus cogitandi quandoque ingenerantur, ideasque sociamus aliquando, quæ nullam habent convenientiam; quia sic sociatas a magistris vel parentibus accepimus. Raro vulgus hominum suum adhibet judicium, sed id habet ratum, quod ab iis quos probat judicatum videt. Ut habet Cicero: *multi ante tenentur adstricti quam quid est optimum judicare potuerunt; deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus quem primum audierunt oratione capti de rebus incognitis judicant: ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam quasi ad saxum adhærescunt*. Certe falsa erat illa divinæ justitiæ notio in illis hominibus, qui illam cæde hominum placari existimabant; sed hunc errorem cum lacte suxerant, neque eum ad examen revocare unquam in mentem incidit, aut vetabat superstitio. Attamen illæ falsæ idearum conjunctiones fortuitæ omnino sunt, constantes esse nequeunt; veritas sola immota est, sola est naturalis; eum in rerum fundata sit naturis, & ab ea semel percepta nequaquam divelli possimus.

Quod vero attinet Philosophos & Legislatores, constat eos non nisi circa res obscuriores dissensisse. Nam non sunt omnes vitæ regulæ æqualiter certæ; justi & æqui limites, quandoque difficile determinantur. Sunt quædam vitæ instituta, quæ primo intuitu vel naturæ nostræ congruentia & æqua videntur, vel ab omni ratione aliena: neque confundi magis possunt opposita hæc vivendi principia, quam duo vividissimi colores. Sed in rebus minoris momenti & conclusionibus magis remotis a generalibus morum principiis magna potest esse ambiguitas: uti si duos vel tres colores misceas, tandem efficies ex æquali fere illorum mixtura colorem medium, in quo nequaquam poteris deprehendere, quinam è duobus vel tribus coloribus majore copia contineatur. Sunt quædam certe quæstiones de quibus varie statuerunt Legislatores: v. g. de uxoris repudiandæ libertate, de consaguineorum matrimoniis, de pecuniæ locatione & usura, de vi jurisjurandi per vim extorti, & cæteris ejusmodi; quia habent hæ quæstiones varios aspectus, neque omnino evidens est, quid semper & in singulis circumstantiis præscribat ratio, aut quid magis conferat ad societatis communem utilitatem: sed primum & fundamentale vitæ civilis principium, nempe quærendum esse bonum publicum; & officia omnia justitiæ & charitatis a Legislatoribus omnibus commendata sunt. Lex illa Spartiaca, quam afferre solent in exemplum adversarii, quæ permittebat junioribus fraude subripere aliorum res, præsertim edulia, data a *Lycurgo* ad excitandam civium vigilantiam & ad adolescentum acuendam industriam, & ut discerent a peritia noctu vigilare, interdiu fallere, struere insidias, exploratores habere, & sic

sic adulti bello essent utiliores, quantumvis sit ridicula, injusta tamen non fuit; nam leges circa bonorum proprietatem non sunt immutabiles, nec illæ subdolæ subreptiones crimen habebant furti; cum lex ista facta fuerit consensu civium, unusquisque de suo jure cessisse putandus est. Sed nunquam fuit lege aliqua permissum rapere, & bona sua tuentem occidere. Nunquam lege licuit fidem violare, pacta pro lubitu rescindere. Quandoquidem igitur dividit communis hominum intelligentia bonum & malum morale in aliquibus casibus; in rebus etiam minoris momenti discrimen esse colligendum est, licet propter rationis imbecillitatem illud cernere non valeamus; nedum concludere debeamus, ex eo quod non nisi difficile determinentur conclusiones a principiis remotæ, ideo ambigua esse principia.

Quod vero spectat eos, quos *Cicero* vocat *minutos Philosophos*, Atheos omnes, Scepticos, Epicureos; quanta sit horum authoritas supra expendimus, ubi de existentia Dei.

Confutatio Spinosæ.

Objicies 2. cum *Spinosa*: Jus naturale uniuscujusque non tam sana ratione quam cupiditate determinatur. *Quidquid unusquisque sibi utile, vel ductu sanæ rationis, vel ex affectuum impetu judicat, id summo naturæ jure appetit, & quacumque ratione, sive vi, sive dolo, sive precibus, sive quocumque demum modo facilius poterit, ipsi capere licet.*

Nam per jus & institutum naturæ nihil intelligi potest, quam regulæ naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo agendum. Atqui determinamur ad agendum ex appetitu & juxta leges appetitus, etiam majori vi, quam ex sana ratione aut juxta leges sanæ rationis. Ergo jus naturæ cupiditate potius quam recta ratione determinatur.

Respondeo nego antecedens: duplex quidem est vis animorum *ratio* & *appetitus*; sed ea est facultatis utriusque natura; ut ad rationem omnis pertineat authoritas, appetitum vero illius imperio subditum esse necesse sit. Quippe ratio natura sua dominium exercet, cujus vim in imperando tollere nequeas, quin etiam ipsam sustuleris: Appetitus vero ubi affectat imperium naturam omnem pervertit; illius commotiones cæci sunt impetus, qui ad fines etiam versus quos inclinant obtinendos ducere nequeunt; oportet illos coerceri quasi fræno, ne fines omnes prætergrediantur. Ab appetitu etiam, ut notat *Cicero*, *non modo animus perturbatur sed etiam corpus: licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Ex quibus illud intelligitur, appetitus omnes contrahendos, sedandosque, excitandamque animi animadversionem diligentiamque, ut nequid temere, fortuito, inconsiderate, negligenterque agamus.* Appetitum igitur regere rationis officium est, jus est a natura ipsa concessum; & quoties ullius appetitus impetu contra ejus nitimur vetitum, Regem & a natura datum Ducem vitæ deserimus, partesque sequimur usurpatoris violenti, cui nulla competere potest authoritas; cujus cum nulla sit gubernandi ars & prudentia, in certam abripiet ruinam.

Ad confirmationem antecedentis respondeo, 1. nego majorem: nam per jus & institutum naturæ humanæ non intelliguntur regulæ secundum quas homines ad agendum determinantur; sed regulæ secundum quas inviti agnoscunt se agere debere: non intelliguntur motiva electionis seu motiva omnia voluntatem ad agendum excitantia, quæ sæpe militant adversus rationem; sed motiva approbationis, quæ omnino diversa sunt. Hæc pertinent ad intellectum, sunt rationis judicia & dictamina conscientiæ, tam sancta quidem ut nullis possint corrumpi præmiis; quorum tanta vis est, ut impotenti appetitus commotioni parere

sine angore non possimus & inviti dicamus, *video meliora proboque, deteriora sequor*. Motiva contra electionis, quæ militant adversus rationem, cæci sunt impetus, quibus mentes & corpora perturbantur, morbi sunt potius quam vivendi regulæ. Quid enim tam absurdum est quam regulam appellare, rem tam variam & multiplicem, quæ numquam sibi constat & qua perpetuo in contrarias partes distrahimur. Certe de natura regulæ est, ut sit uniformis, constans, flecti nescia, & hæ qualitates solis dictatis rationis in rerum positis natura convenire possunt.

Respondeo 2. distinguo minorem: determinamur naturaliter ad agendum ex appetitu & juxta leges appetitus, id est, a principio vere naturali, & naturam sequimur minus principalem quæ magistra vitæ esse nequit, concedo: determinamur ad agendum ex appetitu & juxta leges appetitus naturaliter, id est, a facultate cui a natura data est authoritas & agimus secundum naturam perfectam aut adæquate spectatam, nego. Ideoque aliquid dici potest *naturale* & fieri *secundum naturam* diverso sensu. 1. Naturale illud dicitur, quod ab interno principio oritur, quo sensu iracundia, invidia, & vitia omnia naturalia sunt: & hoc sensu homo eodem tempore secundum & contra naturam agere potest, nam sæpe duabus passionibus in contrarias partes impellitur. 2. Naturam dicimus illas propensiones quæ majorem habent vim in homine; quæ cum plerumque vitiosæ sint nisi ubi adjuvat divina gratia, dicimur *natura mali*, *natura filii iræ*. Juxta has duas acceptiones manifestum est naturam dici non posse legem. Sed 3. Alio prorsus sensu dicere solebant Stoici supremum hominis finem esse *naturam sequi*, atque in hoc virtutem positam esse. Alio omnino sensu dicebat S. Paulus, *gentes naturaliter ea quæ legis sunt fecisse & ipsos sibi esse legem*. Scilicet intelligebant naturam ad quam necessario pertineret ratio & in qua principatum obtineret: quæ propria est & adæquata humanæ naturæ notio. Nam per humanam naturam non est intelligenda quædam affectio particularis, neque etiam complexio promiscua & inordinata seu cahos quoddam diversarum facultatum, sensuum & affectionum: sed sicut in idea civilis constitutionis includitur partium subordinatio, ita & humana natura systema est facultatum diversas habentium functiones, & secum perfecte consentientium, inter quas ratio solium occupat: atque sicut destruitur civilis constitutio, sublata vel partium mutua concordia & subordinatione, vel authoritate gubernante, sic etiam sublato variarum naturæ humanæ virium concentu, & in omnes authoritate rationis, evertitur naturæ humanæ constitutio (*Vide* Butler *dissert. de natura virtutis*.).

Juxta hanc acceptionem *naturæ* patet commotiones appetitus contra rationem in solio naturaliter collocatam seditiosas esse & ab humanæ naturæ constitutione naturali esse prorsus alienas, ejusque perturbatrices; recteque Stoicos dixisse vitia magis esse humanæ naturæ contraria, quam sunt tormenta aut cruciatus, aut etiam mors: illa contra principalem hominis naturam sunt, ista inferiorem attingunt. Hæc omnia exemplo elucescent. Si animal aliquod brutum illecebra inescatum in apertam ruat perniciem, juxta naturam suam agit, quia naturalem sine providentia secutum est propensionem: sed si animal sagax & providum, uti est homo, in prævisam ruinam se rapi patitur; numquid humano ageret modo? An non potius modo abhorrenti a sua natura, seu quod idem est minime naturali? Ut ergo consistat *Spinosa* dogma, ponendum est nullatenus esse homines a belluis natura disjunctos, illis non esse impositam ab ipsa natura personam, magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquorum.

Instabis cum *Spinosa*: Saltem potentia & cupiditate determinatur jus naturale, si non sapientium, eorum certe, qui rectam rationem ignorant & habitum

tum virtutis nondum habent. Atqui hæc conditio est plerorumque hominum.

Distinguo majorem. Potentia & cupiditate determinatur jus eorum qui carent ratione, aut ejus dictata ignorant ignorantia naturali & invincibili, aut qui virtutis habitum neque habent neque habere possunt; concedo. Potentia & cupiditate determinatur jus eorum, qui rationis sunt participes, aut qui ejus dictata ignorant ignorantia vincibili: aut qui virtutis habitum non habent, quia habere nolunt; nego. Est enim, ut ait *Cicero*, *unum jus quo devincta est hominum societas & quod lex constituit una*; *quæ lex. est recta ratio imperandi atque prohibendi*, *quam qui ignorat*, *is injustus est*. Certe si ignoret invincibiliter dictata rationis neque virtutis habitum habere possit, homo non est; & ejus ut animantium ferocia vi subigenda erit.

CONFUTATIO EPICURI ET HOBBII.

Objicies 3. Nullæ sunt naturæ leges, si nulla sit hominum naturalis conjunctio nec ad mutua officia a natura inclinentur. Atqui bene negavit olim *Epicurus* homines ad societatem natos esse; ejusque discipulus *Hobbius* recte initio libri sui de *cive* scripsit *illud axioma*, *hominem esse animal politicum seu ad societatem natum*, *a plurimis receptum*, *falsum est*; *errorque a nimis levi naturæ humanæ contemplatione profectus est*.

Respondeo nego minorem. Egregium certe impii systematis fundamentum! Quod omnium Philosophorum & sapientum unanimis consensus, omnium seculorum experientia, omnes cujusque hominis sensus atque facultates falsissimum ostendunt.

1. Enim omnes e Lyceo, ex veteri academia & ex porticu Philosophi, omnes qui de officiis aut re politica scripserunt, hoc assumpserunt esse hominem ad societatem natum: hoc posuerunt juris fundamentum, quod homines sint propensi ad se mutuo diligendos.

2. Hanc hominum congregationem naturalem atque necessariam efficit, hominis non tantum in ortu, sed in tota vita conditio. Quid est homo, inquit *Seneca*, *imbecillum corpus & fragile nudum*, *suapte natura inerme*, *alienæ opis indigens*, *ad omnem fortunæ contumeliam projectum*: *cum bene lacertos exercuit*, *cujuslibet feræ pabulum*, *cujuslibet victima*, *&c. Quo alio tuti sumus*, *inquit alio in loco*, *quam quod mutuis juvamur officiis? Fac nos singulos: quid sumus? Præda animalium & victimæ*, *vilissimus & facillimus sanguis*. *Quoniam cæteris animalibus in tutela sui satis virium est*: *quæcunque vaga nascuntur*, *& actura vitam segregem*, *armata sunt*. *Hominem imbecillitas cingit*; *non unguium vis*, *non dentium*, *terribilem cæteris fecit*. *Nudum & infirmum societas munit*. *Duas res dedit natura quæ illum obnoxium cæteris validissimum facerent*, *rationem & societatem*. *Itaque qui par esse nulli posset*, *si diduceretur*, *rerum potitur*: *societas illi dominium omnium animalium dedit*, *hæc morborum impetus arcuit*, *senectuti adminicula prospexit*, *solatia contra dolores dedit*. *Hæc fortes nos facit*, *quod licet contra fortunam advocare*. *Hanc tolle*, *& unitatem generis humani*, *qua vita sustinetur*, *scindes*.

3. Experientia constat nullos uspiam fuisse a societate omni alienos: illa ad convictum & consociationem propensio, vel a teneris annis in pueris maxime conspicua est; adeo adhæret naturæ, ut *Cicero* affirmare veritus non est, neminem esse, qui in solitudine vitam agere velit, ne cum in infinita quidem voluptatum abundantia (*a*): *Nec verum est quod a quibusdam dicitur*, *propter ne*-

Dd 2 *ces*-

(*a*) Si quis in cœlum ascendisset, naturamque mundi & pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundissima fuisset, si aliquem cui narraret habuisset. *Cicero de amic.* Nec me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sim. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni, sine socio, jucunda possessio est. *Sen. ep. 6.*

cessitatem vitæ, quod, quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem & societatem: quod si omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut ajunt, suppeditarent, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione & scientia collocaret. Non est ita.; nam & solitudinem fugeret, & socium studii quæreret: tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere (*de Offic. l. 1. c.* 44.). *Quin etiam si quis ea asperitate est & immanitate naturæ, ut congressus & societatem hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis* Timonem *nescio quem accepimus, tamen is pati non possit ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ* (*de amic.*).

4. Ratio, confitente *Hobbio*, naturæ humanæ proprietas est. Immo libro de *cive c. 2. art. 1. Est, inquit, lex quadam ratio, quæ cum non minus sit pars humanæ naturæ, quam qualibet alia facultas vel affectus animi, naturalis quoque dicitur*. Sed rationis ea vis est ut ostendat homini fines præstantissimos, mediaque ad fines consequendos aptissima, nihilque aliud est, quam vitæ ars & prudentia. Præterea Hobbio quoque confitente societas omnium bonorum fons est, & unicum malorum remedium quod suadeat prudentia. Ergo homines si prudentes, si sapientes, si rationales natura sint, ad societatem ineundam esse natura pronos necesse est; sibique contradixit apertissime, dum homines natura rationales, dixit ad societatem proclives non esse. Oportebat certe non rationem, sed dementiam, sed furorem naturæ humanæ dicere proprietatem (*a*).

5. Insitus hominum omnium animis naturalis justi atque iniqui sensus, meriti & demeriti conscientia ad promovendum aliorum hominum bonum naturaliter inclinant. Generosas & beneficas actiones tum in nobis, tum in aliis sponte probamus & laudamus: crudeles & inhumanas, quæcunque ex illis arripiamus emolumenta, nequaquam probare possumus. *Quo fit certe ut detrahere aliquid alteri magis contra naturam sit, uti dicebant Stoici, quam mors, quam paupertas, quam dolor, aut cætera quæ possunt corpori accidere aut rebus externis. Multo magis secundum naturam excelsitas animi & magnitudo est, itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ, quæ quidem contemnere & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi magni animi & excelsi est. Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis, maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilium cœlestium collocavit: quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam cum maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis. Quocirca optimo quisque & splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo certe efficitur hominem naturæ obedientem, homini nocere non posse*. Cum hoc sensu honesti & decori conjunctæ sunt propensiones & affectiones generosæ & gratuitæ, quibus impellimur sine ulla nostræ utilitatis consideratione ad benefaciendum.

6. Ad bonum societatis promovendum inclinat ipsa *philautia*, seu sui ipsius amor. Interest quippe omnium recte facere & aliorum studere commodis, uti jam notatum est, & tertio articulo mox demonstrabimus. Hic tantum observabimus utilitatem cum honestate contendere non posse. Nam cum nihil tam contra naturam sit quam turpitu-

(*a*) Natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ societatem: ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos qui procreati sunt: impellitque ut hominum cœtus & celebrationes, & esse, & a se obiri velit: ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent & ad cultum & ad victum. *Cicero de Offi. l.* 1.

pitudo, quam crudelitas, nihilque tam secundum naturam quam utilitas ad quam quodammodo rapimur, certe in eadem re, sub regimine atque constitutione entis sapientissimi & optimi, utilitas & turpitudo esse non possunt.

7. Denique omnes etiam corporis facultates hominem ad societatem natum esse manifestissime ostendunt. Figuram corporis habilem & aptam humano ingenio dedit natura, & cum cæteras animantes abjecerit ad pastum, solum hominem, quasi ad amplexus erexit. Tum speciem ita formavit oris, ut in eo penitus reconditos sensus detegat: oculi nimis arguti quemadmodum animo affecti simus loquuntur, & is qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse præter hominem potest, indicat mores. Mira etiam naturæ nostræ fabrica plerique aliorum hominum affectus & passiones contagio quodam similes etiam in nobis excitare solent affectus. Multæ quoque sunt opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderatio vocis, orationis vis, quæ omnes humanæ societatis maxime conciliatrices sunt.

Instabis cum *Hobbio* 1. *Societates civiles sunt fœdera quibus sanciendis fides & pacta necessaria sunt: horum ab infantibus quidem & indoctis, vis: ab iis aut qui damnorum a defectu societatis inexperti sunt, utilitas ignoratur; unde fit, ut illi, quia quid sit societas non intelligunt, eam inire non possint; hi, quia nesciunt quid prodest, non curent. Manifestum ergo est omnes homines cum sint nati infantes ad societatem ineptos natos esse; permultos etiam, fortasse plurimos, vel morbo animi, vel defectu disciplinæ per omnem vitam ineptos manere: habent tamen illi tam infantes, quam adulti naturam humanam. Ad societatem ergo homo aptus, non natura, sed disciplina factus est. Porro tametsi ea conditione natus esset homo ut societatem appeteret, non sequitur eundem ita natum esse ut societati ineundæ sit idoneus; alia res est appetere, alia capacem esse. Appetunt enim illi, qui tamen conditiones æquas, sine quibus societas esse non potest, accipere per superbiam non dignantur.* Hæc ex notula descripsimus, quam *Hobbius* primo capiti de cive affixit ad temperandam duriorem illam sententiam, hominem ad societatem aptum non esse.

2. Si esset quoddam societatis inter homines naturale vinculum, esset illud mutua benevolentia. Sed nulla est talis in hominibus affectio. *Nam si homo, inquit* Hobbius, *hominem amaret naturaliter, id est, ut hominem; nulla ratio reddi posset, quare unusquisque unumquemque non æque amaret, ut æque hominem; aut cur eos frequentaret potius, in quorum societate, ipsi potius quam aliis defertur honor & utilitas. Non socios igitur, sed ab illis honore, vel commodo affici, natura quærimus; hæc primario, illos secundario appetimus.*

3. *Quo consilio homines congregentur ex iis cognoscitur quæ faciunt congregati. Si coeant enim commercii causa, unusquisque non socium, sed rem suam colit: si officii causa, nascitur forensis quædam amicitia, plus habens mutui metus quam amoris; unde factio aliquando nascitur, benevolentia nusquam: si animi & hilaritatis causa, solet maxime perplacere sibi unusquisque in iis rebus quæ risum excitant, unde possit (prout est natura ridiculi) comparatione turpitudinis vel infirmitatis alienæ, ipse sibimet commendatior evadere. Etiamsi autem hoc innocuum aliquando & sine offensa fit, manifestum tamen est, delectari eos non prius societate, quam gloria sua. Cæterum plerumque in hujusmodi congressibus læduntur absentes, eorum tota vitæ ratio, dicta, facta examinantur, judicantur, condemnantur & dicteriis traducuntur; neque parcit ur ipsismet confabulantibus, quin idem pat iantur simul atque e concessu exierint; adeo ut non absurdum fuerit consilium ejus, qui a scena confabulantium exire novissimus sole bat. Atque hæ veræ sunt deliciæ societatis, ad quas natura, id est, ab affectibus omni animanti insitis ferimur..... Denique ut loquar de iis qui profitentur præ cæteris sapere, si Philosophiæ gratia coeatur, quot*

curata & diligenti naturæ humanæ exploratione in illa solummodo argumenta incidit *Hobbius*, ridicule asseruit Philosophos ante se omnes temere pronuntiasse hominem ad societatem natum esse: ipsis certe perspecta erant humanæ naturæ vitia; sed existimarunt absurdum esse, in iis affectibus ponere moralis disciplinæ fundamenta, qui a recta ratione improbantur, omnibusque etiam sceleratis sunt odiosi & pudendi. Præterea sunt a re sua omnino aliena, & nequaquam evincunt hominem societati aptum non esse: nam sic hoc argumentum conclusit, *clarum adeo experientia quod congressus omnis spontaneus vel egestate mutua conciliatur vel captanda gloria*. Esto: ergo etiam vitia humanæ naturæ societatis vincula sunt & homines a sapientia & virtute alieni ad congregationem & communitatem propensi sunt.

Quarto argumento eadem respondenda sunt. Concedimus *Hobbio* homines summo studio sua prosequi commoda, & confitemur jura civilia partim metu injusti inventa fuisse; num ex eo sequitur homines esse natura ferociores lupis, ursis & serpentibus, eorum statum naturalem esse statum belli? immo rem nostram sua conclusione adjuvat *Hobbius* ut in superiori argumento, dum definit societatem contrahi, tum commodi causa, tum gloriæ. At nullo modo concedimus *Hobbio* nullum aliud esse bonum nisi *bonum jucundum*: aut si hoc concedere libeat, negabimus omne bonum jucundum contineri bono *sensuali* & *gloria* seu vana de se opinione. Existit enim *bonum honestum* quod specie sua ipsum per se delectat: jucunda in Deum pietas est; jucunda est in alios caritas; lætissimus sensus est beneficentiæ, clementiæ, commiserationis, fidei, justitiæ, magnanimitatis; officiorum hisce subjectorum jucundissima est memoria. Virtus omnis etiam deserta a voluptate, inter labores, molestias, pericula, sibi sufficit, seipsa contenta est: immo

Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque, ferro.

Denique ad quintum argumentum respondeo, illud falso sopponere in statu naturæ fore inter omnes homines competitionem, aut tantum metum & diffidentiam, aut tantam gloriæ cupiditatem. Deinde dato, quod istis passionibus omnes homines commoverentur, nego tamen ex illis bellum esse inter omnes homines oriturum. Denique dato etiam quod ex illis contrariis appetitibus oriatur bellum, nego in illo bello omnia licere, nihil fieri posse injustum.

Primo. In statu naturæ non est naturalis & necessaria competitio nec mutui metus, nec in alios dominandi cupiditas. Non competitio: nam illa juxta *Hobbium* ex eo oriretur quod unusquisque omnia appeteret: sed ad omnia appetenda nequaquam inclinamur a natura, ut mox dicemus ad proximam objectionem. Et ut ipse dixit, *modesti hominis est & vires suas recte æstimantis permittere cæteris omnibus eadem omnia quæ sibi*. Deinde non ab hominibus homines naturaliter sibi metuunt; sed tantum ab improbis & quorum improbitas atroci aliquo facto comperta sit. Parcit enim naturaliter cognatis maculis similis fera, indica tigris agit rabida cum tigride pacem, sævis inter se convenit ursis: homines naturaliter lupis, ursis & serpentibus ferociores esse non concedimus. Primi navigatores invenerunt populos barbaros mites & mansuetos; quique hodie nondum experti sunt nostram aut vicinorum sævitiam, a calliditate, a suspicione, a perfidia, a crudelitate gentium ad civilem cultum deductarum, quam multum distant! infinita exempla sunt. Denique omnibus hominibus naturalis non est cupiditas gloriæ & dominii in ceteros omnes: ambitio nonnisi post constituros honoris & dignitatis gradus incessit hominum mentes: in statu vero naturæ ubi hominum nulla erat nisi in propriis viri-

viribus fiducia, spes dominii nunquam ulli affulsit (*a*).

Secundo. Dato quod unusquisque omnia appeteret, ab omnibus metueret (*b*), dominium in omnes ambiret & gloriæ cupiditate duceretur, nego tamen oriturum inter homines bellum. Nam certum est quod oppositis affectibus ad pacem fortius inclinentur homines quam his ad bellum.. Dum igitur *Hobbius* ex harum affectionum consideratione pronunciavit bellum inter omnes oriturum esse, æque inepte & temere conclusit, ac si quis bilancis inclinationem determinare vellet, cognitis solummodo ponderibus, quæ unicam ejus lancem premunt. Nos vero putamus abunde constare ex iis quæ supra dicta sunt, hominis facultates omnes atque propensiones majori vi ad pacem ducere quam ad bellum: præcipue cum in bello, fatente *Hobbio*, sit mortis violentæ periculum præsens & perpetuum, vita solitaria, indiga, bruta & brevis, adeoque in qua nullæ voluptates nec etiam salus sperari possit. (*c*) Sed, inquit *Hobbius*, dum aliorum studemus commodis, nostra amittimus; dum cum aliis benevole vivere volumus, securi nequaquam esse possumus: securitatis viam meliorem novit nemo anticipatione. Falsæ sunt hæ Hobbii assumtiones & ab omni sensu alienæ. Major securitas est inter amicos, quam inter hostes, inter eos qui ex beneficiis gratos habent erga nos animos, quam inter eos, qui injuriis affecti vindictam quærunt. Sed actus benevolentiæ, comitas, benignitas, beneficentia, aliorum naturaliter provocant amorem, amicitiam conciliant, gratos excitant animi sensus, ex quibus affectibus magna exurgit securitas. Coutra actiones aliis noxiæ, malevolentia, invidia, crudelis *Hobbii* anticipatio concitant omnium odia & ad vindictam provocant; inter quos aliorum erga nos sensus nulla certe esse potest securitas.

Tertio. Denique etiamsi in statu naturæ ex hominum perversis affectibus orietur bellum, falso assumpsit Hobbius omnia in illo bello licita fore: nam inter potestates etiam belligerantes sunt servandæ leges naturales, quæ nunquam silent & ad quas armorum strepitu nunquam obsurdescere debemus, uti infra ostendemus.

Objicies quarto cum eodem. Non est jus natura, sed pactis constitutum, *ubi non præcessit pactum, nihil fieri potuit injustum, nec cuilibet inferri injuria; & vocabula justum & injustum ante potentiam civilem, quæ violationem pactorum ulcisci posset, usurpata non fuerunt*. Lev. c. 15. Ex quo principio concludit regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti esse leges civiles: ideoque quod legislator præceperit, id esse bonum; quod vetuerit id malum esse, legemque nullam iniquam esse posse; quoniam Reges, quæ imperant, justa faciunt imperando, quæ vetant vetando injusta. *De Cive c.* 12.

Respondeo cum Cicerone: *si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur; jus esset latrocinari; jus adulterare; testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis & scitis multitudinis* pro-

(*a*) *Le désir que Hobbes donne d'abord aux hommes de se subjuguer les uns les autres, n'est pas raisonnable. L'idée de l'empire & de la domination, est si composée & dépend de tant d'autres idées, que ce ne seroit pas celle qu'il auroit d'abord*. Esprit des Loix l. 1. c. 2.

(*b*) *L'homme dans l'état de nature ne sentiroit dabord que sa foiblesse. Dans cet etat chacun se sent inferieur; à peine se sent-il égal. On ne chercheroit donc point à s'attaquer, & la paix seroit la premiere loix naturelle*. ibid.

(*c*) *Au sentiment de sa foiblesse, l'homme joindroit le sentiment de ses besoins... Il y seroit porté d'ailleurs par le plaisir qu'un animal sent à l'approche d'un animal de même espèce... Outre le sentiment que les hommes ont dabord, ils parviennent à avoir des connoissances*. ibid.

probarentur. Quod si tanta potestas est stultorum sententiis atque jussis ut eorum suffragiis rerum natura vertatur; cur non sanciunt, ut quæ mala perniciosaque sunt habeantur pro bonis & salutaribus? aut cur cum lex ex injuria jus facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? atqui nos legem bonam a mala, nulla alia nisi naturæ norma dividere possumus: neque solum jus & injuria natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia; nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia; ea autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est.

Deinde si nulla sit lex, civilibus legibus anterior, quo nitetur fundamento principum authoritas, quidve subditis, qui impune contemnere principis imperia poterunt, coget ad obsequium? quænam esse potest perduellium & fœdifragorum culpa? *Paciscentes, inquit* Hobbius, *proprio facto, propria voluntate obligantur:* certe remanet ipsis arbitrium & libertas suis viribus & facultatibus utendi quo modo libuerit; fac illos velle ea pacta rescindere & violare, quæ antea inierant, quid impediet si possint impune? audite ingeniosissimum Philosophum: ii qui pacta violant sibi contradicunt & id faciunt quod *absurdum* in scholis vocatur. *Est enim, inquit* Lev. c. 14. *in controversiis hominum injustitia similis ejus, quam in scholis absurditatem vocant. Sicut enim in iis, quæ initio supposita erant contradicere, absurdum; ita quod faciendum voluntarie susceperis irritum facere, injustum appellatur; Et* cap. 3. de Cive. *Est, inquit, injuria absurditas quædam in conversatione; sicut absurditas injuria quædam est in disputatione. At cur sibi aliquis non contradicet?* quia hoc in sermone indignum *est persona disputantis & in civitate ei non nimis conveniens est, qui civitatis membrum haberi vult.* Numquid non magnum reperit legibus civilibus præsidium? at hoc ipsum præsidium est a lege naturæ, adeoque incredibilis est hujus authoris vanitas: apud eum ex lege civili omnis nascitur obligatio; deinde docet leges non esse violandas propter legem naturæ *absurditatem* prohibentem; postremo ad vim magistratuum recurrit & eorum leges, ut valere possint tum pacta civilia, tum lex rationis. Vide *Ciceronem* l. 1. de leg.

Instabis cum eodem. Natura dedit unicuique jus ad omnia, unde nulla inferri potest injuria: nam jus nihil aliud est quam potentia, seu libertas suis viribus & facultatibus utendi, ad id ergo omne extenditur, quod quis facere potest: quod adeo verum, ut Deus ipse nullum habeat jus nisi ex omnipotentia.

Respondeo æque ridiculam esse illam *Hobbii* assertionem, *unicuique competere jus in omnia;* ac si diceret, aliquid simul esse & non esse, aut partem esse toto æqualem, aut hominem esse posse simul in omnibus locis. Quandoquidem dicere hominem jus habere completum ad aliquid, quod jure ad alium pertineat, est asserere jura esse posse contraria, seu quod eodem redit, idem posse esse rectum simul & non esse rectum. Nam jus completum unius in suo conceptu includit negationem juris in quolibet alio; verbi gratia, si unusquisque jus habeat ad propriam vitam & ad se tuendum, ergo nulli competere jus potest vitæ illius auferendæ. Uno verbo contra *jus* nihil *jure* fieri potest, sicut quod veritati repugnat verum esse nequit. Præterea ut notat *Cumberlandius, de leg. nat. pag.* 217. *Si impossibile sit singulis omnes & omnia sibi subjicere, ratio quæ hunc finem proponit singulis, qui uni tantum contingere potest, sæpius quam millies proponeret impossibile & semel tantum possibile.* Longissime vero distare notiones *juris* & *potentiæ*, & jus regnandi in Deo non esse in omnipotentia, sed in sapientia etiam & bonitate situm, supra diximus: ergo *Jus* est libertas agendi quam ratio probat.

Instabis eum eodem: Jus ex concessis est libertas agendi juxta rectam rationem. Atqui ante constitutionem civilem

in statu naturæ ratio recta unicuique concedebat jus in omnia. Nam in statu naturæ Jus erat unicuique seu licuit unicuique omnia habere & facere quæ unusquisque ad sui conservationem necessaria judicaret. Sed omnia habere & in omnes omnia facere unusquisque ad suam conservationem in statu naturæ necessarium judicabat.

Major hujus ultimi syllogismi sic ab *Hobbio* confirmatur: unicuique jus est omnia possidere & facere in omnes, quæ judex & arbiter ad vitæ cujusque conservationem necessaria judicaverit. At quæ unusquisque in statu naturæ necessaria judicaverit, ea judex ad illius conservationem necessaria judicat: ipse enim in illo statu est judex solus de necessariis ad suam conservationem.

Minorem vero satis confirmasse se putat *Hobbius* dicendo, *ferri unumquemque in appetitionem ejus quod sibi bonum est, idque naturali necessitate, non minori quam lapis deorsum fertur.*

Respondeo nego tum majorem, tum minorem: 1. Enim major propositio falsa est, quoniam justum & injustum, uti toties probavimus, non ex arbitrio pendet, sed in ipsa rerum natura positum est. Potest igitur homo in statu naturæ falso & temere pronunciare, ea necessaria esse ad suam conservationem, quæ revera necessaria non sunt: ejusque judicium non magis ea reddit justa, quam reddit necessaria. Si quis in statu naturæ cicutam herbam esse utilem, aut etiam necessariam ad corporis sui nutritionem judicaverit; atque ejus succo copiose se ingurgitaverit; non ideo salubre fiet alimentum, sed repugnante licet illius judicis sententia illi mortem afferet. Nec minus constans vis est eorum, quæ ad moralem vitam pertinent, nec mutantur sententiis hominum. Demonstrandum foret *Hobbio* in statu naturæ nullam esse judicii normam: nam si sit quædam ejusmodi norma, quodcumque judicium ab illa dissentiet falsum erit, & actio consequenter injusta. Jam vero talem esse normam confiteri visus est ipse *Hobbius*, ubi jus definivit, libertatem agendi secundum rectam rationem. (*a*)

Ridicula est majoris propositionis confirmatio ducta ex comparatione status civilis & status naturalis: in illo quidem sententiis judicum adhæremus, non quod semper rectæ sint aut iniquæ esse non possint: sed quod ad finem litibus imponendum & servandam pacem tales æstimari eas necesse sit, & quoniam illud malum privatum quod ex iniquis judiciis exoritur longe eo minus est, quod orietur si bello lites dirimerentur. At certe sententia nec judicis nec principis eousque valet ut rerum vertatur natura.

2. Neganda est etiam minor propositio cujus falsitas jam satis ostensa fuit in responsionibus ad superiorem objectionem. Ad confirmationem vero dico; omnes quidem homines quærere beatam vitam, tamen nequaquam ex eo effici unumquemque judicare omnia sibi esse necessaria. Certe ipse *Hobbius cap. 1. 64.* concedit nonnullos non esse ita ad omnia rapienda propensos. *Alius enim, inquit, secundum æqualitatem naturalem permittit cæteris eadem omnia quæ sibi, quod modesti hominis est, & vires suas recte æstimantis.* Certe si secundum rectam rationem statuat, qui aliis sibi paria permittit; nullum jus sibi acquirere potest ex irrationali suo judicio, quisquis sibi omnia, velut ad sui conservationem necessaria, arrogaverit. Quin etiam si singuli homines in statu naturæ judicarent omnia sibi esse necessaria, liceret inde concludere rem ita esse: recta enim ratio non errat: sed contra experientia constat, & *Hobbius* concedit omnia non esse necessaria, ergo recta ratio id non judicat; & cum jus sit libertas agendi juxta rectam rationem, nullum ad omnia jus esse potest.

A R-

(*a*) Est lex naturalis dictamen rectæ rationis circa ea quæ agenda vel omittenda sunt ad membrorum conservationem, quantum fieri potest, diuturnam. *de cive cap.* 2.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Legis naturalis divina origine & immutabili natura.

HOc articulo duo disputanda sunt: primo utrum lex naturalis diffusa in omnes accipiat divinam authoritatem ab authore Deo; quæ quæstio est de causa legis naturalis efficiente: deinde utrum illa sit voluntatis divinæ arbitraria constitutio; quæ secunda quæstio est de essentia ejusdem legis.

Prima disquisitio parum habet difficultatis: nam cum lex naturalis ad naturam rerum a divina voluntate profectam pertineat; divina dici debet, sicut divina est omnis alia naturæ constitutio. Deinde a priori, ubi de Dei providentia, confectum est Deum esse sapientem, bonum atque justum creaturarum omnium moderatorem, maxime entium rationalium: adeoque legis naturalis, quæ ad sapientiam, bonitatem & justitiam instituit, certissime inventorem & latorem esse.

Secunda quæstio magni quidem momenti est, quod ex legis naturalis immutabili natura pendeat omnium entium rationalium communio & quædam cognatio: quippe si lex naturæ sit arbitraria constitutio, non erit necessario in omnibus entibus uniformis; quod nobis justum, aliis iniquum esse poterit. Sed de ea hoc loco brevius disseremus, quia multa jam a nobis disputata fuerunt ad illam pertinentia, in ultimo argumento pro Dei existentia, in quo contra *Protagoram*, aliosque, æternas & immutabiles rerum naturas, earumque rationes defendimus.

PROPOSITIO PRIMA.

Unus est communis magister & imperator hominum Deus; ille legis naturalis lator; & læsæ Dei majestatis reus est, qui illam contempserit.

PROBATIO.

1.° ARgumentari licet a priori, ex omnibus Dei attributis, sapientia, bonitate, justitia & sanctitate, quibus imponitur Deo necessitas gubernandi suas creaturas modo naturis suis accommodato: neque imperio se abdicare potest, quin seipsum deneget & naturam suam aspernetur. Uti confectum alio loco est, ubi de Dei providentia.

2. Conficere etiam a priori possumus ex legum naturalium *convenientia*, tum respectu *Dei*, cui dignum est exercere in homines morale imperium; propterea quod in hac administratione rerum magis eluceant divinæ perfectiones, præsertim morales; quod in hac sola administratione locus sit mutuo fœderi inter Deum & creaturam, religioni, pietati, & cæteris virtutibus moralibus, quæ Deo in opere suo gratissimæ esse debent: quæ etiam argumenta ibidem attigimus: tum etiam respectu *hominis*, cujus multum interest vivere sub imperio Dei morali ob triplicem causam, nempe propter actionum humanarum naturalem efficientiam, arbitrii humani naturam & legum maximam utilitatem. 1. Morale Dei imperium postulat natura actionum humanarum. Si illæ essent indifferentes, neque ullius boni aut mali efficientes, essent quidem leges, quibus regerentur inutiles: at ut constituta est rerum natura omnes & singulæ actiones humanæ physice sunt bonæ vel malæ, id est, naturali vi producunt bonum vel malum physicum, videlicet perfectionem & felicitatem, vel imperfectionem & miseriam, sive suam, sive alienam; ut supra confectum est ubi de qualitate actionum humanarum. 2. Leges morales postulat natura humani arbitrii: non essent quidem illæ necessariæ, si ea esset arbitrii humani natura, ut in illa semper ferret sese quæ sunt optima, & quibus potiri potest; sed si arbitrii licentia longe major sit, possitque ferre sese ad impossibilia, seu ea quæ attingi nequeunt; si possit rejectis salutaribus pestifera quærere, plane necessaria est illi regula quædam, qua possibilia ab impossibilibus distinguat, ne perpetuo frustretur; & ut mala a

bonis secernat ne incaute perniciem sibi accersat. Atqui ex iis quæ supra disputata sunt de libertate, patet illam esse licentiam arbitrii ut possit sese ferre ad impossibilia, & ad pestifera æque ac ad salutaria, propter illam quam habet in agendo facilitatem & voluptatem; immo quoque ferre sese contra ipsa legum præcepta & terrores. 3. Bonum & conveniens homini est vivere, non in statu tumultuario & incerto, sed in ordine optimo & pulcherrimo, in quo rationes suas valeat deducere, prospicere futura, & cursum vitæ cum prudentia instituere. Atqui ordo rerum nullus, neque naturalis, neque moralis esse potest sine legibus & imperio. Tolle leges illas motus, quibus cohæret systema mundi, tota moles ruet, evanescetque omnis decor & pulchritudo universi: sic quoque nisi legibus quibusdam vita humana moderaretur, quæ essent in omnibus hominibus uniformes, nulla esse posset in vita humana constantia: nullum inter homines vinculum, nullus concentus, nulla etiam ferme naturæ similitudo: quæ nonnisi ex legum naturalium in omnium hominum voluntates uniformi influxu oriri potest. Immo vero nulla est, neque concipi potest natura ad actionem nata sine legibus naturæ suæ convenientibus. Corpora parent legibus motus. Belluæ sensationibus ducuntur, & quia in illis nulla est eligendi facultas ex objectorum impressionibus juxta leges ab authore naturæ positas necessario determinantur. Creaturæ vero liberæ sors non patitur, ut belluarum more necessario ad agendum inclinetur; sed tamen in tali indifferentia constitui non potuit, ut nulla esset ei vivendi ratio commendata a natura. At si sit quædam vivendi ratio, quam natura commendat, erit naturali lege devincta. Adeoque cum *Cicerone* concludamus: *nihil tam aptum est ad jus conditionemque naturæ, quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare; nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.*

Tertium argumentum a posteriori. Primo, intellectus hominis est facultas mere passiva, ejusque judicia non ex arbitrio pendent, sed divini sunt quodammodo afflatus: Nam, ut ait author sacer, *inspiratio omnipotentis dat intellectum;* si igitur ratio sit vera lex, ejusque dictata sint vera præcepta, erit certe ratio lex divina. Atqui præcedenti articulo demonstravimus rationem habere vim & potestatem legis, cui qui non paret ipse se fugit & naturam hominis aspernatur. Secundo, colligitur a posteriori Deum regnare in homines per leges naturales ex multis divinæ gubernationis figuris, præsertim ex manifestis Dei judiciis, & legum naturalium sanctionibus, de quibus articulo sequenti dicemus. Idem tandem colligitur ex omnium hominum consensione & insito animis divinæ gubernationis sensu; de cujus argumenti authoritate diximus, ubi de existentia Dei. Canamus ergo cum *Sophocle* in Œdipo.

Leges
Excelsæ, cœlitus genitæ,
Quarum Olympus Pater solus,
Neque illas mortalis
Natura hominum peperit
Magnus est in illis Deus,
Neque senescit.

Objicies 1. cum Hobbio. Lex divina est vox Dei imperantis clare prolata, vel scripta, ita ut omnes qui obedire tenentur sciant vocem ejus esse. Atqui dictata rationis seu leges naturales non sunt vox Dei neque prolata, neque scripta, nisi quatenus eædem a Deo in scripturis sacris latæ sunt.

Nego minorem. Nam dictata rationis seu præcepta naturalia sunt vox naturæ, naturæ vero vox est vox Dei, non quidem quæ insonet auribus, sed quæ tamen clarissime audiatur & ad quam obsurdescere nequeamus. Immo vero hanc vocem Deo acceptam referunt sponte & naturaliter omnes homines; ipsum imperitantem & comminitantem audire sibi videntur; credunt omnes virtutis patronum esse & remuneratorem futurum, sce-

fcelerum vero æquissimum vindicem. Neque sane Hobbii levitatem satis mirari possumus, qui postquam cap. tert. I. de cive ea posuisset, ex quibus confecta est objectio, cap. 4. hæc habet: *quæ naturalis & moralis, eadem & divina lex appellari solet, nec immerito: tum quia ratio, quæ est ipsa lex naturæ, immediate a Deo unicuique pro suarum actionum regula tributa est: tum quia vivendi præcepta, quæ inde derivantur, eadem sunt, quæ a divina majestate pro legibus regni cœlestis per Dominum nostrum Jesum Christum, ac per Sanctos Prophetas & Apostolos promulgata sunt.*

Objicies 2. cum eodem. Doctrina hæc seditiosa est, & reipublicæ quatit fundamenta.

1. Quia civium erga principes obsequium minuit. Omne enim imperium civile metu & terrore, quem incutit imperantium potestas, constat & conservatur. Sed admisso regno Dei in homines per leges aliquas naturales minuitur hic metus civilis imperii: metus & reverentia erga excellentiorem potentioremque naturam tollit metum & reverentiam erga potestatem inferiorem.

2. Quia jus principum nimium circumscribit. Omnis quippe dominatus ejus est naturæ, ut dividi non possit. Si finibus non caret, nullus est. Sed si sint leges aliquæ divinæ diversæ a legibus civilibus, potestas civilis non est sine finibus.

3. Quia tollit unitatem voluntatis & concordiam in civitate prorsus necessariam. Omne enim corpus civile, omnisque respublica unus est homo arte factus ex multis constans hominibus naturalibus uno capiti subjectis, in quo una communis ratio est, una voluntas, conscientia una. Atqui doctrina de regno Dei per leges naturales privatum introducit de eo, quod justum aut injustum est, judicium; tot constituit conscientias & voluntates, quot sunt civitatis membra. (*a*)

Respondeo hæc omnia esse vanissima, nullamque e contrario disciplinam aptiorem esse ad minuendam Principum authoritatem, & ad excitandas fovendasque seditiones, quam est illa *Hobbii*, omniumque Atheorum. Nam juxta horum placita hoc unum jubet natura, ut quisque omni arte, omni modo vitam suam atque membra conservet. Lex quippe naturæ est, *dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad membrorum conservationem, quantum fieri potest, diuturnam*. Ad hanc membrorum conservationem constitutæ sunt civitates, quarum nullus alius finis est. Sceleratus ergo quisque, si illi pœnæ capitales a principe propter admissa crimina intententur, poterit consentienter legi naturæ rempublicam totam miscere, principem interficere & quocumque modo suæ saluti consulere: *quærenda sunt, ut idem Hobbius habet, belli auxilia, si pax haberi, & vita conservari nequeat*. Et profecto legis primariæ, quæ jubet conservationem membrorum, ex qua reliquæ omnes fluxere, major vis & potestas sit, necesse est; neque secundariæ ullæ leges sanctæ esse possunt, nisi quamdiu principem legem munient. Quo principio nihil civitati perniciosum magis excogitari potest.

Ad primam vero rationem respondeo primo, non solo metu imperantium contineri civile imperium: continetur sci-

(*a*) Opinio eorum qui docent peccare subditos, quoties mandata Principum suorum, quæ sibi injusta videntur esse, exequuntur, & erronea est, & inter eas numeranda, quæ obedientiæ civili adversantur: De *cive c.* 12. Civitati universaliter & in omnibus obedire obligamur. *ibid. c.* 14. Si quæratur an obediendum civitati sit, si imperetur Deum colere sub imagine, coram iis qui id fieri honorificum esse putant, certe faciendum est. *ibid. c.* 15. Sequitur ergo legibus illis, non occides, non mœchaberis, non furabere, parentes honorabis, nihil aliud præcepisse Christum quam ut cives & subditi suis Principibus in quæstionibus omnibus circa *meum, tuum, suum, alienum*, absolute obedirent. *ibid.*

scilicet lege naturæ, quæ civibus obedientiam & magistratibus imperat, cujus sine ulla divina ratione quædam authoritas est (*a*): continetur metu & pietate adversus Deus, cujus personam sustinent principes. Tolle hæc imperii adminicula, solumque metum legum & judiciorum relinque, a nullo exigere poteris, ut pro salute principis vel reipublicæ se morti objiciat: nullum vinculum retinebit eos, qui peccare poterunt impune. Falsum quoque propterea est, quod religio minuat obsequium erga principes: Cum contra cives illis adjungat & contineat in officio, quando eorum majestas contemni & violari posset (*vide supra pag.* 22.). Ergo sine dubio causam Principum agimus, ubi docemus, non solo terrore & violentia eos regnare; sed primum æquitate naturali, deinde Dei metu eorum imperia firmata esse.

Ad secundam vero rationem dico primo, jus infinitum, quale Principi tribuit *Hobbius*, esse nullum, non in ipso Deo. Scilicet quod jure fit, id juste fit seu æquitati consonat. Sed æquitas res est certis finibus conclusa. Si enim sit aliquid natura sua justum & rectum, necesse est aliquid esse injustum & pravum, quod idcirco nulla authoritas aliis jure præscribere potest. Ipsa Dei omnipotens voluntas æquitate vallata est: *justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos: justitia & judicium præparatio sedis ejus*. Deinde nullum est usus Principum, ubi nulla est in subditis obligatio, hæc enim sunt duo correlata: sed absurdissimum est defendere subditos teneri ad infinitam obedientiam. Tandem ad quam rem utile esse potest, hoc infinitum jus concedere Principi? ut possit nulla non scelera admittere & universum populum suo regimini commissum vexare vel delere.

Ad tertiam autem rationem respondeo religionem homines consociare, *Hobbii* doctrinam eosdem dividere. Nam ut observavit *Plato*, *quod commune & publicum est, id conjungit, & consociat; quod privatum dividit, & dissolvit*. Jam vero religio proponit hominibus commune bonum, docet anteponenda esse publica commoda privatis utilitatibus, pro salute imperii periculis & morti occurrendum esse, obtemperandum esse decretis judicum etiam cum suarum fortunarum ruina. Ex altera parte *Hobbius* negat ullum esse prosequendum cuique commune bonum, negat ullo officio homines esse inter se devinctos, omnia ad privatam utilitatem & libidinem refert, nullam aliam legem novit, nisi eam, quæ jubet membrorum conservationem: ex quibus sequitur quemque iudicem esse eorum omnium quæ ad se pertineant, & jure posse tentare quæcumque sibi expedire judicaverit, veneno vel gladio tollere inimicos, rempublicam conturbare. Uno verbo quamdiu cives religionis præceptis parebunt ex unanimi boni publici prosecutione summus consensus efflorescet: quamdiu juxta præcepta *Hobbii* suis studebunt utilitatibus summa vigebit contentio; neque unquam ab illis expectanda erit illa legibus civilibus obedientia, quam conscientiæ dictatis denegant; aut illa erga principem devota voluntas, quam Deo præstare nolunt. Vide *Cumberland* de legibus naturalibus, & *Cudworthi* systema intellectuale.

PROPOSITIO SECUNDA.

Lex naturalis secundum essentiam considerata sempiterna est & immutabilis, atque ut loquitur Cicero, *æterna mens est omnia ratione cogentis Dei* (*b*)

PROBATIO.

Lex naturalis est sempiterna & immutabilis, si illius præcepta sint posita in naturis rerum, naturæ vero rerum

(*a*) Virtutis & vitiorum sine ulla divina ratione grave ipsius conscientiæ pondus est. *Cicero l. 3. de Nat. Deor.*

(*b*) Sapientia vapor est virtutis Dei & emendatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera.... Candor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei

rerum sint simpiternæ & immutabiles: atqui.

1. Legis naturalis præcepta in rerum naturis posita sunt; nam nihil aliud sunt quam dictata rationis seu judicia intellectus de rerum perceptarum convenientia atque disconvenientia, ejusdem prorsus generis, ejusdem certitudinis & evidentiæ, ac Arithmeticæ & Geometricæ veritates aut conclusiones quævis scientificæ. Nam in hac parte non differt moralis disciplina seu ethica, quæ in evolvendis officiis versatur, a quacumque alia scientia. Arithmetica, v. g. versatur circa ideas numericas & in deprehendendis numerorum rationibus tota posita est: Geometria extensionis modificationes & abstractas corporum figuras contemplatur & in earum similitudine aut dissimilitudine, æqualitate vel inæqualitate, proportionibus & mensuris inveniendis occupatur: sic etiam physica in potentiarum & causarum naturalium vires inquirit, earumque cum effectibus & naturæ phænomenis proportionem seu connexionem investigat: nulla denique est scientia inter eas, quæ magis certæ & evidentes habentur, quæ in rerum considerandis relationibus non occupetur. Si igitur moralis disciplina, quæ in deprehendendis actionum humanarum regulis versatur, in componendis rerum ideis claris tota sit, idearumque moralium convenientias & disconvenientias tam feliciter investiget, quam scientiæ Mathematicæ; erunt certe rationis judicia circa res morales, seu præcepta vivendi ejusdem certitudinis & tam in rerum naturis posita, quam conclusiones quælibet scientificæ. Arqui 1. ideæ morales sunt æque claræ atque distinctæ, ac ideæ numericæ aut geometricæ: distinguimus, v. g. amorem ab odio, gratitudinem ab ingratitudine, fidem a perfidia, & cætera ejusmodi tam evidenter ac circulum a triangulo, aut ternarium a binario. 2. Idearum moralium convenientias aut disconvenientias multas intuitive apprehendimus; sicut illarum idearum, quæ objecta sunt Matheseos: sic, v. g. intelligo enti sapienti bono & omnipotenti obtemperandum esse; beneficiis gratum animum deberi; cum fido amico non esse perfide agendum. Non minor est disconvenientia inter injuriam & beneficium, quam inter duos numeros aut duas diversas figuras: haud minus peccat contra rerum relationes, qui non colit Deum, vel non honorat parentes, vel qui innocenti injuriam infert, quam qui in computandis numeris scriberet bis duo facere quinque. Ergo præcepta moralia ejusdem naturæ sunt ac veritates mathematicæ & æque posita in naturis rerum.

Præterea actiones humanæ circa quas versatur moralis philosophia, sunt causæ physicæ boni vel mali naturalis, & cum certis finibus necessariam habent connexionem: atque earum effectus tam clare & certo cognoscuntur quam effectus potentiarum naturalium: sic v. g. æque certum est temperantiam conferre ad bonum corporis habitum conservandum, meditationem ad explicandas animi vires, fidem, gratitudinem, beneficentiam ad generis humani tuendam societatem; ac compertum est mechanicis pondera manere in æquilibrio cum suspenduntur ad distantias a fulcro ponderibus reciproce proportionales: nihilque certe impedit quominus leges naturales enuntientur ut totidem theoremata sub hac forma. *Actus hic humanus ad felicitatem meam aliorumque communem præ reliquis eodem tempore possibilibus maxime conducet* (Vide *Cumberland* de legibus naturalibus.).

2. Naturæ rerum metaphysicæ, quæ ratio-

majestatis & imago bonitatis illius. *Sap. c.* 7. Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum & ex antiquis, antequam terra fieret: nondum erant abyssi & ego concepta eram .... Quando præparabat cœlos aderam .... Cum eo eram cuncta componens .... Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergo audite me: beati qui custodiunt vias meas. *Prov. c.* 8.

ratione apprehenduntur sunt æternæ & immutabiles. Nam manifestum est res omnes cujuscumque sint generis, seu mathematicas seu morales, tales esse natura sua, non alicujus entis voluntate, neque posse omnino tolli a re aliqua essentiam suam. Nam quomodo rem sine propria essentia cogitabimus? Quomodo, verbi gratia, rem rotundam sine rotunditate, circulum sine æqualitate radiorum a centro ad circumferentiam, actionem bonam sine bonitate, honestam sine honestate? Potestne omnipotentis Dei voluntas hoc efficere? (*Vide supra*, *pag.* 159. *& seq.*)

Et vero existit mens æterna & immutabilis, nempe Deus. Atqui mentem æternam & immutabilem cogitatione complecti non possumus, quin simul cogitemus æternas & immutabiles rerum essentias, atque necessarias earum rationes: nam illas tollere nequeas, quin simul sustuleris cognitionem & intelligentiam omnem, quæ nihil aliud esse potest in Deo, quam harum æternarum & immutabilium essentiarum, atque earumdem rationum perceptio: qui ergo ponit essentias rerum esse arbitrarias & relativas suppositiones, quæ cognitionis principia esse non possunt, qui omnem scientiam cum *Hobbio* revocat ad sensum & experientiam, certe nullam relinquit æternam & immutabilem veritatem, nec consequenter mentem æternam.

Objicies. Justum & injustum non sunt in rerum naturis posita. *Nam*, *ut ait* Puffendorfius, *honestas & turpitudo sunt affectiones actionum humanarum ortæ ex convenientia aut disconvenientia cum norma seu lege. Atqui lex omnis est voluntaria superioris constitutio. Ergo honestas & turpitudo actionum humanarum oritur a voluntaria legislatoris constitutione*, *non in naturis rerum posita est*.

Respondeo, nego minorem: Nam est lex æterna, constans & immutabilis, independens ab arbitrio divino, orta simul cum mente divina, posita in incommutabilibus rerum relationibus, quæque nihil aliud est, quam ipsa Dei sapientia. Ut enim sapientia divina dici possit & sit vera lex, sufficit quod ipsius dictamina habeant præceptorum vim, a quibus nequeat divina voluntas deflectere: *non enim requiritur ad essentiam hujus legis*, *ut a superiore feratur*, *aut ut præmiis & suppliciis confirmetur*; *nam extrinseca legis commendatio ab authore*, *tunc non potest esse necessaria*, *ubi intrinseca ejus perfectio est absoluta*, *pertinetque necessario ad naturam perfectissimam; neque egent dictamina divini intellectus sanctione per pœnas & supplicia*, *quæ propter intrinsecam voluntati divinæ ad bonum propensionem violari nequaquam possunt*. (*Vide Cumberland de legib. nat.*) Est igitur æterna lex in dictaminibus divini intellectus posita, ad quam non tantum creaturarum rationalium actiones expendi possunt, & accipere ex sua convenientia aut disconvenientia cum norma illa denominationes varias & oppositas; sed etiam ipsi actus divini, quoniam huic legi conformes sunt, dicuntur justi & honesti: nam tolle hanc legem & finge Deum cum *Spinosa* præditum infinita potentia, sed temere & sine lege operantem, nulla esse poterit in illius entis actibus honestas. Hanc fuisse veterum Philosophorum sententiam docet *Cicero* l. 2. de leg. *Hanc video*, *ait*, *sapientissimorum fuisse sententiam*, *legem neque hominum ingeniis excogitatam*, *nec scitum esse aliquod populorum*, *sed æternum quiddam*, *quod universum mundum regeret*, *imperandi prohibendique sapientiam: ita principem legem illam & ultimam*, *mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.... Neque enim esse mens divina sine ratione potest*, *nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere.... Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta lex de stupris*, *idcirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ attulit: erat enim ratio profecta a rerum natura & ad recte faciendum impellens & a delicto avocans; quæ non tum demum incipit lex esse cum scripta est*, *sed tum*, *cum orta est;*

est; orta autem simul est cum cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum atque vetandum, ratio est recta summi Jovis.

Instabis 1. Atqui denominantur actiones honestæ vel inhonestæ ex convenientia vel disconvenientia cum legibus voluntariis & positivis. Nam honestas & turpitudo nascitur ex *obligatione* quæ per legem inducitur: illud honestum dicitur quod licitum est, quod debitum, quod officii est. Atqui omnis *obligatio* imponitur voluntate superioris imperantis, nec ulla cogitari potest sublato superioris imperio; sic tolle Deum, nulla est legum naturalium obligandi vis. Ergo.

Nego minorem: est quippe quædam naturalis obligatio fundata in ipsis rerum naturis, qua devinctum cogitamus Deum ipsum & qua sublata nullam oriri potuisse, nisi externam, intelligimus ex arbitraria entis cujuscumque institutione. Posset quidem ens viribus præpollens cogere ad obsequium, posset præmiorum pollicitatione & comminatione pœnarum ad obedientiam adducere, sed coactio non est proprie dicta & perfecta obligatio, uti supra dictum est: atque illa obligatio exterior, quæ ex spe præmiorum aut suppliciorum metu oritur, ab utilitate uniuscujusque propria & amore sui naturali potius repetenda foret, quam ex voluntate imperantis; quia si nulla esset antecedens naturalis obligatio voluntati illi obtemperandi, nonnisi propria utilitate commoveremur, nullatenus ex *officii* sensu. Igitur si diligentius obligationis originem & causas exploremus, deprehendemus quod in illis etiam legibus, quæ positivæ dicuntur ratione materiæ, seu quibus res natura indifferentes præcipiuntur, non sola legislatoris voluntas efficiat, ut quæ illis rogata sunt justa fiant & debita, aut ut obligatio aliqua interna & proprie dicta inducatur; sed naturalem potius justitiam alteri quidem jus & authoritatem imperandi jubendique res indifferentes conferre, alteri officium obediendi imponere; atque idcirco numquam fuit lege aliqua rogatum, ut hæc vel illa res justa vel injusta fieret, aut ut homines ad obediendum obligati essent; sed jubent ut hoc vel illud aut fiat aut omittatur: nunquam legislator aliquis jus suum imperandi, civiumque parendi officium lege constituit arbitraria; nam foret prorsus ridiculum ejusmodi edictum; quia aut cives ante legis illius rogationem obligatione devincti erant, aut nulla omnino tenebantur: sin primum, lex inutilis est; sin secundum, nullam vim habebit lex ad obligandum cum nullam sit in latore authoritas. Quamobrem patet solam legislatoris voluntatem obligationis causam non esse, ejus originem altius esse repetendam & in ipsis quærendam rerum naturis.

Instabis 2. Evertitur in præcedenti responsione discrimen ab omnibus jurisconsultis positum inter jus *naturale* & *voluntarium*. Illud in rerum naturis fundatum dicitur, hoc voluntate determinatur, scilicet omnes confitentur res prorsus indifferentes ante legis positivæ rogationem fieri ex mandato legitimo justas vel injustas.

Respondeo: nullam legem positivam a quocumque fuerit legislatore facere posse ut res quædam bona vel mala fiat, justa vel injusta, quam non ipsa natura talem fecerit. Etenim res indifferentes tametsi lege præcipiantur, etiam divina, ipsæ tamen in se idipsum manent quod antea fuerant; quoniam ut ait *Aristoteles*, *voluntas mutare nequit naturam*: quæcumque natura sua sunt indifferentia, ea talia sunt æque constanter & perpetuo ac ea quæ justa vel injusta sunt: omnis laus, omnis justitia, omnis virtus eorum, qui positivis legibus libenter obtemperant, resque ab aliis institutas observant, quia jubentur a legitimis superioribus, non a materia ipsarum actionum proficiscitur, sed ab earum forma, seu ex eo quod juste imperanti libenter & sponte obsequuntur: sicut ille qui rem aliquam, de qua nihil jure naturali sancitum est, propterea facit quia vel pacto, vel promisso semetipsum obligavit;

non ideo laudabilis est, quod illam actionem perficiat, sed hoc unice nomine quod fidei datæ memor sit. Quapropter voluntas legislatoris cum leges rogat positivas, vel propria nostra voluntas, cum pollicemur aliquid, non novam aliquam rem moralem producit, sed legem ipsam naturæ quæ imponit civibus parendi officium, quæque violare fidem datam vetat, diversa ratione moderatur & applicat. Proindeque nec aliena nec nostra voluntas nova justa & debita parit, sed impellit nos tantum ut in talibus actionibus promissis nostris vel legitimis aliorum mandatis obsequamur; quod impetrare a nobis debet naturalis justitia: quæ profecto si nulla esset, nunquam ex lege positiva fieri posset ut res ulla esset bona vel mala, aut ulla alia moralis nasceretur obligatio, nisi illa exterior ex præmiis & pœnis.

Ex his, quæ duabus propositionibus probata sunt, sequitur quamdam esse inter homines & Deum societatis communionem, civesque esse nos magnæ reipublicæ, cujus rector est & gubernator Deus, juxta magnificam *Platonis* & *Stoicorum* doctrinam, quam pluribus in locis exposuit *Cicero* præsertim *lib. 1. de legibus*. *Est igitur*, *ait*, *quoniam nihil est ratione melius*, *eaque & in homine & in Deo; prima hominis cum Deo rationis societas: inter quos autem ratio*, *inter eosdem & recta ratio communis est: quæ cum sit lex*, *lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus: inter quos porro est communio legis*, *inter eos communio juris est: quibus autem hæc sunt inter eos communia*, *& civitatis ejusdem habendi sunt: si vero iisdem imperiis & potestatibus parent*, *multo etiam magis parent huic cœlesti descriptioni mentique divinæ & præpotenti Deo; ut jam universus hic mundus*, *una civitas Deorum atque hominum existimanda & quod in civitatibus ratione quadam agnationibus familiarum distinguuntur status*, *id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque præclarius*, *ut homines Deorum agnatione & gente teneantur*.

ARTICULUS TERTIUS.

De Legis Naturalis sanctione.

ARTICULO primo ostendimus esse legem naturæ nostræ congruentem & diffusam in omnes, cui qui non paret ipse se fugit & naturam hominis aspernatur: ex quo conclusimus nos ad virtutem a natura excitari & etiam interius obligari independenter a consideratione legislatoris Dei, aut pœnarum & præmiorum legibus naturalibus adjunctorum. Ex iis quæ secundo articulo disputata sunt, magna accessit vis legibus naturalibus; scilicet cum demonstratum sit jus naturale a Deo constitutum esse; neque ab arbitraria illius voluntate profectum, sed æterni Numinis mentem esse immutabilem; ad illius observationem inclinare debet erga supremum civitatis moderatorem pietas & reverentia, impellere etiam propriæ excellentiæ cogitatio: nam, aut ait *Cicero*, *quis cogitare potest aliquid se habere divinum*, *ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum esse*, *quin tanto Dei munere dignum aliquid semper*, *& faciat*, *& sentiat?* Verum potissimum ex iis quæ hoc articulo a nobis disputanda sunt pendet legis naturalis, non quidem obligandi vis moralis & interior, sed cogendi vis physica & obligatio exterior. Inquirendum scilicet est in sanctionem legi naturali adjunctam, seu quænam sit illius ad beatam vitam efficientia.

Omnes homines naturali propensione suæ student felicitati, & in omni vitæ ratione instituenda, quantumvis varia atque dispari omnes beatam vitam quærunt; idque faciunt, non quia depravati, sed natura incorrupte atque integre judicante. Quocirca si lex naturalis non efficeret beatam vitam & ad solidam felicitatem duceret, ejus præcepta etsi divina confirmata authoritate amitterent vim, & a creaturis naturaliter ad quæstum voluptatis inclinatis semper contemnerentur, atque natura a nobis ipsis diffidentes in contrarias partes distraheremur.

remor. In hoc igitur articulo ostendere debemus in honestate & pietate sitam esse omnem vitæ prudentiam, virtutem unicam esse ad felicitatem viam.

Cum vario & multum inter se dissidente hominum genere nobis hic erit disputandum, cum *Aristippo* primum & suis, contra quos statuemus etiam in hac vita quærendam esse in virtute summam felicitatem, deinde cum *Stoicis*, contra quos asseremus virtutem ad beatam vitam in hac præsenti conditione seipsa non esse contentam, immo ad ærumnas quandoque & miserias ducere. Tandem cum *Deistis* quibusdam, contra quos conficiemus non esse hujus conditionis mortalis limitibus circumscriptam vitam hominum, sed post mortem sua manere virtutem præmia, vitium autem supplicia.

PROPOSITIO PRIMA.

Leges naturales præmiorum & pœnarum sanctione ita sunt a Legislatore Deo confirmatæ, ut etiam in hac vita salutaris virtutis efficientia valde evidens sit & hominum intersit illi sese addicere.

PROBATIO.

NAM virtus seu constans legum naturalium observatio est omnis boni aut immediate & per se effectrix, aut illius ab aliis meritoria: vitium vero e contrario naturali efficientia ducit ad ærumnas & miserias. Omne quippe bonum nostrum atque felicitas oritur vel ex conscientia vacua omni ægritudine, gratisque animi affectionibus: vel ex jucundis sensationibus seu propria, seu aliena opera excitatis: mala autem omnia ad angores mentis revocantur & ingratas sensationes, quas nostra imprudentia, aut aliorum malevolentia nobis procreat.

1. Quidem quod virtus conciliet conscientiæ pacem & tranquillitatem, mentemque jucundissima perfundat suavitate: quod vitium naturaliter generet angores mentemque exedat ægritudinibus, omnibus experientia notum & in confesso est: neque mirum profecto, cum virtus nihil aliud sit quam constans voluntas rationi & dictaminibus conscientiæ obtemperandi, sibique propterea virtutis assecla semper constet; e contrario vero vitium nihil aliud sit, quam contra rationem & conscientiam agere, vitioque mancipatus secum ipse divisus sit, & ex partibus dissentientibus compositus. Jam vero quam gravia supplicia sint mentis ægritudines, sequentia sapientum testimonia comprobabant: *animus impurus*, ait Seneca, *Diis hominibusque infestus, nec vigiliis nec quietibus sedari potest: ita conscientia mentem excitam vastat. Scelerum in homines*, ait Cicero, *atque impietatum nulla expiatio est: itaque pœnas luunt non tam judiciis, (quæ quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, persæpe falsa sunt) ut eos agitant insectanturque Furiæ, non ardentibus tædis, ut in fabulis, sed angore conscientiæ fraudisque cruciatu*. Juvenalis vero Satyra 13.

cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cadit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens ac multo sævior illis,
Quas aut Cæditius gravis invenit & Rhadamanthus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Ipsum etiam impurissimæ *Epicuri* scholæ patronum *Lucretium* consentientem habemus, qui impios etiam Atheos negat esse gravissimis conscientiæ angoribus solutos.

Extorres iidem patria longeque fugati
Conspectu ex hominum fœdati crimine turpi.
Omnibus ærumnis adfecti denique vivunt.

Immo *Epicurum* ipsum dicere solitum fuisse legimus, felicitatem a virtute separari non posse: ille in extremis positus gloriabatur, *se vesicæ & exulcerati*

ti ventris tormenta tolerare ulteriorem doloris accessionem non recipientia: esse nihilominus sibi illum diem beatum propter animi lætitiam e memoria rationum inventorumque suorum natam. Quod si tantus fuerit huic Philosopho lætitiæ sensus ex vita ad sobrietatem instituta & ex recordatione suorum inventorum: quantis deliciis perfundi oportet eos, qui ad divini Numinis voluntatem se studiose composuerunt, expectantque a benefico remuneratore bonorum operum maxima præmia? Ex his saltem sequitur justum hanc semper consequi felicitatis partem, quod mente gaudeat pacata & tranquilla; quam pacem impii & scelerati habere non possunt, quia ut civitas in seditione beata esse non potest, nec in discordia dominorum domus, multo minus animus a seipso dissidens, secumque discordans, gustare partem ullam liquidæ voluptatis potest.

2. Virtus propria & naturali efficientia nostra promovet commoda, sive consideretur quatenus in vita privata instituenda occupatur, sive quatenus instituit vitam hominum ad statum civilem & religionem. Nam primo virtus quatenus in vita privata moderanda occupatur, nihil aliud est quam prudentia & constans studium propriæ perfectionis & felicitatis: sic temperantia virtutis habitus est, quia ad sanitatem servandam corporis producendamque vitam multum conducit: intemperantia, vitium est, quia corporis habitum vitiat, morbos generat, vitam efficit breviorem. Sic etiam gravitas habitus virtutis est, quia multum conducit ad felicitatem deliberatio & maturum in agendo consilium: levitas contra vitium est, quia dum temere & inconsiderate ferimur sæpe impingimus & in mala non prævisa ruimus. Sunt ergo actus virtutis in vita privata felicitatis & perfectionis causæ immediatæ; vitium in ipsa sua notione includit vim nocendi seu noxium natura est.

Deinde actus virtutis quatenus alios respiciunt, naturali quoque efficientia nostra promovent commoda. Imprimis quia virtute stat hominum societas, illa sublata hominum cœtus nullus esse potest: sunt ergo in virtutem refundenda magna & multa societatis commoda. Deinde virtutis est conciliare sibi animos hominum & ad usus suos adjungere: nam ex opinione virtutis nascuntur in aliis hominibus illi sensus quibus naturaliter propensi sunt ad eos diligendos & honorandos qui virtutem colunt *benefica voluntate*, *ut scribit* Cicero: *Benevolentia movetur etiamsi res forte non suppetit: vehementer enim amor hominum solet commoveri, ipsa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, justitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum & ad facilitatem. Etenim illud ipsum quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet, animosque omnium natura sua & specie commovet; idcirco illos in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur*. *Fides* quoque sine qua nulla potest esse familiaritas aut societas, virtute conciliatur, justitia maxime: illis enim solummodo nos committimus nostrasque fortunas, in quibus nulla est fraudis aut injuriæ suspicio. Denique *laus*, *honos*, *gloria*, virtutibus præsertim comparantur; nam illos solent laudare homines & honore dignos putare, quos suspiciunt & in quibus existimant se excellentes quasdam & singulares virtutes perspicere. Longe diversi ex vitii & injustitiæ opinione nascuntur sensus; odium scilicet & metus, quibus homines commoventur ad suam quærendam salutem in eorum, quos oderunt, interitu; *quem metuunt oderunt, quem quisque odit perisse expetit*: ut dicebat *Ennius*. Vitium quoque consequuntur infamia & contemptus.

3. Virtus nobis conciliat Deum, a quo omnino pendet sors nostra & conditio, virtutisque actus esse erga Deum merita naturaliter putamus. Jam vero quamvis vanum esset illud naturale augurium sæculorum futurorum, in quibus bonis gaudia, & malis supplicia reposita,

posita sint. Tamen illa præsensio & expectatio maximam habet vim ad efficiendam beatam vitam. Contra vero, quamvis futuræ pœnæ tantum ut possibiles considerentur; ingens tamen remanet periculum, tantumque illud est, ut etsi in hac vita omnia alia mala virtutem comitarentur, voluptates omnes vitium stiparent; relinqueret tamen illa spem æternæ & infinitæ felicitatis, quam hoc auferret; tolleret illa periculum magnæ & interminatæ miseriæ, quod hoc relinqueret; insanum esse oporteret eum, qui in eam partem non inclinaretur, in qua nullum mali periculum, immo boni maximi expectatio, vel qui anteponeret fluxas & caducas voluptates cum periculo interminatæ miseriæ conjunctas, minoribus deliciis spem infinitæ felicitatis relinquentibus (*Vide Isocratem or. de permut. Juvenalem sat.* 13.).

Objicies 1. Si majora essent virtutis præmia, quam vitii, aut si virtus naturali efficientia tam salutaris esset, vitium tam noxium; affluerent boni semper deliciis, mali ærumnis conficerentur. Atqui experientia omnibus notum est homines improbos abundare sæpe omnibus copiis, summisque frui voluptatibus; dum boni malis omnibus afflicti vivunt.

Respondeo, distinguo majorem, affluerent deliciis semper boni & mali ærumnis conficerentur, si nulla essent *fortunæ* bona vel mala, si nostra felicitas ab aliis hominibus, persæpe improbis, non penderet, concedo, secus nego. Igitur præter animi lætitias & illa bona, quæ virtutis præmia naturalia esse diximus, alia sine dubio sunt vera bona, quæ nulla industria aut consilio a bonis acquiri possunt: sunt etiam præter naturales criminum pœnas mala quædam, quæ nulla arte vitari possunt: Hæc quoniam ex divina providentia contingunt juxta leges nobis ignotas, fortunæ adscribuntur. Talia sunt paupertas, ignobilitas; humilitas, graves dolores corporis, infirma valetudo, debilitas, cæcitas, amissio suorum, interitus patriæ, servitus, &c. Sed hæc fortunæ mala & contraria bona, quæ honestis & improbis indiscriminatim obtingunt, non sunt hic computanda, sed ea tantum quorum vitium aut virtus per se effectrix est. Adeoque non est conferendus impius cui afflavit fortuna cum honesto viro fortunæ malis omnibus affecto: sed uterque, si vim virtutis & vitii ad efficiendam beatam vitam intelligere velis, iisdem donandus aut privandus fortunæ bonis & in eadem collocandus conditione. Nego in hac hypothesi improbum feliciorem fore quam bonum. Præterea animadvertendum est ad virtutem proprie pertinere ea bona quæ mali vitutis simulatione sibi comparant, videlicet aliorum hominum benevolentiam & existimationem: hæc etenim non consequuntur quatenus impii & inhonesti sunt, sed propter externam virtutis speciem; consequenter virtuti non vitio tribuuntur. E contrario illa mala quæ bonis obtingunt ex calumnia, aut ex falsa vitii opinione, ad vitium pertinent: nam ab ejus specie accepta ad illud referri debent.

At, inquies, ad virtutem via ardua & difficilis ab omnibus habetur, in prærupti mentis apice collocatur; ad vitia vero plana via est & facilis. Deinde virtus avocat a voluptate; illius alumni appetitum imprimis moderari student, cupiditatibus modum ponere: vir bonus non sibi vivit, sed aliis; & aliorum causa non solum voluptatibus valedicit, verum in se molestias maximas suscipit; constitutum est apud eum famulari virtuti etiam inter scopulos & fluctus vocanti: malus vero sibi res, non se rebus subjungere conatur.

Respondeo viam ad virtutem respectu eorum, qui vitiorum habitus contraxerunt, arduam quidem esse; non vero difficilem esse respectum eorum qui nondum sunt depravati, & bene *Seneca* scripsit de ira l. 2. c. 13. *Non ut a quibusdam dictum est arduum in virtutes & asperum iter est: plano adeuntur. Non vanæ vobis author rei venio. Facilis.*

lis est ad beatam vitam via: inite modo bonis auspiciis, ipsisque Diis bene juvantibus. Multo difficilius est facere ea quæ facitis. Quid enim quiete otiosius animi, quid ira laboriosius? quid clementia remissius, quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno coluntur.

Deinde falsum est virtutem avocare a lætitiis & jucunditatibus, immo multas nobis conciliat a quibus removere vitium solet. Quos in hac controversia appellare judices deceat? an sapientes, quorum rectum judicium & sana mens? an illum

Cui stupet insanis acies fulgoribus, & cui

Acclinis falsis animus meliora recusat? si sapientes, ut par est, omnes cum *Socrate* execrantur eum qui primus utilitatem ab honestate sejunxit; pronuntiantque luxuriosos & flagitiosos pessimos esse rerum æstimatores, & Arithmeticæ imperitissimos. Clamabat ipse *Epicurus*, *non posse jucunde vivi, nisi sapienter, honeste, justeque vivatur: nec sapienter, honeste, juste, nisi jucunde.* Hujus tam communis apud omnes sententiæ causæ in promptu sunt. Scilicet aliæ sunt voluptates *animi*, aliæ *corporis:* ad *animum* pertinent illæ omnes lætitiæ, quæ ex pacata conscientia, ex honestis officiis, ex bonis studiis, ex nostrorum meritorum opinione, & ex aliorum existimatione oriuntur: ad *corpus* pertinent illæ voluptates, quæ in sensuum commotione positæ sunt; *animi* vero lætitias potiores esse probat apud Ciceronem *Torquatus Epicureus*, quod trium temporum particeps animus sit; *corpore* autem præsentia solum sentiantur. Quod etiam confirmari ex eo potest, quod *animus* in homine præcipua pars sit, & in præcipua cujusque animantis parte ponenda sit ejus perfectio & felicitas: quod siquidem in voluptate corporis essent omnia, longe multumque superaremur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex se se pastus varios, varieque abundantes nihil laborantibus; nobis autem vix suppetunt multo labore quærentibus. Jam vero vir bonus, uti ex supra dictis satis patet, gaudet maxime animi deliciis, malus solas habet voluptates cum bestiis communes, quæ humiles sunt sua natura & sæpe celandæ, quæ cito fluunt, quas excipit satietas & tædium, quarum insuavis est recordatio, quæ nihil habent nobile & gloriosum quo graviora vitæ incommoda aut ærumnæ compensentur. Falsum quoque est luxuriosos magis abundare *corporis* volupatibus, si hoc admittatur verissimum principium, eas voluptates vera esse mala, quæ majoris doloris efficientes sunt; eos contra dolores bona esse quæ majoris voluptatis causæ futuræ sunt: nam revera boni lege naturali avocantur solummodo ab iis voluptatibus, quæ amaræ sunt, quæ sine interiori ægritudine, sine ignominia gustari nequeunt, vel quæ fatales futuræ sunt. Ideo quamvis exercitationes virtutum in juventute molestæ essent, propter mirificos quos afferunt in ætate magis provecta fructus, suscipiendæ sunt: & intemperantia cum effœtum corpus tradat senectuti sine dubio fugienda est: hocque ipsi confiteri solent libidinosi & intemperantes.

cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos veteri ramalia fagi
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam. Pers. Sat. 5.

Concludamus igitur cum Tullio: *pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est qui utilia fugiat? Aut quis potius qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia querere.*

Objicies 2. Cum authore libri qui inscribitur *apum fabula*: Non tam virtute stant & florent respublicæ, quam civium intemperantia; experientia enim compertum habemus *privatorum vitia publi-*

publica esse beneficia, & ad vires ac potentiam imperii promovendam multum conferre: illud enim est utile societati & rempublicam florentem efficit, quod illius auget vires ad reditus, promovetque industriam. Atqui vitia augent reipublicæ reditus, videlicet proferendo commercia, & celeriori mercium consumtioni occasionem præbendo, v.g. bibendi intemperantia quam multis prodest civibus? vinitoribus qui colunt vineam, nautis & rhedariis qui advehunt, cauponibus qui vendunt, publicæ rei cujus auget reditus. Sic quoque luxus magnatum mercatorum ingentem numerum ad eoas & occiduas oras ire cogit.

Respondeo inauditam hanc recentioris authoris assertionem, non impiam magis, quam ab omni ratione esse abhorrentem. Qui enim melius quid reipublicæ prosit, quidve obsit judicare poterint, quam Legislatores, qui illas constituerunt, & Historici, qui imperiorum conversiones varias intuentes, earum causas diligenter explorarunt? Sed nullus unquam fuit Legislator, qui virtuti non sit suis legibus patrocinatus, qui vitia coercere legibus dubitaverit. Nullus Historicus reperietur, qui imperiorum incrementa & prosperitatem virtuti non adscripserit, eorumdemque occasum & interitum contrariis causis acceptum non retulerit. *Post Jubactam Græciam*, *inquit* Sallustius, *primum fractæ cœperunt res Romanæ in pejus ruere, quia ibi insuevit exercitus Populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cœlata mirari, ea privatim & publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere*, *ut ait* Horatius,

sævior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

Neque omnia certe, quæ promovent industriam, aut quæ præbent occasionem celeri mercium consumptioni, sunt reipublicæ utilia. Si ita res esset, sceleratus incendiarius, qui hanc regni Metropolim incenderet, maxime promoveret reipublicæ commoda; nam celerrimæ certe mercium consumptionis causa existeret, & industriam in reædificanda urbe egregie promoveret. Eadem ergo esse videtur vitii & incendii ad reipublicæ utilitatem efficientia: quia utrumque eodem modo promovet industria, videlicet inutiliter merces consumendo. Igitur non ea, quæ magnam mercium consumptionem efficiunt, conferunt ad reipublicæ augendam potentiam; sed quæ reddunt cives numerosiores, robustiores & meliores: publicum bonum a privatorum bono sejunctum esse non potest, nec vigere corpus si langueant membra; quod clarius patebit si consideremus rempublicam omnem, quantumvis opibus florentem, habere rationem familiæ: qua quæso ratione in familia intemperantia & licentia eorum, qui illam componunt, ad ejus opes promovendas possunt conducere?

Præterea, vitia non promovent industriam, neque augent reipublicæ vires atque reditus, etiam multum consumendo. Nam, v.g. bibendi intemperantia habitum corporis corrumpit, vitam reddit breviorem; & nullo modo fieri potest, ut ebriosus, cujus infirma valetudo & vita brevis, plus consumat, quam vir frugi, qui longævam sanus assequitur ætatem. Et numquid non si ille ebriosus illam nimiam quam hausit vini quantitatem pauperioribus civibus largiisset, eadem fuisset vini consumptio, cum hoc solummodo discrimine, quod suam ipse valetudinem non imminuisset, aliorum vero confirmavisset? Idem de luxu in omni re dicendum, in cujus ipsa notione includitur inutilitas & vis noxia. Nihil quippe aliud est luxus, quam abusus bonorum naturalium, vel ad propriæ valetudinis aut fortunæ imminutionem, vel ad aliorum hominum, quibus opitulari tenemur, detrimentum. Tolle hanc noxiam qualitatem & finge usum pecuniæ suæ, aut cujuscumque alterius rei, neque sibi, neque suæ familiæ, neque patriæ noxium esse, non erit amplius vitium & in eo quisque sibi indulgere poterit. Tunc tantum

tum usus rerum damnatur & accipit luxus appellationem, quando est perniciosus reipublicæ aut ejus membris. Jam vero contradictionem involvit, ut quod in sua notione perniciosum est civitati, unquam possit esse utile. Hæc omnia facile cæteris omnibus vitiis possunt applicari.

PROPOSITIO SECUNDA.

Virtus ad beate vivendum seipsa non est contenta, ut gloriabantur Stoici, *sed multoties ærumnis implicat gravissimis.*

PROBATIO.

NAM primo virtus propter fortunæ varia tormenta, propter hominum levitatem vel perversitatem sua amittit præmia: præbet quidem semper conscientiæ pacem, sed graves dolores corporis non semper sedant temperantia & sobrietas. Justitia, fides, cæteræque virtutes, quandoque aut non satis animadvertuntur ab hominibus, aut etiamsi percellant aliorum oculos, illis non donantur honoribus, quos merentur; *virtus laudatur & alget*. Deinde vitium maxime naturales non semper effectus habet: intemperantia & incontinentia etsi soleant corpus effœtum senectuti tradere cum morbis insanabilibus & intolerabilibus doloribus, tamen quandoque propter fortuitam corporis firmitatem hac efficientia carere sæpius videmus. Quidam etiam vel ex tarditate ingenii, vel occæcati cupiditatibus, pravi rectique discrimina non satis cernunt & omnem ferme conscientiæ sensum præfocant. Tandem multi improbi sunt, qui propter externam virtutis speciem debita virtuti præmia possident, benevolentiam & existimationem aliorum; aut propter divitias & potentiam non solum effugiunt scelerum pœnas, sed sibi hominum obsequia conciliant: (*a*) dum ex altera parte boni innumeri, onerati falsis criminibus, scelerum quæ non commiserunt pœnas luunt, aut improborum etiam propter ipsam virtutem experiuntur sævitiam. In exemplo est *Socrates*: exemplo etiam esse possunt veteres Christiani, & quotquot pro justitia & veritate animas dederunt. *Omnia in futurum servantur incerta, eo quod universa æque eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti.... Vidi & volocium non esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus*. Eccl. c. 9.

PROPOSITIO TERTIA.

Vita hominum non circumscribitur hujus conditionis mortalis limitibus, sed post mortem manent virtutum præmia, vitiorum vero supplicia a judice omnium Deo certissime retribuenda.

PROBATIO.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex consideratione Divinarum Perfectionum.

MUNDUS intellectualis Dei præstantissimum opus est & totius creationis finis. Sunt quippe entia rationalia tam excellentis naturæ, ut cum nullo alio nisi cum ipso Deo comparari queant: tolle hanc creationis partem, erit orbis corporeus, erimus magna, immensa solitudo, compages exanima, quæ nec authoris suis potentiam, sapientiamve cognoscere, aut experiri bonitatem, aut personare laudes poterit. Proindeque mundus intellectualis ea pars divini operis est, de qua maxime sollicitus esse debet universi artifex & moralis providentiæ ratio perfectius exprimere divina attributa, sapientiam, bonitatem & justitiam debet, quam rerum ordo naturalis. Uno verbo in spirituum gubernatione magis quam in alia quavis re agnoscere debemus rectorem sapientem, parentem bonum,

(*a*) *Multi*
Committunt eadem diverso crimina fato:
Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema. Juv sat. 13.

num, æquum ſanctumque judicem. Atqui ſi hujus vitæ limitibus circumſcriberetur vita hominum, nullo modo habere videretur morale Dei imperium in omnibus partibus colorem proprium Numinis aut divinorum attributorum notas; non ordinis & ſapientiæ, ſed confuſionis & imperitiæ; non bonitatis, ſed malitiæ; non æquitatis, ſed injuſtitiæ & perverſitatis.

1. Morale Dei imperium non ſemper ferret ſapientiæ ſigna. Non eſt certe Legiſlatoris ſapientis leges ferre & earum non proſpicere obſervationi: non eſt rectoris prudentis ſubditorum contemptui ſe obnoxium præbere: finis ſiquidem quem in ferendis legibus intendit Legiſlator, ad eas ſanciendas præmiis & ſuppliciis determinare debet; neque ullus inter homines princeps extitit, tantæ imprudentiæ & ſtultitiæ reus, ut quas rogaviſſet leges ad reipublicæ ſalutem easdem pœnis non ſanxerit. Atqui ſublata legum naturalium ſanctione per pœnas & præmia in futura vita Deus leges tuliſſet, nec earum obſervationi ſatis proſpexiſſet, ſe ſuamque authoritatem contemptui expoſuiſſet; ſiquidem ſublatis illis futuris præmiis atque pœnis nulla eſſet obligatio completa ſeu moralis neceſſitas ſervandi illas leges ex motivo propriæ felicitatis; e contrariò vero ex inſuperabili quo movemur felicitatis amore, ſæpe fortius inclinaremur ad contemnendas leges divinas, quam ad illas obſervandas; & proinde naturalibus affectionibus non tam ad obſequium authori noſtro debitum, quam ad inobedientiam aſtringeremur; quo nihil abſurdum magis aut ab omni ſapientia alienum. Ergo ſub regimine entis ſapientis, quod nequit ſe contemptui obnoxium facere, quod ſuas creaturas legibus devinctas eſſe vult, quod gubernationis ſuæ honorem & dignitatem vindicare debet; virtus & felicitas ſeparari non poſſunt. Ergo cum in hac vita non ſemper conſocientur, erit altera in qua hæc obtinebit tam naturalis concordia.

2. Non ſemper haberet moralis Dei imperii ratio notas bonitatis, ſine qua nulla majeſtas eſt. Nam vita hæc mortalis niſi conſideretur, ut via ad beatiorem, ut ſtadium in quo decertamus, ut quidam militiæ & probationis ſtatus, divinæ benevolentiæ illam acceptam vix referre poſſumus; neque illius providentiæ ratio ullo modo boni Legiſlatoris eſſe videtur. Nam quid tam alienum a bonitate, quam creaturas ſuas infinitis malis implicare, illasque ad malum innumeris tentationibus allicere, nullo conſtituto victoribus præmio? ſed ut cum exantlaverint infinitos labores, & ad virtutem per moleſtias & ærumnas ſummo ſtudio contenderint, incidant in mortis malum ſempiternum. Profecto ſi ex benevolentia Deum excitatum fuiſſe intelligimus ad creandum, multo magis ad conſervationem ſuarum creaturarum illum inclinare debet eadem in eas propenſa voluntas. Nam accepta ſemel exiſtentia quoddam comparatur ad illam jus: beneficium eſt quod auferri niſi ab ingratis non debet: *turpius ejicitur*, ut fert Adagium, *quam non admittitur hoſpes*. Deinde eſtne boni Legiſlatoris ferre leges beatam vitam non efficientes, aut ſubditos devincire inſtitutis quæ ad ærumnas ducunt & miſerias: obedientia voluntati Legiſlatoris ſapientis & in bonum ſuorum ſubditorum propenſi neceſſario beatos efficere debet legibus obtemperantes. Sed ſi non ſit altera poſt hanc conditionem mortalem vita, in qua Deus ſe abſolvat, videbitur tuliſſe leges felicitatem ſuarum creaturarum nullo modo efficientes: reperietur obedientiam divinæ voluntati ad ærumnas ſæpe & miſerias ducere; religioſos propter pietatem in Deum infelices eſſe, improbos propter impietatem ſuas utilitates conſecutos.

3. Divina adminiſtratio aliena eſſet ab æquitate & juſtitia. Nam juſtitia generatim nihil aliud eſt quam æqua voluntas, id eſt, conſtans propoſitum agendi juxta æternum ordinem in rerum naturis fundatum. Atqui ſi nulla eſſet poſt hanc conditionem mortalem vita, in qua bonos præmia, pœnæ ſontes manerent, divina adminiſtratio aliena eſſet ab immutabilibus rerum naturis, neque ullo mo-

modo æterno ordini consona. Etenim, ut jam confectum fuit, inter bonum & malum morale est discrimen essentiale in rerum naturis positum, illaque dividit communis Dei & hominum intelligentia: bonum naturali pulchritudine decorum est & amabile, provocatque sponte sua omnium rationalium studia: vitium contra ex propria fœditate turpe est & odiosum. Atqui nisi Deus se absolveret in altera vita, ageret ab iis rerum naturis modo valde abhorrenti: ex ejus gubernationis ratione judicandi locus esset, nullum esse ejusmodi naturale inter bonum malumque discrimen, cum ipse omnium Parens & Legislator bonorum & malorum non haberet rationem: nullo modo ex ejus regiminis forma concludere possemus illum virtutibus delectari, aut ab improbitate aversum esse; bonos siquidem & malos eodem tractaret modo: immo illum constituisset ordinem in quo majora quandoque essent vitii quam virtutis præmia.

Præterea ubi erunt divinæ immutabilitatis signa? certe si Deus sit ens immutabile, neque temere & sine consilio agat; fixa atque constans esse debet illius voluntas; hancque ejus constantiam experiri debent præstantissima ejus opera. Sed quid tam inconstans, tam a consilio & omni gravitate alienum, quam in destruendis creaturis perpetuo occupari, & idipsum agere quod exprobare solemus homini levi & inconstanti, *qui diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis*. Deinde ex æternitate sua pendet omnis rationalis naturæ dignitas, *nisi ad contemplandas res divinas admitterer, non erat operæ pretium nasci: quid enim erat cur in numero viventium me positum gauderem? An ut cibos & potiones percolarem? Ut hoc corpus caussarium & fluidum periturumque, nisi subinde impleatur, farcirem & viverem ægri minister, & mortem timerem cui omnes nascimur? Detrahe hoc inestimabile bonum immortalitatis, non est vita tanti ut sudem, ut æstuem. Quam contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit*. Immo monstrosus naturæ partus homo esset, si ejus vita hujus conditionis limitibus finiretur: affectionibus commoveretur naturalibus sine causas; futurorum sæculorum terroribus vanis frangeretur; vel spe deluderetur bonorum quæ nunquam esset consecuturus: quid tam informe & disjunctum a Dei sapientia, cæterisque perfectionibus?

At, inquies, hæc parum consentire videntur cum iis quæ supra confecta sunt, videlicet; Dei sapientiam, bonitatem & justitiam in rerum administratione evidentissime elucere.

Respondeo has Dei perfectiones elucere quidem, & quantum decet in statu *militiæ* & *probationis*; non vero quantum deceret in statu *finali* & in *ultima scena*. Deus certe leges sanxit sapientissimas, illas pœnis & præmiis confirmavit; & bona multa nostris usibus paravit, ut facile agnoscere possimus illum rebus interesse humanis, virtutis patronum esse & vindicem scelerum: satis, ut concludere possimus illum aliquando homines in judicium adducturum esse, sed non satis ad vindicandas suas perfectiones. Quippe non possumus aliter absolvere divinam providentiam, nisi cogitemus illam extra hujus vitæ limites excurrere, hanc conditionem mortalem statum esse militiæ & probationis, in quo decertandum sit; superandæ variæ difficultates; in quo magis promissis divinis ad virtutem accendimus, quam propter virtutem remuneramur; in quo vitium non tam divinis castigatur judiciis, quam gravissimis comminationibus & terroribus coercetur: nempe animadvertere licet impios non tam luere pœnas scelerum suppliciis, quæ sæpius nulla sunt, quam metu suppliciorum; bonos non tam frui voluptatibus, quibus sæpe nunquam potiuntur, quam quadam jucunditate ex spe felicitatis. Ergo quoniam in hac vita habemus spem & expectationem præmiorum aut suppliciorum, in alia illa retribui necesse est. Ita certe conclusum fuit etiam a Paganis Philosophis, inter quos illi solummodo interire funditus animum in morte judicarunt, qui negabant Deum habere ullam rerum humanarum

pro-

procurationem. Unius hic utemur authoritate Plutarchi qui in libro *de iis qui sero a numine puniuntur*, scribit: *pugnat anima sicut athleta in vita; postquam vero certamen peregerit, accipit quæ ipsi conveniunt*. In eodem libro demonstrat immortalitatem animarum in iisdem plane rationibus fundari, in quibus fundatur ipsa Dei providentia. Ex quibus observationibus hoc aliud nascitur argumentum.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex præsenti rerum administratione.

In superiore disputatione confectum est Deum in hoc mundo personam judicis sustinere; judiciumque, quantum convenit rerum humanarum præsenti sorti, severum exercere: ostensum est virtutis exercitio conjuncta esse præmia multa naturalia, quæ probos beatos efficerent; si nulla essent fortunæ tormenta, & inter malos non versaremur; vitio vero adjunctas esse pœnas, quæ nisi suspenderentur corporis voluptatibus, variisque fortunæ bonis malos misere cruciarent: uno verbo demonstratum est Deum exercere morale imperium per leges naturales sanctione præmiorum & pœnarum confirmatas. Jam vero quod Deus exerceat morale imperium in hac vita, id argumento est in vita altera futuram ejusdem imperii moralis continuationem. Cur abdicabit se hoc imperio? Cur personam judicis deponet? quæ causa suspicandi esse potest, virtutem amissuram salutarem suam vim, aut virium noxiam suam naturam? potestne hæc tanta mutatio consistere cum divina constantia?

At, inquies, sit constans divinæ administrationis ratio: ex eo solummodo concludere licebit partem divinæ administrationis futuram, extra conspectum nostrum jam positam, consentientem & analogam fore cum administratione præsenti, in qua alget virtus & lætos cernimus florere nocentes. Respondeo administrationem diei posse constantem duplici modo; primo si iisdem causis perpetuo & fine, mutatione agentibus iidem semper consequerentur effectus; alio etiam sensu administrationem dici posse unam & constantem; nempe unitate consilii & finis, cum omnia ad finem aliquem ordinata sunt: sic cum architecti saxa secant, machinas admovent, tabulata ad fornicum constructionem conficiunt, quoniam hæc ad ædificium construendum necessaria sunt, suum propositum prosequuntur & constans habetur eorum agendi ratio. Jam vero divina administratio dici non potest una atque constans priori sensu, cum hominis conditio a prima conceptione multas experiatur mutationes & insignem expertura sit, ubi positis corporis exuviis mundum hunc relinquet; quia præterea experimur animum humanum ad capienda scientiæ & felicitatis incrementa aptum natum esse: ergo una & constans tantum esse potest Dei moralis administratio ratione finis & consilii. Sed quis est finis imperii Dei moralis? An ut felicitas vitii merces sit, miseria effectus virtutis? Nullatenus: nam huic fini opposita est utriusque efficientia naturalis, neque in hac perturbatione rerum is est exitus. An ut omnia sint semper incerta, ut nunc vitio, nunc virtuti temere famuletur felicitas? Nequaquam: quia experimur felicitatem esse virtutis *naturalem* appendicem, hancque salutarem ejus vim nonnisi *contingentibus* causis & in hoc præsenti statu operantibus suspendi: experimur quoque vitio, utpote naturæ rationali contrario, *naturaliter* adjunctam esse ægritudinem, & nonnisi *accidentalibus* causis deliniri improbos. Uno verbo ubi virtus est infelix & vitium felix, violentus status est, rerum naturis repugnans, Deo hominibusque invisus; qui idcirco perdurare non potest: neque in præsenti vita obtinet aliquando nisi quia ob sapientissimas causas, quarum aliquas etiam nobis non difficile est intelligere, placuit parenti optimo nos in statu *probationis* & *disciplinæ* collocare; cujus ratio postulat, ut boni per aliquod tempus difficultates experiantur & severiorem adhibeant disciplinam, ad virtutis perfectum statum, seu acquirendum, seu conservandum.

dum.

dum. Sed unde novimus statum hunc esse statum probationis & disciplinæ respectu alterius vitæ? Hoc primum concludimus ex divinarum perfectionum, quas aliter absolvere non possumus, consideratione: Deinde etiam cum unicuique experientia sua & observatione constet nos esse in statu probationis & disciplinæ respectu *felicitatis hujus vitæ*, quæ maxima ex parte pendet ex cujusque prudentia & in moderanda vita industria, per analogiam concludimus in eodem esse nos respectu *felicitatis futuræ*. Analogiam hanc exposuit diligenter & accurate Cl. Author libri inter omnes alios absoluti, qui inscribitur *Analogia religionis naturalis & revelatæ cum naturæ constitutione*. Cum argumento hoc sequens conjungendum est.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex hominis natura morali.

1. In omni sapienti rerum administratione hoc principium fundamentale est, quamque rem regendam esse pro sua natura: multoque magis hanc legem sequetur omnium naturarum parens: sic intelligimus Deum a belluis non esse postulaturum rationem operationum suarum, quia cognitionis & libertatis expertes in judicium adduci non possunt: propter eandem rationem si homines ad rationem reddendum sint a natura comparati, bene auguratur illos esse vocandos aliquando in judicium: cur enim eos tractaret modo naturæ suæ non convenienti? Atqui homo est revera comparatus a natura ad reddendam rationem suarum actionum: nam rationis particeps scienter agit, libere etiam & ad arbitrium vivit, præterea lege devincitur, denique agnoscit superiorem & judicem. Nec solum propter hanc naturalem conditionem rationis reddendæ par est, verum insuper videmus eum semper paratum esse ad defendendum sese aut accusandum, quasi ante tribunal judicis staret: nam sese turpiter agentem damnat, & etiam in tenebris ignavi pudet facinoris: si qui testes fuerint inhonestæ actionis, rubore suffunditur, aut defensionem suscipit facinoris. Hi sensus non solum infimis hominibus insunt, sed ipsos principes, a quibus nulla ratio in terris exigi potest, afficiunt. Cum ita igitur simus comparati, ut non modo rationis reddendæ pares, sed etiam motu quodam naturali inclinemur ad illam reddendam omnibus quorum interest, nullum dubium est quin supremo rerum omnium rectori ratio nobis aliquando reddenda sit.

2. In omni disputatione proficiscendum est ab hoc principio: quod omnis naturalis sensus necessario verax sit; a Deo quippe insitus naturæ illius quodammodo monentis vox est (*Vide pag.* 44.). Quod vero insitæ sint ab ipsa natura omnium hominum animis expectatio futuri Dei judicii & quædam præsensiones futurorum sæculorum, colligimus ex eo quod hi sensus universales sint; quod sponte & naturaliter sine institutione & doctrina exoriantur in hominum animis; quod ita inhæreant, ut nulla industria possint extirpari.

Primo. Certe illi sensus generales sunt. Nam habemus in hac parte consentientes omnes antiquissimos populos, *Hebræos*, *Ægyptios*, *Chaldæos*, *Indos*, *Persas*, *Getas*, *Gallos*, *Græcos* & *Romanos*, omnemque antiquitatem: priscis illis omnibus insitum fuisse legimus apud *Herodotum*, *Pausaniam* & alios, esse in morte sensum, neque excessu vitæ sic deleri hominem ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum è pontificio jure, quod ubique obtinuit & ceremoniis sepulchrorum intelligi licet, quas tanta cura non coluissent omnes populi nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quamdam quasi migrationem, commutationemque vitæ. Hinc quoque totum prope cælum a priscis populis genere humano completum est, & primus derivatus fluxit idolorum cultus. Veteribus populis consentiunt omnes, qui hodie sunt terræ incolæ, *Mexicani*, *Peruviani*, *Brasilienses*, &c. Denique si specimen naturæ cujus-

juslibet a natura optima sumendum sit, uti possumus authoribus præclarissimis ingeniis summisque Philosophis in omni gente, *Confucio*, *Zoroastro*, *Socrate*, infinitisque aliis, quorum extant gravissimæ de hac re sententiæ.

Secundo. Illa opinio non est institutis & legibus confirmata, non illam communem fecit collocutio hominum, sed ipsa vox naturæ. Sponte enascitur sine doctrina in animo quædam magnifica de se opinio: cogitare quippe non possumus animum nostrum nobis ingeneratum esse, instar salis, ad arcendam a corpore putredinem. *Quid multa? ait Tullius*, *sic mihi persuasi*, *sic sentio; cum tanta celeritas animorum sit*, *tanta memoria præteritorum*, *futurorum providentia*, *tot artes*, *tantæ scientiæ*, *tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas contineat*, *esse mortalem*. Deinde, ut ait idem *Cicero*, *maximum argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacite judicare, quod omnibus curæ sint, quæ post mortem futura sunt; quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare .... Nonne in his ipsis libris, quos scribunt Philosophi de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? Quod si omnium consensus naturæ vox est & omnes qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui è vita cesserint; nobis quoque idem existimandum est. Et, si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sunt, cernere naturæ vim maxime: verisimile est cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus*. Denique homines boni in maximis molestiis & ærumnis gravissimis spe futurorum bonorum naturaliter confirmantur: impii è contrario quamvis afflet fortuna & abundent voluptatibus, tamen in illa sua copia metuunt, perturbantur & ægritudinibus exeduntur.

Tertio. Illi de immortalitate animorum sensus nullo modo extirpari possunt; sicuti experientia constat: & uti possumus authoritate ipsius *Epicuri* qui docebat non posse jucunde vivi, nisi honeste vivatur; *quod ea quæ sunt luxuriosis efficientia voluptatum metus injiciant graves Deorum a quibus nulla industria liberari possunt*.

At, inquies, prædicti sensus ex quibus petitur argumentum omnino vani sunt: illa suæ excellentiæ opinio animi plus æquo superbientis inanis elatio est. Desiderium immortalitatis nihil aliud est quam suæ conservationis studium; vivere ambimus, interitum reformidamus; vitæ idcirco limites ambitiose nimis proferimus. Metuimus etiam futuras pœnas; sicuti in tenebris lemures, sicut horrebat olim totum humanum genus tricipitem Cerberum, Cocyti fremitum & furias anguibus terribiles. *Humana vanitas*, ut observat *Plinius*, *in futurum etiam se propagat & in mortis quoque tempore*, *ipsa sibi vitam mentitur*, *alias immortalitatem animæ*, *alias transfigurationem*, *alias sensum inferis dando & manes colendo*, *Deumque faciendo*, *qui jam etiam homo esse desierit*.

Respondeo: si anima ad immortalitatem genita sit, sapienter factum esse, ut hujus destinationis conscia magnifice de se existimet: sin mortalis sit, cur tantopere superbiat nullam causam esse. Nos ergo naturæ partes tuemur, & præstat certe tueri; cum nullam aliam nacti simus præceptricem. Deinde desiderium immortalitatis longe distat a studio propriæ conservationis: divisos enim sæpe experimur istos sensus; mali optant interitum sempiternum, dum ardentissime suæ student conservationi: boni vitam facile profundunt propter immortalitatis spem. Sed demus immortalitatis desiderium sponte nasci ex suæ conservationis studio: ergo ambimus naturali inclinatione æternam vitam, æque constanter & necessario ac conservationem vitæ. Quid porro tam certo expectandum, quam quod natura duce necessario appetimus? Denique spes immortalitatis beatæ & metus futurorum suppliciorum

cum

cum vanis terroribus confundi non possunt : quia formidines vanæ, quatenus distinguuntur ab ipsa voce naturæ, neque universales sunt, neque sponte nascuntur & facile extirpantur ; phantasiæ fœtus sunt & fictæ a Poetis imagines, non rationis secum ipsa deliberantis judicia : quam vero habent constantiam, eam omnem mutuantur a sensibus naturalibus, quibuscum consociatæ sunt & quodammodo confusæ.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex natura Animorum immortali.

Idcirco futurum post mortem judicium incredibile quibusdam videtur, quod difficile sit cogitatione comprehendere, qualis animus sit vacans corpore, magnum ergo pondus superioribus argumentis addemus, si confecerimus animum esse a corpore diversum & natura sua immortalem. Jam supra ubi de existentia & immensitate Dei, plures demonstrationes propositæ sunt, quibus efficitur substantiæ cogitantis simplicitas segregata non tantum ab omni concretione *corporea*, sed etiam ab omni *extensione*: adeoque hic solummodo observabimus, quantum distat vita animi a vita corporis, ut arripiamus occasionem confutandi varias rationes, quibus animi immortalitas impugnari solet & quas nondum attigimus.

Animus ea est hominis pars, quæ intelligentia & ratione valet, quæ doloris & lætitiæ sensus experitur, quæ suorum actuum arbitra vim continet movendi sese. Atqui hæc pars naturæ erit corpori superstes: quod hæc vita spiritalis animi sit omnino diversa a vita corporis: quod cum ea nullam etiam habeat necessariam conjunctionem, nec ab ea pendeat ullo modo: quod cogitatione comprehendere non possimus quomodo animus possit interire.

Primo vita animi multum disjuncta est a vita corporis. Etenim corporis vita in organizatione posita est, id est, in quodam partium cohærentium contextu & motu; legibusque nascitur & viget mechanicis. Illius origo minutum semen est, aut ovum, aut si velis animalculum, quod evolvitur ut arborum & fruticum semina calore nempe & nutritione intus suscepta. Omnes quibus constat partes, unde nascantur cerno: sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, cerebrum & omnem denique membrorum, & totius corporis figuram, videor posse dicere unde concreta & quomodo facta sint. Continuis mutationibus obnoxium est, singulis fere septenniis totum perit & renascitur. Quid contra animus est? En cujus primarium attributum individua cogitatio est: non porrigitur in longitudinem & latitudinem, non dividitur, non ponderat, non cohæsione vel motu partium consistit. Non pulsu agitatur externo, sed affectibus: suarum operationum arbitra commovet se sponte sua, exercetque in corpus dominium. Manet mens amputatis membris integra, diffluente corpore immota, mutato alternis annis corpore eadem. Nihil intelligimus in animo quod ex terra fictum esse videatur: nihil aut humidum, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ & cogitationis habeat, quod præterita teneat, futura prævideat & complecti possit præsentia. Concludendum igitur est cum *Platone*, cæterisque omnibus gravioribus Philosophis singularem esse naturam & vim animi longissime sejunctam a natura corporis: quam *Entelechiam* vocabat *Aristoteles*, quasi quandam continuatam motionem & perennem.

Secundo. Quantacunque sit communio inter corpus & animum, manifestum est nullam esse inter utramque substantiam connexionem; ac etiamsi anima nihil aliud sit quam atomus quædam materiæ, tamen ejus vitam spiritalem independentem esse a vita corporis organici. Nam si hæc vis spiritalis ab organica dispositione corporis ullo modo penderet; vel penderet a partium numero, vel ab earum figura, vel ab eorumdem motu & contextu. Sed profecto viginti partes per vim cohæsionis vel gravitatis connexæ non sunt ad cogitandum aptio-

aptiores quam decem, neque pars sanguinis velociter agitata sapientior est alia parte minore acta velocitate, neque pars rotunda triangulari felicior ullo modo esse potest. Pone ergo vim cogitandi materiæ insitam esse, fac animum igneum cum Stoicis, vel cum aliis aereum & spirabilem, erit æternus: quia cum non vigeat, neque figura, neque motu partium, sed divino munere; nunquam interire poterit nisi Deo reposcente munus concessum. Optime ergo concludit Cicero *Anima sit animus, ignisve nescio; eum tamen jurarem esse divinum. Et si animus ignis est, idem esse & Deus poterit: nam qui siderum conversiones, omnesque motus animo vidit, is docuit similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus esset in cælo, cum enim Archimedes lunæ, solis & quinque errantium motus in sphæram illigavit, effecit idem quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit Platonis Deus, ut tarditate & celeritate dissimillimos motus una regeret conversio: quod si in hoc mundo fieri sine Deo non potest ne in sphæra quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.*

Tertio. Nullo modo cogitatione comprehendere possumus mortem animi; quia mors seu interitus est discessus & diremptio earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. Sed in animis nihil admixtum, nihil coagmentatum, nihil duplex cogitamus, quod secerni aut dividi possit. Deinde hæc propria natura animi est, quod seipsum moveat, quod vi quadam interiori & sua cogitet, propendeat, agat, uti supra confectum est. Ergo nunquam moveri & seipsum ciere desinet: quia hoc fieri non potest quin a seipso deseratur. Sic concludit acute *Cicero* post *Socratem & Platonem*, *sentit animus se moveri: quod cum sentit illud una sentit, se vi sua non aliena moveri, nec accidere posse ut ipse a se unquam deseratur. Tusc. l. 1.*

At inquies, singularem illam substantiam nullo modo licet complecti cogitatione; nec qualis sit, nec ubi sit, omnino intelligere. Deinde nullo modo concipitur qua ratione cum materia conjungi possit: nam ut ait *Lucretius l. 1.*

Quippe enim mortale æterno jungere, & una
Consentire, putare & fungi mutua posse,
Desipere est.

Respondeo primo. Nobis fortasse æque notum esse animum ac corpus: nam utramque substantiam ex attributis solummodo intelligimus: in corpore extensionem, figuram, motum & qualitates sensibiles percipimus; quæ omnia si tollas nulla restabit materiæ notio: sic in animo cogitationem, vim memoriæ, inventionem, affectiones varias cogitamus, atque ex his attributis æque clare quid sit animus intelligimus, quam ex supra memoratis corpus cognoscimus. Et vero Deus rerum omnium parens & moderator intelligitur a nobis: *alio tamen modo intelligi non potest, nisi ut mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens.* Verba sunt *Ciceronis*.

Deinde gratis assumitur a *Lucretio* naturam simplicem materiæ conjungi non posse: non intelligo qui id fiat, sed si omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, tamen iis uti licet quæ habeo. Sentio animi vim ad movendum corpus; sentio quoque illam vim in corpore esse non posse: restat igitur ut animus licet singularis naturæ cum corpore conjungi possit. Et certe Deum naturæ motui moderantem non video, ubi habitet nescio, quomodo agat ignoro: tamen certo intelligo tam ratos siderum motus, tanti molis ordinatissimum cursum procedere divinæ legis imperio. Sic mentem hominis quamvis non videamus, ut Deum non videmus; tamen ut Deum agnoscimus ex operibus ejus, sic ex memoria rerum & celeritate cogitationis vim divinam mentis agnoscere debemus.

Objicies. Quæcumque sit animi natura, concludere debemus illum experturum esse sortem corporis; quia ad illius societatem unice factus a natura videtur. Nam 1. animus diffusus in corpore quodam modo cum illo confunditur: propterea memoriam in cerebro, intelligentiam

tiam in arce capitis, in corde affectiones naturaliter collocamus.

Sic anima atque animus per se nil posse videntur
Nimirum quia per venas & viscera mistim
Per nervos atque ossa tenentur corpore ab omni.
. . . .
Inde pedes & crura mori: post inde per artus
Ire alios tractim gelidi vestigia lethi.
Lucret. l. 3.

2. Corporis ope cogitat, omnis cognitio est ex sensibus, & multum refert quali in corpore animi locati sunt; multa è corpore existunt, quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt.

Si immortalis natura animai est,
Et sentire potest secreta corpore nostro
Quinque, ut opinor, eam faciendum est sensibus auctam. *ibid.*

3. Omnes corporis vices experitur animus: cum corpore nascitur & evolvitur; corpore æstuante aut languente æstuat aut languet mens; corpore senio confecto senilis mens desipit: somno vel lethargo oppresso corpore sensus nullus est: qui igitur dubitare possumus sensum in morte nullum esse, cum in somno, ejus simulachro, videamus esse nullum sensum?

Præterea gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo puer teneroque vagatur
Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus,
Claudicat ingenium; delirat linguaque mensque,
Omnia deficiunt atque uno tempore desunt.
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.
Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægrum,
Cernimus, & flecti medicina posse videmus:
Id quoque præsagit mortalem vivere mentem. *ibid.*

Nego antecedens. Confitemur quidem animum humanum posse a Deo post corporis interitum ad nihilum redigi; posse etiam suspendi ejus vires; sed negamus ex phænomenis naturalibus confici, illum delendum, aut ejus vires suspendendas. Nam nedum vis illa divina cogitationis pendeat a corporis artificio & organis; nullo modo cogitatione consequi possumus quomodo fieri possit, nisi ex omnipotentissima Dei voluntate, ut tam intima sit duarum rerum adeo diversarum communio; quam voluntatem si tollas, intelligimus nullam fore amplius inter corpus & animum connexionem, & utramque a se invicem disjunctam propria naturæ suæ vi potituram esse: ac nedum eventurus sit animi interitus, è contrario corporis artificio, quo circumseptus erat, quasi carcere liberatus & spatia ingressus liberiora, multo puriora & dilucidiora cernet, quam nunc, per foramina illa quæ patent ad animum è corpore. *Mihi quidem*, inquit Cicero, *naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam in aliena domo, quam qualis cum exierit & in liberum cœlum quasi domum suam venerit.*

Ad primam vero rationem respondeo, tam arctam quidem esse animi & corporis conjunctionem ut animus in corpore quodammodo diffusus & ad omnes oras pertingere videatur; scilicet propter leges ab authore naturæ positas, hujus necessitudinis causas; quibus legibus efficitur, ut motus quosdam corporis comitentur in mente cogitationes aut affectiones, quasi ab illis motibus excitatæ; & vicissim animi desideria corpus certo modo

do afficiant: animum tamen cum corpore confundere multa vetant. 1. Quia evidentissimum est illas corporis commotiones non posse esse veras causas efficientes & physicas cogitationum & sensationum, sed tantum occasionales: quis enim non videat variam nervi vibrationem esse rem plane diversam a sensu coloris, vel soni, vel voluptatis, aut a quacunque idea, nec ejus causam propterea esse posse, nam *motu nihil generatur nisi motus*. 2. Quia apertissimum est animum in corpore non diffundi, nec ipsi esse ullo modo commensuratum: cum amputatis membris integer maneat animus & illius solummodo coarctetur imperium: cum maximi sint in corpore motus, quorum animus non est conscius; qualis est motus sanguinis, stomachi, cæterorumque musculorum: cum sæpius accidat ut manu abscissa dolorem tamen sentiat animus, quasi in digitis, qui jam non sunt sui corporis; quod probat certe animam sentire posse etiam in illis partibus ubi diffusa non est. Notum quoque est quod, ligatura aliqua sic compresso nervo, ut motus perduci ad cerebrum non possit, non sentiat animus illius nervi vellicationem. Propter quas omnes rationes vulgo creditur animum esse in arce capitis collocatum, corpus autem esse organum nervis, quasi fidibus, intentum, cujus pinnæ ab objectis percussæ excitant tremores, quibus ad animi sedem productis, ut totidem nuntiis, mens admonetur & varia ratione afficitur. Potuisset certe eadem plane ratione, si rerum omnium parenti placuisset, cum universa natura conjungi animus humanus, præsensque ubique adesse, sicut adest in corpore humano.

Ad secundam vero confirmationem respondeo nullo modo confici quod animus corporis ope egeat ut cogitet, quasi vero sine corpore intelligere & cogitare non possit. Nam duas quasi vitas agere videtur homo in corpore, unam *spiritualem*, *sensualem* alteram: suas habet utraque leges, suas lætitias, suas tristitias; neque a se invicem pendere videntur. Sic cum ex sensuum commotionibus afficimur, agimus vitam illam sensualem, & illam interituram esse cum sensibus facile concedemus. Sed ubi nulla re sensus vellicante animum ad seipsum advocamus & a corpore abducimus, cogitamus, argumentamur, atque afficimur propria & interiori vi: hæc vita sensuum externorum ope non viget, neque cum illis interire experientia deprehendimus: nam sine oculis, sine auribus, immo paralysi dissoluto toto corpore, viget animus, eandem vim servat quandoque memoriæ & rationis eosdem sensus amoris & odii, spei & metus. Sed demus propter illam arctam corporis & animi necessitudinem vix ullam esse in animo cogitationem, quam non comitetur aliquis in corpore motus. Attamen principium motus esse in animo sentimus, eique competere vim sese excitandi corpusque suum varia ratione afficiendi, ex quo efficitur non esse semper motum in corpore causam primam cogitationum & affectionum animi: nam quod principium motus est, a motu pendere non potest, quia causa non potest debere existentiam suo effectui. Præterea commotiones sensuum excitant quidem in animo affectiones, sed illæ affectiones nullam habent cum illis motibus proportionem: verbi gratia, quam proportionem habet contumelia in sermone alicui illata cum illa excandescentia quam solet excitare: immo experimur verbum temere ab aliquo prolatum & sine offensionis studio, vel litteris consignatum, quod certe levissime oculorum aut aurium nervos vellicat, in furorem tamen quosdam quandoque agere. Tantæ perturbationis causa esse nequit commotio organi ab objecto externo.

Ad tertiam rationem respondeo propter illam arctam, quam esse voluit Deus inter corpus & animum, necessitudinem, experiri hunc illius vices, illudque prorsus esse necessarium quamdiu manebit hæc consociatio. Nam ut continuetur illud com-

præstanda officia, quæ imbuti naturalibus sensibus cum jucunditate obirent. Finge jam aliquem *minutum Philosophum* inter homines imbutos sensibus prædictis degentem, eosdem sensus exuere & consentienter suis principiis vivere, quis exitus erit? Ipse omnium hostis constitutus, omnes experietur hostes, & ut immanis bellua cujus feritas tolerari nequit, cito exterminabitur. Pulchra sane philosophandi ratio, quæ publice recepta communem, privatim admissa privatam operatur ruinam! quis erit philosophiæ hujus fructus post mortem? Si Deus nullus sit, bene est: sed si forsitan sit aliquis mundi arbiter, & humanarum censor actionum...



RELIGIONIS NATURALIS PRINCIPIA.

PARS TERTIA.

Jurisprudentia Naturalis, seu de Officiis.

JUs NATURALE est complexio regularum, quas natura hominis rationalis ejus actionibus præscribit. *Justitia naturalis* est constans & perpetua voluntas his legibus seu regulis parendi. *Jurisprudentia naturalis* est illarum legum scientia seu ars earumdem indagatrix. Præcepta morum seu leges naturales duobus modis investigari & concludi possunt.

1. Ex *authoritate* seu ex consensione populorum, eorumque conferendo sententias, qui de officiis scripserunt, *omni autem in re, ut ait* Tullius, *consensio omnium gentium vox naturæ putanda est*. Hanc methodum secuti sunt præsertim *Grotius* in eximio suo opere *de jure belli & pacis*, & *Seldenus*, *de jure gentium juxta placita Hebræorum*, quos imitatus est *Puffendorfius* in majori suo opere, *de jure naturæ & gentium*: at longa & operosa est hæc methodus docendi, minusque ad institutum nostrum accommodata.

2. Ex *ratione*, quæ ad hanc rem non uno modo a variis Philosophis adhibita est.

Alii nempe inquirunt in varias naturæ humanæ partes, illamque constitutionem, quæ ex partium unione enascitur, atque varia officia ex convenientia cum hac constitutione naturæ, *sensum moralem* decori & honesti ducem sequentes, determinant. Hanc methodum sequebantur olim *Stoici*, quorum hoc generale effatum erat, *sequere naturam*, illamque ingeniose & eleganter prosecutus est *Cicero* tribus libris *de Officiis*; & inter recentiores *Hutchesonus* in sua *moralis philosophiæ compendiaria institutione*: hujus methodi fundamenta supra posuimus pag. 406. & seq. & pag. 501. Hi sensus, ut habet Cicero, sunt prima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quasi carmen efficitur. At ex illis accendi debet Philosophi ratio, ex ea sensus accipient confirmationem & augmentum, atque ad omnes casus poterunt applicari.

Alii vero abstractas rerum naturas, earum *convenientias* vel *disconvenientias incommutabiles* inquirunt, officiaque vitæ haud aliter, quam ipsas speculativas veritates dijudicant, vel ex ipsa intuitiva & immediata perceptione convenientiæ inter ideas morales; vel ex argumentatione & demonstratione (*Ipsa virtus brevissime recta ratio dici potest. Cic.*). Hujus etiam methodi, quam commendavit potissimum *Clarkius* in opere quod incripsit *argumenta religionis naturalis & revelatæ*, principia defendimus supra parte secunda, ubi de legis naturalis immutabili natura.

Non multum ab his distant alii, qui primum ex variis hominis perfectionibus, imperfectionibus, & ejus necessitudinibus cum aliis entibus ac cum seipso, determinant quam *personam* imposuit cuique natura, quam in vita quoque civili quisque gerit; atque ex actionum convenientia vel disconvenientia cum

cum hae *persona morali* officia deducunt. In comparatione actionum cum persona cernitur quædam *veritas* vel *falsitas*, haud minus quam in propositionibus voce, vel scripto enuntiatis. Sic qui destinata opera aliquem interficit, haud minus declarat se esse ejus hostem, quam si id elocutus fuisset: & si hostis non fuerit, sed parens, vel filius, vel concivis, actio *falsa* est & *dissentiens personæ*. Sic qui coram idolo sacrificat, haud minus ejurat Christi fidem, quam si verbis usus fuisset: quia ut habet *Cicero*, *est actio quasi sermo corporis*. Et si illam externam actionem admittat quis, interius Christi fidem retinens; revera mentitur, seu actio ejus falsa est, dissentiens personæ christiani (*a*). Hanc actionum veracitatem vel falsitatem expositam fuse & illustratam videre licet in opere quod inscribitur, *adumbratio religionis naturalis*, authore *Wollaston*.

Alii denique inquirunt in *finem generalem legis naturalis*, & in actionum humanarum cum hoc fine convenientiam vel disconvenientiam. Hanc methodum indicavit *Cicero l. 1. de off. n. 7.* Omnis, inquit, *de officio duplex est quæstio: unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum: alterum quod positum est in præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ confirmari potest*. Hanc methodum commendavit *Cumberlandius l. de legibus naturalibus*. Prosecutus est *Puffendorfius*, qui tamen solius hujus mortalis vitæ & actionum externarum tantum rationem habens, nimium legis naturalis finem & materiam omnem contraxit. Hanc etiam secutus est *Hobbius* in *l. de Cive & Leviathan*, sed male definito fine, utpote quem esse vult cujusque *conservationem & utilitatem propri in hac vita*, tota via aberravit. Hanc & nos, utpote breviorem, certiorem & ad docendum aptiorem, non relictis omnino aliis, sequemur: adeoque primum demonstrabimus legem naturalem charitate in omnes diffusa contineri, seu ejus finem esse totius civitatis rationalium, cui præest Deus, bonum publicum: ac deinde officia sic deducemus, ut ad hanc formam facile revocari possint. *Actus hic humanus ad meam, aliorumque communem felicitatem, præ reliquis eodem tempore possibilibus maxime conducet*. Hæc ergo erit nobis formula, quam constituendam esse monet *Cicero* (*b*), neque differt multum ab ea, quam ille a *Stoicis* mutuatus est, quæ talis est: *detrahere aliquid alteri & alterius incommodo suum augere, est contra naturam; pro multorum autem incolumitate & salute labores & molestias suscipere, secundum naturam est*. Ex quo sequetur *honestatem & utilitatem solidam* unquam pugnare; neque hanc quæstionem unquam incidere, an honestati utilitas anteponenda sit.

Lex naturalis charitate in omnes diffusa continetur, & virtus in studio boni publici consistit.

Nam ille est legis naturalis finis, quam solum sibi proponere potuit Deus hujus legis inventor, disceptator, lator: quem probat sensus moralis & ratio: ad quem quærendum præmiis atque pœnis ex rerum constitutione enascentibus obligamur. Legum quippe omnium sensus

(*a*) Idem esse dicebat Socrates veritatem & virtutem. *Sen.*

Omnia officia mutuis relationibus sunt metienda. Pater est? Præcipitur, curam ejus agendam, cedendum ei in omnibus: si convincietur, si verberet, ferendum esse. At pater malus est. Numquid natura cum bono patre conjunctus es? Non, sed cum patre. Tu ergo munus tuum erga eum tuere, nec quid ille agat considera: sed quibus rebus agendis tuum institutum naturæ futurum sit consentaneum. Sic vicini, sic civis, sic imperatoris officium invenies, si mutuas relationes spectare consueveris. *Epict. Ench. c. 37.* Vide *Comm. Simplicii*.

(*b*) Formula quædam constituenda est, quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus. *De Off.*

sus intelligitur, vel ex cognita *legislatoris mente*; vel ex ipsis *tabulis*; vel ex *judiciis*. Atqui primo Deus communis parens, isque sapiens, sanctus, bonus, immo cujus omnium operationum bonitas principium est, nullam partem sui operis deserere potest, sed universorum bonum necessario intendit: uti supra confectum est, ubi de providentia Dei. Secundo sensus moralis atque ratio, quæ quasi legum naturalium tabulæ sunt, ipsæ quoque propensiones maxime naturales probant, suadentque hunc finem: uti conclusum est art. 1. partis 2. & pag. 437. Tertio denique ad quærendum bonum publicum præmiis & pœnis, quæ sunt quasi Dei judicia, cogimur: ut in adstruenda legis naturalis sanctione modo confectum est. (*Vide etiam supra pag.* 449.).

Ex quibus sequitur virum probum legis naturalis observantem seu virtutis asseclam, eum esse, cujus omnes *sententias*, *affectus*, *actiones* regit charitas: qui animo complexus universum naturæ ordinem, magnæ reipublicæ, cujus rector Deus, se civem agnoscit, & ad promovenda publica commoda & imperantis Dei, & civium, & sua, omnes confert vires & facultates. Qui primum summo studio intendit ingenii aciem, illamque convertit ad investigandas rerum naturas, Dei præsertim & entium rationalium perfectiones; ad inventionem finium præstantissimorum, & mediorum ad eosdem consequendos aptissimorum: qui uno verbo *mentem* rerum divinarum & humanarum scientia excolere diligenter contendit. Qui deinde cogitatione sic complexus universum rerum ordinem, ad hunc accommodat omnes motus *voluntatis*, & in unamquamque rem pro suo merito aut perfectione propendet. Qui denique *externum* corporis *habitum* & omnes *actiones* ex scientia veri & amore recti constanter moderatur. Hunc virum vere Dei similem & perfectissimam ejus imaginem intelligimus; eum Deo sentit & judicat, cum Deo amat & desiderat; actionibus Dei minister est, cujus exequitur voluntatem & providentiam adjuvat: uno verbo parvus in corpore Deus est. *Nam*, ut habet *Seneca*, *animum bonum & rectum*, *quid aliud voces*, *quam Deum in humano corpore hospitantem*. *Ep.* 31.

Aristoteles & alii omnes Philosophi ac scholæ, Theologi, hoc præcipue considerantes, quod cum omnes insiti naturæ hominum sensus, appetitionesque omnes provido Dei consilio ad aliquam vitæ utilitatem destinatæ sunt; ab illis tamen homines ad extrema quæque, ubi non sunt temperatæ abripiantur; virtutem in *mediocritate* posuerunt, illamque dixerunt, *habitum electivum in mediocritate situm*, *secundum rectam rationem*. Ex hoc virtutis præcipuo officio, quod ab extremis excessuum & defectuum animi motus cohibeat; in virtutibus explicandis percurrerunt varias affectiones, earumque varios gradus justo vehementiores aut languidiores; medios monstrantes esse tutissimos, utilissimos, magisque decoros; quos volunt esse virtutes (*a*). Habitum vero hanc auream mediocritatem conservantem in partes quatuor dividunt, quas vocant virtutes Cardinales: *Prudentiam*, *Justitiam*, *Temperantiam*, *Fortitudinem*. Atque ad has alias omnes virtutes revocant, saltem morales; aut tanquam earum *species* seu *partes subjectivas*; aut tanquam earum *munera* seu *actus*, seu *partes potentiales*; aut tanquam earum *partes integrales*, sine quibus virtus moralis integra esse non posset. Hæc fusius explicata videre licet apud *Sanctum Thomam* 2. 2.

Obvia magis & ad docendum longe aptior est illa divisio quam secuti præsertim sunt recentiores, a quibus virtutes omnes distinguuntur ratione objectorum, erga quæ sunt exercendæ; & ad tres principales revocantur: nempe *Religionem*, quæ est exercitatio facultatum & virium naturalium circa Deum & res divi-

(*a*) Vide hujus methodi censuram apud Grotium in prolegomenis l. de jure belli & pacis.

divinas; *Philanthropiam* seu *Humanitatem*, quæ posita est in applicatione virium animi & corporis ad promovenda publica hominum commoda: & *Prudentiam* privatam, quæ est constans studium suæ propriæ perfectionis & felicitatis; causarumque, quibus hæ res continentur, diligens exploratio. Atque hanc partitionem, utpote faciliorem, & utiliorem, nos prosequemur.

SECTIO PRIMA.

de Officiis erga Deum.

PIETAS in Deum tribus constat ex supradictis, scilicet reverentissimis de Deo *sententiis*, piissimis in Deum *affectibus*, & *cultu externo* honorificentissimo.

Sententiæ hæ alta mente reponantur, quarum veritatem supra in Theologia naturali demonstravimus.

I. Deus agnoscendus est, & exploratis divinæ in omni re artis ac consilii signis fovenda vivida in Deum fides.

Primus Deorum cultus, *inquit* Seneca ep. 95. *Deos credere*. *Quid enim verius*, inquit *Cicero*, *l.* 2. *de leg. quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se mentem & rationem putet inesse, in cœlo mundoque non putet; aut ut ea quæ vix summa ingenii acie comprehendat, nulla ratione moveri putet?*

II. Deus alio modo intelligi non debet, quam ut mens æterna, necessaria, infinita, immutabilis, omnisciens, omnipotens, sibi sufficiens, sui possessione beatissima.

Ita inter Ethnicos omnes ferme Philosophi Deum descripsere, uti supra confectum est.

III. Non solum præstantissimam esse Dei naturam cogitare debemus; sed omnium rerum author & creator agnoscendus; intelligendumque ejus ditioni subjecta omnia procedere æternæ legis imperio; specialem habere illum rerum humanarum curam; patrem esse amantissimum, simulque justissimum ac sanctissimum judicem.

Primus Deorum cultus, *ait* Seneca, ep. 95. *Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; scire illos esse qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt.*

IV. Deus unicus agnoscendus est, neque pluribus tribuere licet divinam majestatem.

Hanc etiam consentientem fuisse veterum omnium de *Deo summo* sententiam supra confecimus.

V. Divinam naturam plane incomprehensibilem cogitare oportet, nec ullam ejus fingere ex rebus creatis imaginem vel descriptionem.

Profecto cum Deus natura infinita sit, mentique nostræ non obversentur nisi finitæ imagines; ex his nullo modo intelligi potest. Ideoque cum divini numinis speciem, quantum possumus perfectissimam informamus animo, cum illa debemus semper conjungere nostræ tenuitatis sensum. Quamobrem non modo alieni a divina natura judicandi sunt corporum modi, ut *figura*, *locus*, *motus* & cæteri; sed nec Deo tribuendæ sunt animorum nostrorum affectiones; non *pœnitentia*, aut *ira*, aut *commiseratio*, aut *vindicta*; qui sensus in nobis dolorem habent adjunctum, cui Deus obnoxius esse nequit: Non *cupiditas*, aut *spes*, aut *desiderium*, qui affectus indigentiam significant. Cum etiam Deo voluntatem tribuimus, amovenda sunt omnia creatæ voluntatis vitia, omnis *debilitas*, omnis *imperfectio*: nulli sunt in Deo motus turbulenti, humanis similes passionibus; quamvis ei bonis actionibus acceptos nos reddamus & a malis censeatur alienus; cavendum tamen ne putemus pietatem nostram cultumve Deo utilitatem aliquam afferre: nostra in eo præcipue vertitur utilitas; nostri causa cum Deus exigit, ut summa fruamur felicitate ex virtute. Non itaque existimare debemus ejus beatitudinem incertam esse, precariam aut a rebus externis pendentem: neque propter se gloriæ,

hono-

honoris aut laudis appetens censeatur, aut propter has causas cuncta fecisse; sed intelligendum ex stabili potius bonitate & voluntate perpetua suam communicandi felicitatem profluere omnia Dei consilia. Denique non est tribuenda Deo cognitio aut intelligentia nostræ rationi similis; nulla est in Deo mentis *contentio*, nulla *successio idearum*; omnia simul infinitæ menti comprehensa observantur. (*a*)

Illæ mentis sententiæ sequentes provocare debent animi affectus.

I. *Adorationem*. Cum Dei præstantissima natura sit & majestas infinita, maxima decet nos teneri in ejus contemplatione, tum admiratione, tum reverentia: decet, nostram tenuitatem cum ejus magnitudine comparando, nos quam maxime coram illo demittere & quasi pro nihilo habere, qui affectus proprie *adoratio* dicitur.

II. *Gratos sensus & amorem*. Cum Deus existentiam, bonaque innumera in nos contulerit; infinitaque ejus beneficia Patrem ostendant nostri amantissimum, eum oportet totis animis diligere omnique ratione intendere gratos erga eum sensus. Neque ideo tantum Deum amabit vir bonus, quod ab ejus liberalitate multa acceperit & multa speret; sed ex ipsa virtutis, omnisque præstantiæ contemplatione gratuitus in ejus animo efflorescet amor, nulla suæ utilitatis habita ratione.

Quem astrorum ordines, ait Cicero *l.* 2. *de leg. quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea quæ nobis gignuntur ad fruendum non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerare qui decet?*

III. *Timorem*. Cum Deus ex una parte sanctissimus, ex altera potentissimus sit, eum non modo adorare & diligere, sed & vereri oportet; summoque studio cavere ne aliquam in nos succensendi & animadvertendi causam præbeamus.

Quia tamen Deus non est formidolosum aut sævum Numen, sed optimus parens, non ejus generis debet timor esse, qui cum amore & maxima fiducia nequeat consistere: ideoque recte scripsit *Seneca de Benef. l.* 4. *Deos nemo sanus timet: furor est metuere salutaria, nec quisquam amat, quos timet*. Et Varro apud S. Aug. l. 6. de civ. Dei *Deos a religioso vereri, a superstitioso timeri*.

IV. *Fiduciam*. Cum Dei ditione omnia contineantur, sitque propensus ad benefaciendum; cumque nos omni tempore mala multa premant, multa etiam impendeant: nostri officii est ad Deum *precibus* confugere; ejus opem implorare, & si in eum peccaverimus omni studio oportet exorare.

Ad orandum omnes a natura ipsa edocti & sumus etiam propensi, quo factum est ut nulla unquam gens fuerit, quæ Deum precibus moveri non crediderit; & in ærumnis ac periculis id omnes habeant in ore, *mi Deus*, *bone Deus*: quod profecto non fieret, *nec in hunc furorem*, ut Senecæ verbis utar, *omnes mortales consensissent, alloquendi surda Numina & inefficaces Deos, nisi nossent illorum beneficia nunc ultro oblata, nunc orantibus data, magna, opportuna, &c.* l. 4. de Benef.

Porro ut preces Deo gratæ sint, afferenda est 1. magna mentis attentio, magnum impetrandi studium, magna fiducia, sine quibus carerent reverentia & contumeliosæ potius essent. *Audacter*, ait Seneca ep. 1. *Deum roga bonam mentem, bonam valetudinem animi & corporis, nihil illum de alieno rogaturus*. 2. Roganda sunt vera bona, & ea quæ palam

(*a*) Neque enim fieri potest ut tantum saltum faciamus cogitatione nostra, ut æquemus primi principii dignitatem, cui eum eorum bonorum, quæ cogitatione complectimur, maxime veneranda, sanctissima, & primaria tam nomina quam res tribuimus; illud perinsanissimum habendum, nihil nos illi dignum ipso tribuisse. Sed ad veniam impetrandam illud nobis satis est, quod nihil superius illis habeamus. *Simplicius in Epict. c.* 38.

palam audientibus omnibus hominibus petere possis. *Sic vive cum hominibus*, ait ibid. Seneca, *tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Quanta dementia est hominum! turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescunt; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* 3. Cum in magna verorum bonorum ignoratione versemur, eaque sæpissime in votis habeamus, quæ nobis noxia essent, imitanda est veteris Poetæ modestia, qui hac utebatur precatione. *Jupiter bone res quidem bonas, sive precemur, sive non precemur nobis concede, res vero noxias, etiamsi illas postulemus, a nobis arce.* Quod etiam suadet Juvenalis.

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Di.
Carior est illis homo, quam sibi.

V. *Devotionem*. Cum Deus sit optimus, simulque sapientissimus & potentissimus, debemus ei nos totos tradere, omnemque fortunam æquanimiter tolerare: nam quia sapientissimus, optime novit quid nobis conveniat; quia est optimus, nostris sollicite consulit commodis, & denique quia pontentissimus, nequeunt esse irrita benigna Dei consilia (*a*).

Magnifica apud *Stoicos* & multum celebrata sententia fuit: *sequere Deum*: In qua omnem ponebant vitæ disciplinam. *Hic magnus animus*, ait Seneca ep. 107. *qui se Deo tradidit; & contra ille pusillus & degener, qui obluctatur. Mentem nostram*, inquit Epictetus, *submittere oportet gubernanti omnia menti, tanquam boni cives legi civitatis.*

Sequitur æquanimiter ferenda esse quæcumque fortunæ incommoda. De quo officio multa sunt præclara *Stoicorum* dicta, *quidquid*, inquit Seneca l. de vita beata, *ex universi constitutione patiendum est magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia; nec perturbari his quæ vitare nostræ potestatis non est: in regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Et alibi. *Quæcunque fiunt debuisse fieri putes, nec velis objurgare naturam: optimum est pati, quod emendare non possis. Malus miles est, qui imperatorem suum gemens sequitur. Semper magis volo*, dicebat Epictetus apud Arrianum l. 3. diss. 7. *id quod evenit. Melius enim arbitror, quod Deus vult, quam quod ego: adjungar & adhærebo illi, velut minister & asseclа. Cum illo appeto, cum illo desidero & simpliciter ac uno verbo, quod Deus vult volo. &* l. 2. diss. 16. sic Deum affatur: *Utere me in reliquum ubi lubet & ut lubet, mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium quæ tibi videbuntur, Quocumque me voles, ducito; quam vestem lubet, circumdato, magistratum me gerere vis? privatum esse? manere, fugere? in pauperie, in opibus agere? ego non assentior tantum, sed in his omnibus apud alios ego te defendam & tuebor.*

VI. *Puritatem & sanctitatem*. Cum Deus sit ens sanctissimum, & reipublicæ rationalium imperator & oculatissimus judex, oportet legibus divinis omni studio atque diligentia parere; virtutumque omnium moralium, integritatis, bonitatis & justitiæ exercitatione Deum, quantum licet, exprimere.

Optimus animus, inquit Seneca, *pulcher-*

(*a*) Nunquam bono quidam mali contingere potest, nec vivo, nec mortuo, cum res ipsius Deo curæ sint. *Cicc. Tusc. qu. l.* 1. Quidnam in rebus humanis & casibus formidandum filio Dei occurret? Si quis attingat propinquitate Cæsarem, aut alium quempiam potentiorum Romæ; satis ad tuto vivendum, & ut ne despiciatur, præsidii habebit, nec sibi ab aliquo timebit. Deum vero cum habeamus conditorem, & patrem, & curatorem, is nos tristitia & metu non liberabit? *Epict. apud Arrianum l.* 1. *c.* 9.

cherrimus Dei cultus: & ep. 95. Vis Deos propitiare, bonus esto: satis illos coluit, quisquis imitatus est. Cultus autem Deorum, inquit Cicero l. de Natura Deor. *est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce venereris. Sic certe vivendum est*, verba sunt Senecæ, ep. 83. *tanquam in conspectu vivamus: sic cogitandum tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est; interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.*

VII. Cum voluntatis motus est & propensiones omnes fiant exercitatione vegetiores, sæpius & statis temporibus exercenda est pietas, Deum contemplando, adorando, amore & fiducia complectendo, ejus opem implorando, nos ipsi committendo, quod valebit multum ad animos cæteris omnibus virtutibus excolendos, & ad mores emendandos; ad omnia vitæ officia strenue obeunda excitabit; quin etiam perfectissimum illud omnis virtutis exemplar sæpius recolendo, accendetur ardentius studium illius perfectionis imitandæ.

DENIQUE sunt etiam officia religionis externa: nam ut supra diximus non solum mentem & voluntatem, sed omnes quas natura dedit facultates & habilitates corporis ad Dei cultum conferre oportet, si recte de Deo existimare & bene erga eum affici, sic recte agere necesse est. Et profecto exercitationes corporis externæ naturaliter comitantur internos animi motus, natura siquidem solitarium refugit ac sponte in actionem prorumpit: eosdem etiam sensus in nobis intendunt, & contagione quadam excitant in aliis actiones externæ.

Sint actus externi honorificentissimi, lex est generalis. Itaque

I. Cum naturæ divinæ infinita majestas sit, testanda est summa reverentia maxima in omni externo cultu gravitate.

Nulla igitur fingenda Numinis species corporea, nam omnis figura aliena est a majestate divina. Nulli sint vani & superstitiosi ritus, quales erant apud Ethnicos Aruspicum atque Augurum religiones. Nulli ludi, qui nedum foveant pietatem, avocant potius & alio traducunt; quales erant *Circenses & Scenici*.

II. Conceptos in animo gratos sensus oportet gratiarum actionibus prodere: idque tum voce, scil. in meditatis carminibus & orationibus; tum actibus, videlicet donis honorificentissimis.

Dico esse adhibenda meditata carmina, donaque eximia; quia ad significandam reverentiam afferenda sunt cujusque generis optima; si ad thronum principis non nisi arte multa compositos sermones & munera pulcherrima afferre audemus, multo magis ad aras Numinis accedentes hæc decet observantia. Non tamen splendidissima dona afferre necesse est, nam omnibus patere debet ad colendum & placandum Numen via, neque arcenda est Dei aditu paupertas, sed unumquemque oportet

Sacrificare Deo, ut opes viresque tulerunt.

quia, ut habet Plinius, *non in victimis, licet opima sint, auroque præfulgeant, Dei est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium.*

III. Si testari pium timorem adversus Deum velimus, considerate & magnifice de Deo semper loquamur: non temere nominemus: non per alium juremus: non sine causa gravi testem appellemus: denique jurisjurandi religio inviolata esto.

Si gravi semper & honorifico erga Deum sermone uti velimus, ea adhibeamus præcipue verba, quæ negativa sunt; qualia sunt, *incomprehensibilis, infinitus, immensus, æternus*. Vel utendum superlativo gradu & dicendus est, *altissimus, maximus, optimus*. Vel hæc indefinita usurpemus vocabula; *bonus, justus, sanctus, creator*, quibus omnibus significare nos potius admirationem nostram, observantiam & ob-

& obsequentem animum, cogitare debemus, quam ejus naturam describere. Proprium & unicum divinæ essentiæ nomen est, *Iehovah*, id est, *sum*. Suæ cum nobis necessitudinis, *Deus*: quo vocabulo significatur, *Creator*, *Parens*, *Dominus*.

Non leviter & inconsulto nominandus est Deus, injuriosum quippe est. Per Deum solum jurandum est, quia, dum per Deum solum juramus, agnoscimus nihil eum latere, & ultricem manum neminem posse avertere; mos est igitur Deo perhonorificus: per aliud quidquam jurare alterius quasi Dei agnitio est. Nonnisi caute & in causis gravibus testis appellandus, quia non vacat contumelia inutilis & vana contestatio. Jurisjurandi inviolata religio esse debet; quia Deus voti testis & exactor est, atque perjurii pœna ex consensu voventis exitium est.

IV. A precationibus rerum agendarum initium sumendum est; si Deo, ut par est, in ejus ope fiduciam testari velimus.

Legimus fuisse in Republica Romana legibus constitutum, ut non solum rerum agendarum, sed etiam dicendi in Foro vel Curia initium ab eorum invocatione sumeretur. Quia existimarunt teste *Plinio in paneg. quod nihil rite, nihil providenter homines, sine immortalium ope, consilio, honore, auspicarentur*.

V. Submissum Deo animum testari oportet in omni fortuna, in prospera modestia, in adversa constantia.

Non modo Dei voluntati assentiendum est, sed ut præcipit *Epictetus*, divinam providentiam tueri semper & apud alios defendere oportet, imitati magnum illud patientiæ exemplar *Job*, ac cum illo dicere: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*.

Cum sit Deus ens sanctissimum, simulque oculatissimus cordium scrutator, non solum admovenda est divinis aris corporis castimonia, sed etiam pura & incorrupta mente officiis religionis externis perfungi oportet. Nam simulare pietatem quasi fallere possemus, contumelia est; atque sacris sese immiscere absque pio animo, contemptus majestatis est. *Donis impii*, inquit Cicero, *ne placare audeant Deos: Platonem audiant, qui vetat dubitare qua sit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit*. *Animadverto*, inquit Plinius in paneg. *Deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate lætari: gratioremqae existimari, qui delubris Deorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit*. Quibus consonant hæc *Persii* satyra secunda in fine.

Dicite Pontifices in Templo quid facit aurum.
Nempe hoc quod Veneri dicatæ a Virgine puppæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum jus, fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo, admoveam Templis & farre litabo.

Hæc omnia officia non tantum privatim & in penetralibus, sed publice & in aliorum conspectu exequenda sunt, alias quod in honore præcipuum est, nempe aliorum excitatio ad cultum Numinis & officia omnia, amittitur. Si in civitate positi simus, & sit legibus constituta forma cultus divini, nullo modo abhorrens a vera pietate, utendum est cæremoniis publica authoritate sancitis & in templis sacra omnibus probata facienda sunt.

Apud quem piæ vigent istius modi sententiæ, affectiones & actiones adversus Deum, apud eundem accendetur studium inquirendi de omnibus divinæ voluntatis significationibus: & si quæ eluxerit, sive per ipsam rerum naturam, sive per revelationem, quod sperarunt Philosophorum principes, ei lubens, lætusque sese accommodabit.

SECTIO SECUNDA.

De Officiis erga seipsum.

Simul atque natum animal quodcunque est, ipsum sibi conciliari, & commendari cernimus a natura, ad se conservandum, suumque statum; & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienari autem ab interitu, iisque rebus, quæ interitum videantur afferre. Neque profecto est ullum animal cui necessaria magis fuerit hæc sui commendatio, quam homini; cujus pendet omnis perfectio & excellentia a sua in colendo se se diligentia. Sunt igitur hominis adversum se officia in natura posita, quæ si non solum ad propriam utilitatem, sed ad Dei cultum, aliorumque commoda referantur, nulla erunt his sanctiora.

Cum homo constet *anima* & *corpore*, obvia est officiorum divisio in ea, quæ pertinent ad illius culturam, & hujus optimam conservationem.

De animi cultura.

Animi cultura duabus partibus constat, informatione *mentis* & temperatione *voluntatis*.

I. Ad optimam *mentis* informationem hæc præcepta cuique sequenda sunt pro suis facultatibus & opportunitatibus.

1. Oportet naturales sensus, quos supra diximus reflexos & morales, fovere & intendere; præsertim illum honesti & decori, quo cernimus quid deceat, quis in quoque sit modus, quid hominis sapiat dignitatem. Sunt enim hi sensus elementa ex quibus virtutis quasi carmen efficitur, quæ licet natura omnium insint mentibus, tamen attentione & recta institutione vividiores efficiuntur: hinc in ingenuis adolescentibus, qui liberaliter fuerunt educati, longe magis vigent: acriori laudis studio incenduntur, magis timent infamiam, pulchritudine magnarum actionum fortius commoventur, a turpitudine magis abhorrent.

2. Quoniam natura nobis dedit ingenium parum firmum, quod tamen exercitatione ad contentionem & laborem fingi potest, illius vires sunt explicandæ, confirmanda ratio, judicii acuenda sagacitas, quantum patietur vitæ conditio. De qua re legendi logici.

3. Cum pravæ opiniones sanitate spolient animum, haud secus ac sanguis in corpore corruptus illius vitiat habitum; omnibus opibus elaborandum est, ut nullæ insideant in mente præjudicatæ opiniones, & in judicando vitemus temeritatem. Quod vitium effugere qui volet, adhibebit ad res considerandas tempus & diligentiam: nihil tenebit, quod non habuerit perspectum, & cujus non possit causam probabilem reddere. Non alieno stabit judicio & more pecudum sequetur antecedentium gregem: *oportet in ea re maxime*, inquit Lactantius *inst. div.* lib. 2. c. 7. *in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti, ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem: dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere*. Tamen quoniam quisque scire omnia nequit, & major hominum pars philosophiæ vacare non potest; nihil consideratum magis sæpenumero, quam petere a sapientioribus consilium, eorumque parere monitis. Teneat etiam quisque hoc præceptum *Columellæ* l. de re rustica: *in universa vita pretiosissimum esse, intelligere quemque nescire se, quod nesciat; semperque cupere, quod ignoret addiscere*.

4°. Sed animi cultura in his etiam vertitur, ut mens veris imbuatur sententiis circa res ad officium pertinentes atque quam maximam sibi comparet rerum digniorum scientiam. Species enim ab intellectu repræsentatas sequuntur fere semper voluntatis motus. Addiscendum igitur recte ea æstimare, quæ appetitus stimulare solent; perspiciendumque quid quæque ad bene beateque viven-

vendum afferant, & qui sint fines bonorum & malorum; quibus cognitis, inventa est totius vitæ ratio. Alte igitur imprimis infigendum animo est, quod supra attigimus, summum hominis bonum esse situm in ipsa pietate erga Deum & erga homines benevolentia ac beneficentia.

Itaque primo natura divina, omnesque ejus virtutes infinitæ, pro viribus explorandæ; præcipue quæ generationem nostram, amorem, fiduciamque alliciunt: alteque combibendæ sunt, animo illæ veritates, quas paragrapho superiori exposuimus.

Deinde intrandum est in naturam humanam, seduloque discendum, quid homines simus, quos Deus nos esse velit, quod munus, quam personam communem & cuique propriam imposuit.

Intelligat quisque se non casu & fortuito, sed divino munere natum, tantisque instructum dotibus: aliquid sentiat se habere divinum, ingeniumque in se suum, ut loquitur Tullius, simulachrum aliquod dedicatum putet. (*a*)

Intelligat etiam quisque non esse suam vitam hujus ævi terminis finitam, sed in hac conditione meliori feliciorique vitæ præludi.

Intelligat quisque quemadmodum in vitam subornatus venerit, quanta habeat instrumenta ad obtinendam sapientiam & felicitatem.

Aliarum omnium rerum præter virtutem & sapientiam adhibenda est despicientia, quam comparabit quicumque sedulo perpenderit, quam viles, sordidæ, fluxæ & caducæ sunt voluptates, quæque res iis inserviunt, atque ipsa quidem corpora! quam exigua sint gaudia, quam parum necessaria, quæ ex vitæ cultu & splendore percipiuntur; quamque etiam incerta; quot curis paranda & servanda, & quam cito satietatem aut nauseam allatura! Deinde quam imperfectæ sint omnes scientiæ, ad novas obscuritates, ancipitesque cogitandi curas, & tenebras animum subinde ducentes impeditum: nostramque de rebus fere cunctis detegentes cœcitatem, aut hebetudinem, quantula itidem res sit gloria, ab ignaris immerito collata, ævi brevis & incerti spatio fruenda, per exiguam terræ partem permeans, cum omni laudatorum & laudantium memoria, æterna nocte obruenda. Eadem etiam brevis ævi memoria & meditatio, animum ad aspera omnia & adversa ferenda aut spernenda confirmabit: præcipue hoc adjuncto, animum fortiter perpetientem & perferentem, vires suas amplificaturum; atque ad instar ignis validi, omnia conjecta in suam naturam convertentis, æstuque ardentiore prorumpentis, se ea ipsa mala in insignioris laudis virtutisque materiam convertere posse. Ut brevi præcidamus, humana omnia fluxa, incerta, putida, brevis dieculæ spatio interitura; in immenso & utrinque porrecto æternitatis oceano mox absorbenda (*b*). Quid est
in

(*a*) Existit illa a Deo Delphis præcepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat, conjunctamque cum divina mente se sentiat: ex quo insatiabili gaudio compleatur. Ipsa enim cogitatio de vi & de natura Deorum incendit illius æternitatis imitandæ. *Cic.* Vide *Arianum* l. 1. c. 3.

(*b*) Vitæ humanæ tempus, punctum est: natura, fluxa: sensus, obscurus: corporis universi fabrica, putrescere prona: anima, vaga: fortuna, res impervestigabilis: fama, quiddam judicii expers: & ut verbo dicam, omnia corporis quidem, fluvius; animæ vero, somnium & fumus: vita, militia & hospitis in peregrino mora: fama posthuma, oblivio mera. Quidnam est ergo quod hominem deducere & transmittere possit? Res sola & unica est philosophia. *M. Anton.* l. 2. c. 17. Vide *ibid.* c. 12. & l. 7. c. 48. Quamvis modum omnem prætergressi sunt Stoici, nimium virtuti tribuentes, nimium cætera bona calumniantes, proderit tamen multum eorum scripta sæpius & diligentius legere; quia non modo
præ-

in hominis vita diu? cedunt & dies, & menses, & anni: cuique moriendum est; & illud incertum, an hoc ipso die: quumque advenerit supremum tempus, omne quod præteriit effluxit: tantum remanet quod virtute & recte factis consecutus sis; beatæ immortalitatis spem præbens lætam, quæ sola animum vera fortitudine confirmare, & divini imperii justitiam & bonitatem illustrare potest. (*Hutcheson.* Phil. moralis.)

II. Ad optimam vero temperationem *voluntatis* hæc præcepta tenenda sunt.

1. Omni ope elaborandum est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, neque propter pigritiam aut ignaviam deserant. Hoc animo alte infigendum, rationem in homine partem esse præcipuam, qua antecedit animantia, esse natura cæterarum omnium facultatum dominum & reginam: contra ejus niti vetitum, exuere naturam & monstrosum esse. Suum ergo arrogent sibi imperium mens & ratio, viresque animi pene divinæ in appetitus omnes humiliores; eosque regere & reprimere assuescant. Quod quidem continuam fere, in degenere hoc humani generis statu postulat meditationem, attentionem & disciplinam interiorem; cui plurimum conferent officia pietatis erga Deum, adoratio, preces, delictorum confessio, pia vota, perpetuus Dei omnia intuentis & ubique præsentis sensus. Cumque perturbati animorum motus præcipuam suam vim sortiantur ex incauta quadam idearum complicatione, unde in certis rebus sine ulla causa miras imaginamur virtutes aut magnum aliquod ad beatam vitam momentum; ex eo quod apud incautos, quibuscum versamur, ambitiosos, luxuriosos & flagitiosos, qui pravis habitibus naturalem rerum sensum depravarunt, hæc maximi æstimentur; ut debitum consequamur in hasce cupiditates imperium & veram assequamur animi libertatem; plurimum profuerit complicatas hasce notiones evolvere & divellere; & res omnes quæ appetitum stimulare solent sedulo perspicere furtivis hisce coloribus nudatas; ut quid veri boni, quid mali in re quaque reperiatur cognitum habeamus & exploratum; ne ultra rationes veri boni aut mali assurgat appetitio aut fuga (*Vide* M. Ant. l. *6*. c. 13. & l. 8.).

2. Quoniam passiones non sine causa fuerunt nobis ab authore naturæ ingeneratæ, non est necesse illum quietum Stoicorum statum seu apathiam affectare. Sed ubi fuerint temperatæ, earum licebit stimulis parere, præcipue cum ad officia omnia præstanda cum alacritate impellant, cursusque ad id omne, quod præclarum est, per eas incitetur: unde easdem *animæ alas* aut *quadrigas* appellavit *Plato*.

Itaque primo, licet *gloriam* in bene agendo quærere, & illa *laudis*, cujus a pueritia appetentissimi sumus, cupiditate ferri ad præclaras res gerendas. Nam ut scribit *Cic. Tus.* 3. *Est gloria solida quædam res & expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat tanquam imago: quæ quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda.* Et præterea adhibenda est quædam reverentia adversus homines omnes: unde negligere, quid de se alii sentiunt, juxta eundem *l. de Offic. c.* 28. *non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti.*

Non est tamen confundenda illa gloria cum ea, quæ se ejus imitatricem esse vult, temeraria atque inconsiderata, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatrice fama populari; quæ simulatione honestatis, formam ejus, pulchritudinemque corrumpit. Hæc prorsus homini probo contemnenda est, quæ plerumque ab improbis hominibus ex fastu, ex splendidis palatiis, ex apparatus superbia; & magnis quandoque facinoribus

præclarissimis abundant præceptis; sed constituunt virtutum imagines ante oculos cum amplissima dignitate, quibus animus in earum admirationem & amorem accenditur.

bus comparatur. Nam ut ait *Horatius*, *Ode* 2. *l.* 3.

Virtus repulsæ nescia fordidæ,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Nec etiam tanti facienda est vera gloria, ut illam pro virtute tuenda amittere parati non simus. *Si gratum esse non licebit*, inquit præclare Seneca, ep. 87. *nisi ut videar ingratus: si reddere beneficium non aliter, quam per speciem injuriæ potero; æquissimo animo ad honestum consilium, per mediam infamiam tendam. Nemo mihi videtur magis æstimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, quam qui viri boni famam perdidit, ne conscientiam perderet.* Audiamus etiam præcipientem Ciceronem: *te autem si in oculis sis multitudinis, tamen ejus judicio stare nolim, nec quod illa putat idem putare pulcherrimum: tuo tibi judicio est utendum: tibi si recta probanti placebis, tum non modo tu te viceris, sed omnes & omnia. Hoc igitur tibi propone, amplitudinem & quasi quamdam exaggerationem quam altissimam animi, quæ maxime eminet contemnendis & despiciendis doloribus; unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, vacet populo, neque plausum captans, se tantum ipse delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quæ sine venditatione & sine populo teste fiunt, non quod fugiendus sit, omnia enim benefacta in luce collocari volunt; sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est.* Hæc vera descriptio *magnanimitatis* est, cujus est nihil præter sapientiam, virtutem & immortalitatem magni æstimare, & contra honorum dignitatumque jacturam erigere.

Secundo. Cum *paupertas* magnum malum sit, nosque multis faciat obnoxios incommodis, quærere *opes* non modo licet, sed suadet ratio; modo non sit immoderata appetitio, & æstimentur tanti, quanti valent, scilicet propter utilitatem ad victum & vestitum atque ad alios sublevandos. Neque vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda, si opes dederit fortuna, aut opportunitas obtulerit, aut conciliaverit industria. Sed fugienda omnis injuria est, nec studiosè licet pecuniam recondere. Oportet semper meminisse, nihil esse tam angusti animi, tamque parvi, quam amare divitias: nihil honestius, magnificentiusque, quam pecuniam contemnere, si non habeas: si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre (*a*): magnas divitias parum augere felicitatem, immo oneri plerumque esse; *quia crescentem sequitur cura pecuniam, majorumque fames*; quia, ut habet *Apuleius*, *immodicæ divitiæ, velut tunica longa & præpendens, impediunt & præcipitant: aut velut ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt, quam regunt, quod habeant irritam copiam, anxiam nimietatem.*

Divitiæ grandes homini sunt vivere parce
Æquo animo, neque enim est unquam penuria parvi.

Lucr. l. 5. v. 1116.

Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam,
In quantum sitis atque fames & frigora poscunt.

Juvenal. Sat. 14. v. 316.

Deum igitur cum Rege sapientissimo precemur: *paupertatem & divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria.*

In divitiarum ergo usu, si illas habeas majores, adhibenda est magnificentia & liberalitas; si habeas mediocres aut parvas, frugalitas; si nullas, æquanimitas & patientia.

Tertio. Quoniam adjuncta est naturæ nostræ appetitio quædam *principatus*, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis causa, juste & le-

(*a*) Cur tu abundas, ille mendicat; nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, ille vero patientiæ præmiis coronetur? *S. Basil. in serm. ad divites avar.*

& legitime imperanti : cumque intersit maxime boni publici, ut præclarissima ingenia hac appetitione excitentur ad capessendam rempublicam & magnas res gerendas; non omnis damnanda est *ambitio*, & ut verbis *Ciceronis* utamur, *quamvis forsitan iis concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellente ingenio doctrinæ sese dediderunt; & iis qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviori causa impediti, a republica recesserunt: quibus tamen talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quæ plerique mirentur, imperia & magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto: quorum judicium in eo, quod gloriam contemnent & pro nihilo putent, difficile factu est non probare; sed videntur labores & molestias tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam timere & infamiam, & ignave deserunt honestatis locum & virtutis. Ergo his, si habeant a natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione adipiscendi magistratus & gerenda respublica est: nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo potest.*

Virtus honoris & potentiæ cupiditatem temperans *modestia* dicitur, quæ præcipit : 1. non nimis elate, sed sobrie de se concipere. 2. Honores, quibus dignus es, non avidius prosequi. 3. Inferioris conditionis hominibus seipsum accommodare, humaniterque cum illis agere. 4. Alios debito honore ac laude nunquam fraudare. 5. Curare ut nec in cultu corporis, nec in reliquo apparatu, gestibus, victu, ædibus & similibus, ex immodico & fastuoso splendore captes gloriam. Uno verbo absit omnis superbia, omnis arrogantia & impotens dominandi libido.

Quarto. Cum omnis *dolor* contrarius naturæ sit, nihilque magis secundum naturam quam *voluptas*; illum sine dubio fugere, hanc prosequi licet. Sed cavendum studiose ab iis rebus, quæ dum voluptatem afferunt, molles & effœminatos reddunt; minuunt vires mentis & corporis; avocant a rebus gerendis; magnis impensis conciliantur, magnæ rerum ad vitam necessariarum consumptionis & jacturæ causæ sunt; quæ denique concitant odia, jurgia, dissidia. Hincque omnis victus, cultusque corporis, quamvis ex benignissima constitutione Dei habeat adjunctam voluptatem, potius tamen ad valetudinem & ad vires, quam ad voluptatem referendus est. Intelligendum est in voluptatis regno nullum omnino hominibus esse posse cum virtute commercium: voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, turpe esse diffluere luxuria & delicate ac molliter vivere : ideoque qui sunt paulo erectiores, nec ex pecudum genere, quamvis voluptate capiantur, occultant & dissimulant appetitum voluptatis propter verecundiam.

Voluptatis appetitum præsertim moderantur *sobrietas & castitas*. Sobrii est, cibum & potum sumere ad conservationem vitæ & sanitatis; eum quo corpus minus gravatur, & animus magis habilis ad officia remittitur : in cibo & potu non quærere superflua, non sumptuosa, non splendida: non multum temporis ad mensam consumere. Sunt tamen tempora in quibus feriandum est & genio indulgendum, modo omnis caveatur animi & corporis perturbatio. Casti est inhonestas voluptates nunquam capere, earum memoriam penitus ex animo delere; nec pati ut earum cogitatione commoveatur; vitare illa omnia, quæ earum desideria possunt excitare, seu commessationes, seu picturas, in quibus est aliquid lascivum, seu sermones obscœnos & illiberales jocos : eluceat in gestu, in vultu, in habitu verecundia.

Ad dolorem sustinendum adhibenda *patientia*, cujus munus est animum sic obfirmare contra omnem calamitatem & dolorem, ut nihil effœminatum & indignum viro forti edat; non contra providentiam obmurmuret; aut adversus proximum doloris causa spiret vindictam. Quæ virtus comparanda est consuetudine tole-

tolerandi leviora, bonæ conscientiæ securitate, & calamitatum, quæ nobis semper impendent, prævisione: hinc optimum illud *Terentii* præceptum: *Omnes cum secundæ res sint maxime, tum maxime meditari secum oportet, quo pacto adversam fortunam ferant*. illludque Senecæ: *in ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia ejus obfirmetur*. Vide *Senecam de animi tranquillitate*.

Quinto. Quoniam omnes trahimur & ducimur ad *cognitionis* & *scientiæ* cupiditatem: & semper avemus aliquid videre, audire, addiscere; sine dubio animum ad scientias & veri investigationem conferre licet: præcipue vero, cum in scientia excellere pulchrum sit; nescire vero, turpe ducamus; habeantque scientiæ omnes nobiliores magna virtutis adjumenta, vel hoc solo, quod illis assuetus animus humiliores spernere soleat voluptates. Sed cavendum tamen est ne nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferamus, easdemque non necessarias; immo pulcherrimarum rerum studio a rebus gerendis abduci contra officium est. *Plus scire velle*, *ait* Seneca, *quam satis est; intemperantiæ genus est:* & alibi, *ut omnium rerum, sic litterarum intemperantia laboramus: nec vitæ, sed scholæ discimus*.

Sexto. Adhibeatur temperantia in *ludis* exercendis: quos prosequetur vir bonus recreationis tantum causa, non ad tempus otiose & inutiliter terendum, non pecuniæ acquirendæ causa: ludet sine perturbatione animi sui, aut aliorum scandalo.

Septimo. Usque adeo omnes passiones per se & natura honestæ sunt, ut nec *ira* omnis damnanda sit. Ubi nimia est, & ei cui inest molestissima, & aliis sæpe est pestifera: at etiam in quo nulla est, is contumeliis & petulantiæ perpetuo objicietur; neque suæ prospiciet famæ aut suorum saluti. Sic & *indignatio* illa, qua naturaliter commovemur, cum ad honores & publica munera indigni provehuntur: justa sine dubio est & homine probo dignissima, magnam habens in vita utilitatem: at ubi nimia est, aut non concipitur justa de causa (quæ *invidia* dicitur, unde nascuntur odia inveterata) teterrima est animi rubigo, ei cui inest & molestissima & turpissima, omnia sæpe miscens divina & humana.

De his autem omnibus, quæ iræ sunt affines aut malignæ videntur, animi affectionibus, hoc omnino tenendum, iis non amplius indulgendum quam exigit sui aut suorum conservatio, aut communis utilitatis cura. Vide *M. Ant. l. 11. c. 9. Sen. de ira*.

Octavo. Cum ad actionem manifestissime nati simus (*a*) nec quietam vitam

(*a*) Sunt enim clariora & plane perspicua, nec dubitanda indicia naturæ, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est hæc cernere in primis puerorum ætatulis: videmus ut conquiescere ne infantes quidem possint, cum vero paululum processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint: eaque cupiditas agendi aliquid adolescit una cum ætatibus. Itaque ne si jucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari: idque si accidat mortis instar putemus. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia præditos, videmus tamen & animo & corpore moveri semper, & cum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere aut quærere quempiam ludum aut sermonem aliquem requirere: cumque non habeant ingenuas in doctrina oblectationes, circulos aliquos & semicirculos consectari. Ne bestiæ quidem quas delectationis causa concludimus, cum copiosius aluntur quam si essent liberæ, facile patiuntur sese contineri; motusque solutos & vagos a natura sibi tributos quærunt. *Cic.*

tam sine tædio maximo agere possimus: animusque humanus ita agilis sit & pronus ad motus, grataque omnis illi excitandi sese, abstrahendique materia sit, ut detractis oblectationibus, quas ipsæ occupationes præbent, domum & solitudinem ferre non possit; invitus aspiciat se sibi relictus; hincque illud tædium & displicentia sui & nusquam residentis animi volutatio ac otii sui tristis & ægra patientia, quæ multos ad quærenda exitia impulit: manifestum est oportere unumquemque amplecti genus aliquod vitæ & tractatione rerum, officiisque civilibus se detinere: neque solum ad id impellere debet propria utilitas, sed etiam caritas patriæ ut prodesse velimus quam plurimis (*a*).

In vitæ autem genere eligendo inspicere primum debemus nosmetipsos, ut intelligamus ad quæ munera simus magis instructi a natura. Deinde ipsas res quas aggredimur, considerare oportet; & vires nostræ eum rebus, quas tentaturi sumus comparandæ: debet plus esse virium in latore, quam in onere; nam necesse est opprimant onera quæ ferente majora sunt. In quo ipso tamen cavendum est, ne aut temere desperemus propter ignaviam, aut nimis confidamus propter cupiditatem.

Bene præcipit etiam *Epictetus*, Ench. c. 40. ut quisque sibi constituat legem vivendi isti vitæ generi consentaneam quam quisque elegerit, ad quam singulæ actiones sunt dirigendæ sive solus sit, sive inter alios versetur; hac ratione summa orietur vitæ constantia & idem tenor. Hactenus de *cultura animi*.

De conservatione vitæ & cultu corporis.

Omnia quæ ad hunc locum pertinent hoc generali præcepto continentur. *Quisque id agere debet, ut se tueatur & in optimo naturæ statu conservet: eaque teneat, quæ corporis vires augere possint, declinetque nocitura.*

1. Igitur non licet temere vitam projicere, sic docuere inter veteres *Pythagoras*, *Socrates*, *Plato*, *Cicero*, aliique. Immo contumeliosa sepultura dignos censet *Plato*, qui de se statuissent. *Pontificio jure* apud Romanos sepultura prohibebantur, nec illis justa fieri oportuit (*Vide* Gutherium *de jure manium Romanorum l. 1. c. 10.*). Hinc *Virgilius* apud inferos obnoxios suppliciis scripsit.

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi.
Projecere animas. Quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!

Et recte quidem, quia non solum aspernantur naturam hominis; sed etiam quia in Deum impii, in patriam scelerati, in seipsos crudeles sunt. In Deum quidem sunt impii: nam non casu & fortuito in hanc vitæ lucem devenimus, sed in ea fuimus constituti a Deo, qui supremus vitæ nostræ arbiter est; proindeque ejus injussu de statione vitæ decedere non licet. *Piis omnibus*, ait *Tullius* in somnio Scipionis, *retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille nobis est datus, ex*

(*a*) Multi mortales dediti ventri atque somno, indocti, incultique, vitam sicut peregrinantes transiere: quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mortemque juxta æstimo, quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere, atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit. *Sall.* bell. Cat. cap. 6. *Il y a des créatures de Dieu, qu' on appelle des hommes, qui ont une ame qui est esprit, dont toute la vie est occupée & toute l' attention est réunie à scier du marbre: cela est bien simple, c' est bien peu de chose: il y en a d' autres qui s' en étonnent, mais qui sont entierement inutiles, & qui passent les jours à ne rien faire; c' est encore moins que de scier du marbre.* Caracteres de la Bruyere. *Chap. des* Jugemens.

ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo fugisse videamur. Deinde vetat etiam caritas patriæ, cui nos debemus & cui nos subtrahere pro lubitu non licet: nam etsi parum prodesse aliis posse nos sit admodum verisimile, tamen propter varios casus, id certo scire nunquam possumus. Præterea exemplis virtutum in omni ætate & in omni vitæ conditione etiam acerbissima homines ad virtutem accendere licet, immo ipsa invicta animi in maximis ærumnis constantia: e contrario de se statuere, exitiosum aliis exemplum est. Denique vetat etiam sui amor & prudentia: inconsideratum quippe est divinæ providentiæ leges invertere & festinare ad futurum statum haud vocatum a Deo: profecto si militia sit vita hominis super terram & probationis ac disciplinæ status, qui ad alium nos præparat; illum breviorem efficere cum nostro commodo non possumus, immo immatura mors magna afferre nobis poterit incommoda. Considerandum insuper est, majorem esse animi excelsitatem & constantiam in contemnenda fortuna, quam subeunda morte: nam ut ait *Martialis* l. 11. Ep. 57.

Rebus in adversis facile est contemnere vitam;
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Mors autem, *inquit* Aristoteles, *vel ut paupertatem, vel laborem, vel molesti quidpiam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi: quippe cum laborem fugere mollities sit.*

2. Huic præcepto, ut patet, adjuncta sunt ista: non licere temere & sine causa periculis sese objicere: *non offeramus nos*, inquit *Seneca*, *periculis sine causa, quo nihil stultius est ... in tranquillo tempestatem optare, dementis est.*

Nec corporis membra amputare, aut deformare licet, recteque damnat *S. Ambr.* exh. ad Virg. Hetruscum Juvenem, quem veteres fabulæ ferunt, quum propter admirandam oris pulchritudinem in amorem fœminas accenderet, stigmatibus inarasse vultum suum, ne qua eum adamaret.

Hoc etiam præcepto prohibetur omnis intemperantia, quæ habitum corporis destruit, valetudinem minuit & vitam efficit breviorem: jubetur in ornando & confirmando corpore cura, ut obedire rationi possit in exequendis negotiis & in labore tolerando. Præcipitur in conquirendis & providendis rebus ad victum & vestitum necessariis diligentia. In motu, in statu, in gestu, in ductu oris, in voce, omnis fugienda turpitudo est & quærendus modus, in quo maxima dignitas.

Tamen, quoniam omnes homines niti debent, ne ad fruges tantum consumendas nati videantur, veluti pecora, quæ natura prona, & ventri obedientia finxit; sed studere perfectioni suæ, aliorumque inservire utilitatibus: non solum in hunc finem licet in se suscipere molestias & labores quæ minuant valetudinem, sed etiam oportet. Pro salute principis, conservatione reipublicæ, & magnis societatis commodis, se objicere periculis, immo certæ morti occurrere pro tuenda veritate, pro justitia, pro salute publica, magni & excelsi animi est. *Æquo judicio*, *ut habet Ammianus Marcellinus*, *juxta timidus est & ignavus*, *qui*, *quum non oportet mori desiderat*, *& qui refugit*, *cum sit opportunum*.

De justa sui defensione infra dicemus.

SECTIO TERTIA.

De hominum erga se mutuo officiis.

Esse homines ad societatem & communitatem natos omni argumentorum genere adversus *Hobbium* supra confecimus; neque solum ex proprio sui amore ad suas consequendas utilitates copulari eos, sed omnino esse propensos a natura ad se mutuo diligendos. Quæ caritas nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio & stirpe conjungitur, ser-

 pit

pit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis: post vicinitatibus cum civibus, & iis, qui publice socii atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humanæ: quo fit ut humani nihil ab homine alienum esse possit (*a*).

Latissime patet hic locus de mutuis hominum officiis, ideo ut magis distincta oratio sit, illum in tria capita tribuemus pro tribus præcipuis hominum statibus. *Status* est, *hominis conditio permanens, varia jura, & longam obligationum seriem includens*. Estque vel *naturalis*, quem constituit ipsa natura, vel *adventitius* ab aliquo hominum facto, vel instituto ortus. Status hujusmodi infiniti sunt, at tres generaliores distinguuntur, videlicet status *libertatis naturalis*, status *domesticus*, & status *politicus*. In hac juris evolutione multum utemur *compendiaria philosophiæ moralis institutione* edita a clarissimo in academia Glasguensi professore Fr. *Hutcheson* qui nobis visus est breviter & eleganter complexus ea, quæ fusius apud *Grotium*, *Puffendorfium*, & alios tractata sunt.

CAPUT PRIMUM.

Officia societatis in statu naturalis libertatis; seu

Jurisprudentia privata.

PER *statum naturæ* eum intelligimus, in quo essent positi homines, qui nulli imperio subjicerentur, sed sola naturæ similitudine aut pactis privatis adunarentur. Nequaquam est ille status confictus a jurisconsultis ad distinctam magis juris evolutionem: nam memorant historici fuisse olim populos, & etiam nunc esse, qui liberi & soluti, sine legibus & sine imperio, vivunt; qui sequuntur vagi pecora, utque a pabulo ducti sunt, ita tuguria sua promovent, atque ubi dies deficit, ibi noctem agunt; & quamquam in familias passim & sine lege dispersi, nihil tamen in commune consultant. In eo statu naturæ fuerunt initio omnes familiæ erga se mutuo, ante constitutas civitates: in eodem sunt respublicæ & imperia: in eodem forent homines liberi, qui naufragium passi in terram incultam deferrentur. In isto naturæ statu alia sunt cujusque hominis *jura perfecta*, sine quibus omnino consistere non potest hominum communitas; alia *jura imperfecta*, sine quibus societas læta & jucunda esse non potest. Juribus hisce duplicis generis respondent obligationes seu officia: alia *perfecta*, quæ ad *justitiam*; alia *imperfecta*, quæ ad *charitatem* pertinent. Justitia vetat violare jus alienum perfectum, & tribuit alteri quod omnino suum est: caritas jubet rationem habere etiam jurium imperfectorum; & tribuit, quod nostrum est, ex humanitate. Homo justus nocet nemini; bonus etiam proderit omnibus, quantum potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De æqualitate hominum naturali & juribus ac officiis ex ea nascentibus.

IN statu naturæ omnes homines æquales sunt & paribus gaudent juribus. Nam in illo statu discriminant homines solummodo dotes vel mentis vel corporis, quibus præstant alii aliis. Sed hæ dotes sunt tantum bona eorum propria, qui illis gaudent; in aliorum personas aut res nullum jus concedunt. Qui vi-

fu

(*a*) Quomodo se habent in continuis corporis membra, eodem se habet in distitis quæ ratione sunt prædita, cum ad mutuas rei eidem conficiendæ operas conferendas nata sint. Utraque consideratio hæc animum tuum magis attinget, si te frequenter sic allocutus fueris: membrum sum ego compagis istius quæ ex ratione præditis componitur. Si partem dumtaxat esse te dixeris, homines ex animo nondum diligis: hoc ipsum benefacere, per se nondum oblectat te: adhuc tanquam quod fieri deceat tantum facis, nondum perinde ac si tibi ipsi benefacias. *Marcus Antonius*, l. 7. c. 13.

su acuto magis valet, non ideo jus in alterius oculos habet; sic nec ille cui lacertos dedit natura robustiores ullum jus habet in brachia alterius minus valentia: hic sua eodem jure possidet, quo ille sua. Sic quoque cum nulla sint indicia certa, quorum ope convenire inter omnes possit, quinam hominum sunt cæteris solertiores & meliores; cumque & hebetiores præstantem sibi arrogent prudentiam, omniumque pessimi malitiose sæpe simulant probitatem & bonitatem a vera haud facile secernendam, patet nullo probitatis aut prudentiæ obtentu posse quemquam jure in alios invitos imperium sibi arrogare. *Hoc enim communi obesset felicitati*.

Quapropter 1. jus est cuique perfectum ad vitam & corporis integritatem. 2. Jus pudicitiæ conservandæ, & *existimationis*, ut ajunt, *simplicis*, sive famæ viri probi, & hominum societate non indigni. 3. Jus ad libertatem, seu jus suo arbitratu agendi quæcunque nulla lege prohibentur. 4. Jus etiam in vitam suam, eo usque ut possit quisque se non solum periculis quibusvis, verum etiam certæ morti, objicere; ubi id exigerit sanctum aliquod officium, unde major humano generi aut præstantioribus quibusvis orietur utilitas, quam ex vitæ suæ conservatione; quod & recti honestique sensus & virtutis amor cuique commendabit. 5. Est etiam cuique jus, cujus sensus alte est a natura infixus, suo utendi judicio, in rebus omnibus seu speculativis, seu practicis, modo nemini inferatur injuria. 6. Quamvis nulli hominum natura speciale jus in aliquid externum concessit, sed omnia in communi posuit. Est tamen jus cuique naturale communibus communiter utendi: atque ut idem ei pateat aditus, qui cæteris, ad jura adventitia acquirenda seu personalia in homines, seu realia in ipsas res. 7. Jus connubia ineundi, paciscendi, societates ineundi, commercia exercendi, cum omnibus qui volunt, si modo sui sint juris, nulloque priore contractu, aliove justo impedimento prohibeantur. Hæc cuique competere jura perfecta monstrat sensus cujusque; animique affectiones omnes benigniores; eaque evidenter confirmat *communis utilitatis* ratio.

Horum jurium violationes *injuriæ* dicuntur, quo nomine comprehenduntur homicidia & omnis in alium crudelitas, adulteria, stupra, calumnia, detractiones, convicia. Injuria est, inquit *Cicero*, *quæ aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violat*.

Justitiæ ergo primum præceptum est, ut ne cui *quis noceat*, *aut nullo modo inferat injuriam*: cui præcepto hoc aliud adjunctum est: *oportere eum*, *qui fecerit injuriam*, *facti quam citissime pœnitere*, *orare veniam*, *& cumulate satisfacere*. Non pœnitere, nec satisfacere, injuriæ quædam continuatio est, & inimicitiæ demonstratio; manetque injuriam passo simultatis causa, & jus prosequendi injuriæ reparationem: qui status belli, qui contra naturam est & dissolvit societatem, ocius pace & concordia finiendus est.

ARTICULUS SECUNDUS.

De jure acquirendi dominii, ejus acquirendi rationibus, officiisque illi respondentibus.

In statu naturæ quædam *privata* esse nequeunt, sed semper remanent *communia*: illa scilicet quorum usus omnibus ad videndum necessarius est, ut *lux*, *calor solis*, *aer*, *aqua profluens*, &c. Ea etiam quæ possideri & servari nequeunt, ut *Oceanus*: transeuntibus tamen per freta recte imponi potest tributum aliquod ab ea civitate, cujus propugnaculis aut navibus armatis arceantur Pyratæ, tutumque omnibus per ea maria munitur iter: quod tamen tributum non est augendum ultra rationem sumptuum omnibus utilium. Jura ad res omnes *usus inexhausti* dicuntur *jura communia*. Quædam res nullius sunt, occupationi tamen non patent; neque sunt omnibus communes: ut *publicæ res*, *theatra*, *porticus*, *viæ*, *balnea*.

Ut

ut etiam quæ sunt sub dominio cœtus aut communitatis, ut res *sacræ*, *sanctæ* & *religiosæ*. Quæ quamvis sint extra singulorum patrimonia & commercia, veniunt tamen in populorum commercia, sive inter se, sive cum privatis. Jura ad has res, sunt *jura publica*.

At cum ad vitam sustentandam, multas res consumere unumquemque necesse sit, oportet ut in statu naturæ ea, quæ natura communia sunt & ad usus atque commoditates omnium nata, *privata* esse possint, id est, ut is tanquam *propriis* uti cuique liceat: unde nascuntur *jura privata*. Hoc non tantum suadet *communis utilitatis ratio*: sed etiam insita cuique solertia & vires ad res occupandas & colendas idoneæ, earum sponte nascentes appetitiones, benignique animi affectus, quemque incitant ad res sibi & suis utiles acquirendas & occupandas. In istiusmodi solertia & industria delectatur gnavius quisque & strenuus, atque in eo sibi plaudit, quod suo labore amicorum officiorum materiam sibi comparavit.

Hoc jus in res inanimas nullam habet difficultatem. Apparet quidem evidentissime illa omnia a parente optimo Deo parata esse in usum animalium, hominum præsertim, quibus insevit sensus ut salutaria a pestiferis secernant, & appetitus ad priora arripienda. Præterea ea quæ gignuntur è terra, cum cito sua sponte interitura sint, in nullum alium usum meliorem converti possunt, quam ut hominum inserviant utilitati & felicitati. Jus etiam hominum in belluis ad usus suos accommodandis, nititur sine dubio lege divina positiva, data primæ hominum progeniei, at insuper ex ipsa ratione satis innotescit. Videmus mutorum animantium genera debiliora in fortiorum & sagaciorum cibum a natura esse destinata; communem ergo sequuntur homines legem. Deinde jumenta omnia atque animalia mitiora, quorum hominibus præcipuus usus est hominum labore & providentia nascuntur & conservantur: hujus curæ & laboris mercedem persolvere ea æquum est, aut laboribus suis in communi positis, si ad id idonea sint; aut lacte & lana, aliisve operis: immo cum animalia hominibus debeant quod omnino vivant; neque graviore morte pereant inopinato in hominum cibum mactata, quam omnibus ab hominum tutela exclusis, fame, frigore & ferarum vi pereundum esset, non inique & crudeliter iis homines vescuntur.

Dominium vel est *primum*, quod ex rerum natura communium occupatione & cultura oritur: vel *derivatum* quod a priore domino ad novum est translatum: de jure derivato articulo sequenti dicemus.

Dominium primum acquiritur *occupatione* & *accessione*, & *usucapione*.

1. Qui prius occupat res seu inanimas, seu animatas, divina quasi providentia in rei adductus possessionem videtur: nulli infert injuriam, neque alterius violat jus (*a*): & præterea quæ possidentur, ut domus, arva, pascua, vineæ, oliveta, pomaria, horti, jumenta & his similia plurima cultu indigent & industria occupantis; at uniuscujusque labor & industria sua profecto sunt, & consequenter quæ labore & industria vigent: v. g. qui arborem severit, rigaverit, & a radice coluerit, tam suos fecit arboris istius fructus, quam sua sunt membra propria; idem de bestiis domesticis & de agris ipsis dicendum est, qui sine cultura nihil ferunt (Vide Locke *de regimine civili*.). Illa ipsa opera, quam in rebus occupandis impendit quis, in res jus proprietatis confert, quia exoritur ex illa jus in rem, majus quam jus alterius cujuscunque; sic aqua quæ dum flueret communis erat, privata est ubi hausta in vase; aqua subterranea, quæ communis fuit, illius est qui puteum.

(*a*) Quamadmodum theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest ejus esse eum locum, quem quisque occupaverit, sic in orbe mundove non adversatur jus, quominus suum quodque cujusque sit. *Cic. de fine bon. & mal.* 3. Dominium rerum ex naturali possessione cœpisse Nerva filius ait; ejusque rei vestigium remanere de his, quæ terra, mari, cœlo capiuntur; nam hæc protinus eorum fiunt, qui primi potestatem eorum adprehenderint. *Dig. l.* 41. *t.* 2.

teum excavavit: feræ retibus irretitæ præmia sunt laboris ejus, qui illa tetenderit; nec alieni laboris fructum jure quis vindicare potest: quod si faceret, vitæ abrumperet societatem, & perpetuis bellis materiam præberet.

Hincque patet res a Deo hominibus fuisse relictas in ea communione quæ dicitur *negativa*, non *positiva*. Illa est *status rerum in medio positarum, ut occupationi pateant. Hæc vero: status rerum quæ sunt in plurium dominio indiviso, ad quas nempe sibi sumendas sine dominorum omnium consensu, nemini jus est*. Recte igitur quivis, cæteris inconsultis, res prius negative communes occupabit; neque in dominio primo constituendo omnium de rebus dividendis conventionibus opus fuit.

Occupandi variæ sunt rationes, de quarum vi non una est sententia Jurisconsultorum. Quidam putant omnem occupationem fieri per corporis ad rem adjunctionem, qualis circa res mobiles maxime fit manibus, circa res soli pedibus (*Vide Puff. l. 4. c. 9.*). Alii vero arbitrantur aliquem hoc ipso occupare quod declaret certo indicio se velle occupare, vel se accingat ad occupandam rem, quæ ejus occupationi patet (*Vide notas ibidem.*). Utraque sententia nobis videtur non levibus nixa rationibus: prior est aptior ad præcavendas lites, & ideo moribus ubique ferme est confirmata; posterior magis humana. Illa nullam habet difficultatem, ideo hujus deducemus consequentias. Juxta hanc non tantum inhumanum, sed injustum esset, nulla premente necessitate, aliorum innocuos labores, inchoatos, nec dum intermissos, impedire; eorumque fructus præmatura nostra occupatione intervertere. Ergo, si quis res sibi anquirens necessarias rem aliquam prior vidit, confestim arrepturus, aut persecuturus; qui in simili non fuerat causa, inique ageret, si celerius currendo rem prius arriperet, quam antea non quærebat. Si plures simul res sibi necessarias anquirentes eandem rem viderint, quam eorum quisque facile capere possit, ea erit his omnibus communis, quamvis unus primus attigerit, vel arripuerit, nisi moribus aut legibus aliter sit constitutum. Si unus prior viderit, confestim arrepturus, alter vero prioris consilii gnarus, similes tamen ipse res anquirens, rem prior arripuerit, ea res videtur communis: nullæ enim stant ab una parte causæ magis humanæ, quam ab altera. Si quis suo labore aut solertia feras incluserit, irretiverit, aut captu faciliores fecerit, eas huic eripere, non licet; etsi neque primus illas vidisset, neque attigisset. Si pluribus innotuerit rem quamdam esse dominio vacuam & cuivis occupaturo patere, illique eam occupare simul statuerint & conati fuerint, ubi nihil in mores inductum est, illa res omnibus citius aut serius occupantibus erit communis, aut communiter habenda, aut inter hos plures pro ratione operarum & impensarum, quas prudenter & bona fide in ea occupanda singuli contulerunt, dividenda: si quidem eorum nulli defuit bona fides & justa diligentia. Uno verbo, juxta hanc sententiam hoc imprimis cavendum ne innocuorum & honestorum laborum fructus intervertantur, aut probi & industrii spes & conatus fiant irriti: si omnibus faveat hæc ratio, res debet esse communis.

Jus occupandi uniuscujusque in statu naturæ certis est limitibus circumscriptum; finitur quippe commoditatibus occupantis & eorum, quorum conservationi prospicere debet; aut eorum, quos sibi asciscere potest, excolendi viribus; ea tenere, quæ sibi inutilia, aliis utilia esse possunt, non licet; sic immensis agris, quos colere non possumus, alios excludere alienum est ab humanitate & justitia, quippe cum Deus communem omnibus terram dederit, ut communem degerent vitam, non ut rabida & furens avaritia sibi omnia vindicaret. Non ergo primo appulsu in vastam insulam, plurium familiarum capacem, pluriumque cultura egentem, fieri potest unus Paterfamilias totius insulæ dominus: neque primo classis suæ appulsu domina fit civitas vastæ continentis, plurium civitatum capacis, cui excolendæ unius civi-

vitatis coloniæ neutiquam sufficerent: recte occupat, tum familia, tum civitas quantum spes est se posse justo tempore excolere, quantum etiam necesse sit ad se adversus exteros muniendos: reliqua remanent communia.

Cum solo occupato, occupantur & ea, quorum nullus aliis esse potest usus, sine usu soli; ut *lacus*, *stagna*, *flumina* ripas occupatas interfluentia: immo & ea, quorum ex usu promiscue permisso, rebus nostris periculum immineret, ut *sinus* longius a mari in agros occupatos recedentes, partesque maris littoribus propiores, unde bellicis tormentis lædi possent res nostræ. Non tamen occupantur fera animalia, quæ sponte se subducere possunt, & in quibus custodiendis, aut includendis, nullus est impensus labor: licet recte alios ab aucupio, venatione, aut piscatu, in solo nostro, possimus arcere.

II. Dominium acquiritur *accessione*. Accessiones appellantur omnes *fructus*, *incrementa*, *alluviones* (*Vide Gr. l.* 2. *c.* 8.), *commixtiones*, *confusiones*, *specificationes*, & *meliorationes*. De quibus hæ regulæ facillimæ, nisi aliquid legibus aut moribus introductum.

1. Rei nostræ accessiones omnes, quæ nullam alterius rem aut operam includunt, sunt nostræ, nisi quis alius jus aliquod recte acquisivit, nostro derogans aliquid dominio. 2. Ubi citra dolum malum aut culpam, plurium res aut operæ ad rem aliquam conficiendam aut conflandam concurrerunt, aut rem fecerunt meliorem; dominium est hisce pluribus commune, pro rerum aut operarum quas singuli contulerunt ratione. Res igitur ipsa est his communiter, aut vicibus alternis, in eadem ratione, utenda; aut inter hos ita dividenda, si sine dispendio hoc fieri possit. 3. Quorum si nullum possit fieri, qui minore cum incommodo, re communi carere possunt, eam cedere debent magis indigenti, accepta compensatione, viro probo definienda. 4. Ubi *dolo malo* aut *culpa lata* res aut opera aliena rei meæ est immista, unde mihi fit minus utilis; ejus pretium ab eo, qui dolo aut culpa rem meam contrectavit, est mihi præstandum; immo præstandum quod mea interesset, salvam habuisse rem meam & intactam: atque rem meam mihi inutilem ipse habeat. Si vero res mea mihi facta sit utilior, una erit, tantumque illi a me præstandum, non quantum res mea facta est pretiosior, sed quantum, subductis omnibus rationibus commodi & incommodi, ejus opera factus sum locupletior.

III. Res olim a domino occupatæ *communes* iterum fieri possunt, si fuerint a domino projectæ, ea mente, ut in rerum suarum numero esse nolit. (Alia est causa earum rerum quæ in tempestate navis levandæ causa ejiciuntur.) Aut postquam vindicare eas poterat diu neglectæ, quod etiam animum abdicandi satis indicare potest: hinc diuturna earum possessio quemvis constituet dominum.

Quamdiu dominus rei, invite licet amissæ, non apparet, cedit possessori; pium tamen est & recte multis in locis constitutum, ut illa res pauperibus erogetur postquam nulla est spes agnoscendi dominum. At hoc non jubet justitia; quia ex dominio nemo jus habet præter dominum; non esse autem & non apparere tantumdem valent quoad eum, cui non apparet. Inter res domino carentes sunt *thesauri*, id est, pecuniæ quarum dominus ignoratur, qui etiam sunt inventoris: nisi legibus aut moribus aliud sit constitutum. Jus jam commune ferme est, ut addicantur principi aut saltem eorum pars.

Alia usucapio legibus civilibus introducta est ad communem utilitatem & ad præcavendas lites, scilicet *præscriptio*: Quæ est *acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore a lege definito*. Ut justa sit præscriptio hæc requiruntur. 1. Possessio nomine suo non alieno. 2. Ut sit possessio cum bona fide, id est, ut possessor nullo modo dubitet quin res sit sua saltem initio; & ut ejus ignorantia non sit vincibilis: possessio tamen bona fide inchoata per dubium non interrumpitur, cum melior sit conditio possidentis. Hæres mala fide possidentis

non

non præscribit, licet ipse de possessionis jure non dubitet; quia censetur una persona cum defuncto, qui fuit malæ fidei possessor. 3. Requiritur titulus præsumptus, sine quo nulla esse posset bona fides. 4. Debet continuari possessio tempore a lege definito. Nam cum hoc jus concedatur a lege, ut dominia non sint incerta, non potest acquiri nisi juxta regulas leges præscriptas.

Hactenus de acquirendo jure reali aut dominio rerum: de jure personali seu de imperio in personas infra dicemus. In dominio reali perfecto duæ partes distinguuntur, quæ aliquando separantur, scilicet *proprietas & ususfructus*. Est autem *ususfructus jus utendi & fruendi aliena re, salva illius substantia: fruendi*, inquam, ut distinguatur a nudo *usu*, qui nec donandi nec vendendi, nec locandi copiam facit, quæ omnia licent usufructuario. Dominium sine usufructu dicitur *nudum* & *directum*: ususfructus sine proprietate dicitur dominium *utile*. Ratio dominii dicitur *titulus*, *qui est justa & æquitati naturali consentanea possessionis causa*. Ex præcedentibus patet hunc titulum nasci ex justa *occupatione*, *accessione*, *& præscriptione*; ex sequentibus patebit quomodo idem nascitur ex *traditione contractu*, *hæreditate*, vel *ex delicto*.

IV. Justitiæ munus respondens huic juri proprietatis est, *ut communibus utatur quisque ut communibus; privatis, ut suis; ab alienis abstineat*. Detrahere, ut habet *Cicero*, aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors, quam paupertas. Nam principio tollit convictum humanum & societatem: si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet & violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam humani generis societatem. Ut si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari & interire totum corpus necesse est; sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahitque quid cuique emolumenti sui gratia, societas hominum & communitas evertatur necesse est.

Hoc præcepto vetantur non solum rapinæ, furta, incendia: sed rei alienæ injusta detentio, mala consilia, & quicumque actus ex quibus detrimentum capere possit aliquis.

Huic legi adjuncta est hæc altera, videlicet: *resarciendum esse quantocius damnum alicui illatum*. Nam qui detinet alterius res, auferre pergit. Damni autem nomine intelliguntur non solum rerum alienarum direptiones, corruptiones, detentiones injustæ; verum & fructus omnes, sive naturales, sive civiles, qui vel reipsa percepti fuerunt, vel percipi potuissent si res domino mansisset, aut si studiose culta fuisset; atque omnia etiam incommoda, quæ ex primo damno promanarunt; *lucrum* scilicet omne *cessans*, non minus quam *damnum emergens*. Neque solum id, quod quis propria opera intulit, damnum præstare tenetur; verum etiam id omne cujus aliquo modo causa fuit, vel imperio, vel cohortatione, vel consilio, vel negligentia, ubi quis impedire potuit & debuit. Qui malis vero lætantur alienis, vel injurias laudant; si causæ damnorum non sunt, improbum quidem produnt animum, sed ad ea pensanda non tenentur.

Damna data a familiæ parte aliqua, ut filio, præstabit ex bonis filii Paterfamilias: a mancipiis data videntur dominum obligare ad mancipium ea lege distrahendum, qua hominis obœrati facultates, quæ omni æri alieno solvendo non sufficiunt, inter creditores pro rata dividendæ sunt: hinc, mancipii pretium quod domini jus est; illinc, damnum datum est æstimandum, quod læsi jus est; & pro eorum ratione, mancipii pretium est dividendum, aut pensatio a domino præstanda. Quod & de *pauperie* a quadrupede facta tenendum: modo negligentia domini non obtigerit. Tamen *Grotius* negat teneri ex jure naturæ in his casibus Patremfamilias; & ex alia parte aliquid amplius in læsorum gratiam definierunt

runt leges civiles, ut domini in servis suis & animalibus coercendis fiant diligentiores. Damna data a mercenariis ipsos solos onerant. Qui casu omnino & fortuito malum intulit, reparare omnino non tenetur: nam cum non fecerit voluntarie, a fortuna illatum putandum est: ut si quis ex alto ruens alium læserit: aut si navis jactata tempestate in aliam impulsa, illam dissolverit; quanquam in hac causa multorum populorum legibus damnum tale dividi solet ob culpæ probanda difficultatem. Immo ex officio communis utilitatis causa suscepto, præcipue in rebus trepidis, ubi difficile est satis cavere; quamvis viri strenui incuria leviori damnum acceptum sit, id publice sarciendum.

Ubi plures damnum communi consensu intulere & æquales operas contulere singuli in solidum tenentur: id est, si omnes solvere possint, & velint, unusquisque partem tantum conferet; sed si ex illis unus, aut plures solvere non valeant, aut effugerint, reliqui ad totum damnum pensandum tenentur. Damni tamen illati communiter ab eo quærenda est primum restitutio, qui illud propria opera intulit, qui vulgo censebitur causa principalis, nisi servus fuerit aut mercenarius, qui ex imperio heri egerit: tum herus erit causa principalis & ab eo repetenda primum damni pensatio. Si causa principalis seu dux facti appellari non possit, vocabuntur causæ collaterales nempe ii qui adjuverunt; vel qui consilio, consensu, receptum præbendo, non impediendo cum debuerint, causæ aliquo modo extiterint: vel etiam subalternæ, nempe ii qui aliquam præbuerint ad inferendum damnum facilitatem, aut in præda & latrocinio participes fuerint. Is tamen qui totum pensavit, recte divisionis contra socios beneficium postulabit. Illis quoque, qui ad graviora mala sibi imminentia declinanda, damna aliis dederunt leviora, quamvis necessitatis favore ab omni culpa sint excusandi, ad damnum sarciendum obligantur, cum non teneantur vicini immerentes mala illis imminentia suo damno redimere.

ARTICULUS TERTIUS.

De jure transferendi dominii, ejusdem transferendi rationibus & officiis connexis.

IN statu naturæ *privata* pro arbitrio possidentis in alios transferri possunt. Docet enim recti honestique sensus inhumanum & iniquum esse, alteri res suo labore partas aut excultas prorsus non permittere. Deinde nisi hoc jus cuique concederetur, multum imminueretur hominum industria, quæ tamen ad publicum bonum fovenda est diligentissime. Neque tandem aliter jucunda erit hominum vita, nisi relicto cuique opum suarum usu libero & facultate sibi caris gratificandi: hinc jucundi fiunt labores & honesti: hinc vigent amicitiæ & mutua bonorum officia. Plenum igitur dominium continent hæc quatuor. 1. Jus rei possidendæ. 2. Jus omnem ejus usum capiendi. 3. Jus alios ab eo arcendi. 4. Jus, prout Domino libuerit, eam transferendi, vel absolute vel sub conditione quavis licita & in quemcumque eventum; sive totam sive mutilam, aut quemcunque ejus licitum usum, alteri permittendi.

Derivata jura sunt vel *realia* vel *personalia*. Juris realis materia, sunt ipsa rerum dominia; personalis materia est libertas naturalis, seu jus cujusque pro sua voluntate & judicio agendi suasque res administrandi. Hujusmodi juris parte aliqua ad alterum translata nascitur eidem jus personale.

I. Jura realia derivata sunt vel pleni dominii partes quædam, a reliquis separatæ, vel ipsa domini ab uno ad alterum translata. Partes quæ separatæ solent manere sunt quatuor scilicet. 1. Jus possidendi rem alienam: quæ sine vi & dolo ad aliquem pervenerat. 2. Jus hæreditarium. 3. Jus pignoris aut hypothecæ. 4. Servitutes.

1. Qui rem alienam sine vi aut dolo possidet, vel novit eam esse alienam; vel ex causa probabili credit esse suam: atque hic proprie dicitur *bonæ fidei possessor:* qui vi aut dolo sine justa causa rem alie-

alienam possidet, ei nullum est Jus. Qui vero sine vi & dolo possidet quod novit esse alienum, ut qui res amissas aut naufragas invenit; ei Jus est eas retinendi, quod valebit contras omnes præter Dominum per se aut per alium reposcentem, & si nullus vindicet res cedet possessori. Tenetur autem possessor publice denunciare, res eas apud se esse, Domino repetenti reddendas : eas enim celasse crimen habet furti. Recte tamen a Domino exiget impensas, in iis conservandis aut denunciandis prudenter erogatas.

Bonæ fidei possessor, 1. rem tenetur cum fructibus rei extantibus Domino reddere. Dico cum fructibus rei, nam industriæ fructus etiamsi sine re non procederent, rei tamen non debentur. 2. Si res ejusve fructus sint consumpti, tenetur Domino præstare quantum ex rei alienæ usu factus est locupletior; immo quantum rebus suis interea pepercerat; nam in hoc locupletior censetur. 3. Ubi res ipsæ earumve fructus periere; ea præstare non tenetur bonæ fidei possessor, aut fructus quos percipere neglexerat; utebatur enim rebus tanquam suis. Cessat autem bona fides, ubi primum possessori innotuit probabilis suspicandi causa rem esse alienam: eaque cessante, omnia *lata culpa* neglecta aut omissa præstare tenetur. 4. Quum rem oneroso partam titulo Domino reddit bonæ fidei possessor, pretium a venditore recte reposcit. 5. Ubi venditor solvendo non est, melior erit Domini causa, quam bonæ fidei possessoris; si rem hic emerit imprudenter non omni cautione adhibita: si vero emerit sub hasta vel in foro, melior erit causa bonæ fidei possessoris, quam Domini. Postulat utilitas publica, & ut nulla sit facilitas clam vendendi res furtivas, & ut palam ementibus certæ sint acquisitiones suæ. 6 Rem suam a bonæ fidei possessore alteri donatam a donatario recte vindicat Dominus, neque illi ullum est repetendi jus: donator non tenebitur si res bona fide possessa fuerit causa & occasio donationis & nisi omnino sine hac re donaturus tantumdem fuisset. Tunc enim lucru merit rei suæ pepercisse.

2. De jure *hæreditario* certum est, eum, qui pleno jure est Dominus, posse rem suam ad quemvis, in quemcunque eventum & sub conditionibus quibusvis licitis transferre. Hæredis igitur cujusque non minus sanctum jus est, quam donatarii. Neque minus inhumanum est; cohibere Dominum, ne ad hæredem substitutum, sibi carum, rem suam in certum eventum transferat: Non minus inhumanum est, hæredis secundi aut tertii spem sine justa causa præcidere, quam amici dona intervertere. Recte tamen leges civiles, in communem utilitatem, vetant in infinitum porrigere hæc jura, possessoribus fortasse gravia futura aut ipsi civitati: prout prodigæ & inconsultæ donationes æqui judicis sententia rescindi possunt.

3. Ad eorum jura, quibus aliquid debetur, confirmanda & munienda dantur *pignora*, ea lege, ut res oppignerata, nisi ante statum diem solutum fuerit debitum, cedat creditori; quæ est *lex commissoria*, nihil iniqui continens, si modo debitori reddendum sit quod superest pretii, ex re palam, sine fraude & vocato rei Domino, vendita. Sæpe vero non traditur res creditori; sed quod eodem ferme redit, ipsi in eam, per formulas quasdam publicas, constituitur jus reale, quod *hypotheca* dicitur. Quod cum fit, huic creditoris juri cedunt omnia jura adversus debitorem personalia quamvis priora, quæ ante hypothecam constitutam non publice innotuerant. Neque recte queruntur isti, quorum jura personalia juri cedunt reali subsequenti: sibi enim imputent, quod minore cautione contenti posthabeantur iis, quos prioris sui juris non monuerant, quique majorem impetrarunt cautionem, citra quam fidem debitoris haud fuissent secuti. Hæ formulæ solennes non tantum in statu civili locum habent, sed etiam in libertate naturali eas exigebat commerciorum fides. Nisi enim esset formula quædam, qua adhibita plena intelligitur dominii translatio, contractu nullo priore, qui latuerat, eludenda; nemo aliquid emeret, mox sibi forte vi contractus latentis eripiendum.

4. Inter jura realia, denique, sunt servitutes: *jura scil. certi usus ex re aliena percipiendi*; quæ ex contractu nascuntur; aut ex eo quod in dominio transferendo, hæc sibi prior dominus retinuit; aut denique ex lege civili. Servitutes omnes sunt jura realia, definitam rem spectantia; pro variis tamen, ut vocantur, *subjectis* quibus competere videntur, non *objectis* quæ spectant, dividuntur in *reales* & *personales*. Hæ in certi hominis gratiam constituuntur, eo defuncto interituræ: illæ in prædii vicini commoditatem constitutæ, cuicumque ejus domino competunt. Personales sunt, *ususfructus*, *usus*, *habitatio* (*a*) & similes quædam aliæ. Reales sunt vel *urbanæ* vel *rusticæ*. Urbanæ sunt *oneris ferendi*, *tigni immittendi*, *altius tollendi*, aut *non tollendi*, *stillicidii*, *luminum*, *prospectus*, &c. Rusticæ contra spectant prædia, *iter*, *actus*, *via*, (*b*) *aquæductus*, *aquæ haustus*, *pecoris ad aquam ad pulsus*, *jus pascendi*, de quibus jureconsulti uberius. Vide inst. Just. tit. 3. l. 2. Hactenus de juribus realibus a pleno dominio separatis.

Plenum autem *dominium* ab uno ad alterum transit, vel *facto domini voluntario*; vel absque eo, *vi legis* naturalis aut civilis. Atque utroque modo transit, vel in *eventum mortis* vel *inter vivos*.

De testamentis.

Facto prioris domini voluntario in eventum mortis transit dominium per *testamentum*, quod jure naturali est *quævis voluntas domini*, *de bonis suis in eventum mortis transferendis*, *declaratio*, *quæ dilucide probari potest*. De iis enim quæ probari nequeunt & de iis quæ non sunt, idem judicium.

Æquum esse ut testamenta valeant, cum nihil continent iniqui, ostendit ipsum dominii jus & commune omnibus fere consilium in rebus ultra suos usus comparandis, ut iis nempe gaudeant illi, quos quisque habet carissimos. Durum esset & inhumanum, atque industriæ inimicum, homines vivos & validos adigere, ad jus plenum in res suo labore partas ad alios transferendum. Crudele foret, morientibus illud qualecunque cognatis aut amicis benefaciendi solatium præripere; crudele & iniquum superstitibus, hæredibus institutis aut legatariis, amicorum morientium beneficia, ipsis destinata, intervertere. Spreta igitur *metaphysicorum* subtilitate, dicentium absurdum esse hominem tunc velle aut agere, quum amplius velle aut agere nequeat, testamenta recte censentur jure naturali confirmari.

Quum vero ex bonis nostris plurima sint præstanda, quæ alii jure perfecto, vel perfectis proximo, postulant; æs scilicet alienum dissolvendum, damna sarcienda, soboles conservanda, parentes egeni alendi; irrita erunt testamenta juri istiusmodi contraria. Immo ubi desunt parentes & liberi, æquum est ut propinquis inopia laborantibus, nisi manifesta obstet causa, detur testamenti inofficiosi querela. Leges naturales non minus quam civiles, etiam prospiciunt, nequid testamento contra communem utilitatem sanciatur: atque jubent eas quibus falsariorum artes præcaveantur in testamentis, ubi fieri potest, adhiberi formulas solennes; citra quas testamenta confirmari nequeunt.

De successionibus ab intestato.

Legis naturalis vi, sine facto prioris domini, in eventum mortis transit dominium in *successionibus ab intestato*, cujus sunt hæ causæ apertissimæ; quod certum sit homines, in bonis ultra usus suos congeren-

(*a*) *Ususfructus* distinguitur a nudo *usu*, quod usufructuarius jus suum alieri concedere, vel vendere, vel locare possit; non item ille qui usum habet. *Habitatio* est jus utendi ædibus: cui competit, ait Justinianus, nostra decisione permisimus non solum in ea degere, sed etiam aliis locare. *Inst. Just. l. 2. t. 2. 3.*

(*b*) *Iter* est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi vel vehiculum. *Actus* est jus agendi vel jumentum, vel vehiculum. *Via* est jus agendi & ambulandi: nam & iter & actum via in se continet. *Aquaductus* est jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

gerendis femper hoc fpectare, ut iis profint quos maxime diligunt. Hoc hominum propofitum omnibus notum, continua eft voluntatis teftatio, ubi nihil contrarium diferte funt teftati. Liberi autem & cognati, pro communi hominum ingenio, cæteris fere omnibus funt multo cariores: atque his præcipue comparare ftudent, non folum neceffaria vitæ fubfidia, verum etiam quæ ad vitæ copiam & ornatum pertinent. Quin & liberis & cognatis egenis, ab ipfa natura, quæ fanguinis junctionem benevolentiæ & caritatis vinculum effe voluit, tributum eft jus, fi non perfectum, certe perfecto proximum, ad neceffaria vitæ præfidia & ad ea etiam quæ faciunt ad uberiorem copiam & vitæ profperitatem, a parentibus & cognatis confequenda, nifi juftam eis dederint offenfionis caufam. Durum eft hominibus eripere hoc mortis inopinæ, quam nemo fatis cavere poteft, qualecunque folatium, quod foboli & cognatis profutura fint quæ fua induftria paraverunt. Hæc liberorum & cognatorum, ex fanguinis conjunctione, atque ipfa natura orta jura violare, & æquiffimas, ex cognatorum benevolentia, fpes intervertere, durum eft & iniquum. Præterea ubi certus de cognatorum fucceffione mos invaluit; recte colligitur defunctum, fi modo nihil contra teftatus fit, bona eo more defcendere voluiffe: ea ergo fuccedendi ratio eodem nititur juris fundamento, quo & teftamenta.

Cognati ad fuccedendum recte vocantur pro cognationis gradibus & gradu pares pariter: primo veniunt liberi, inter quos recte vocantur nepotes, faltem *fecundum ftirpes*; humanitas & æquitas aliquando vocarent *fecundum capita*, ubi gravi plures orphani premuntur inopia. Una cum liberis recte vocarentur parentes egeni ad neceffaria faltem vitæ præfidia; non inique una cum his vocarentur fratres probi & egeni. Ubi defunt liberi parentefque, vocandi funt fratres & forores fuperftites: cum quibus defunctorum liberi in *ftirpes* vocandi, fi non aliquando in capita: qui ubi defunt, confobrini recte vocantur fobrinique, iifque non fuperftitibus, eorum liberi atque ita deinceps. Ubi nulli funt liberi aut cognati propinquiores, videretur ad fucceffionem vocandos effe amicos, fi qui fuerant defuncto cæteris longe cariores; hoc fuaderent argumenta fuperius allata: at ubi more aut lege cognati vel remotiffimi, amicis prætermiffis, femper vocantur; ex defuncti voluntate fatis manifeftæ, illorum jus eft potius. Moris hujus a majoribus traditi hæ præcipuæ funt caufæ, quod natura plerumque caros faciat cognatos: quod cognationis faciliime cernantur gradus, amicitiæ vero difficillime: quod videamus eos, qui vitam habuerunt, victumque communem cum amicis, magis quam cum cognatis, his tamen præ illis bonorum hæreditates teftamentis plerumque relinquere.

Quamvis vitæ civilis ratio non raro exigat, ut bonorum inteftati pars melior maribus deferatur, quam quæ fœminis in eodem gradu; aut inter mares feniori magis quam quæ juniori: haud tamen inter gradu pares ingens hifce de caufis ponet difcrimen. Jus autem naturale, inter gradu pares, fexu aut ætate antecedentibus, nihil præcipui tribuit; neque novit fucceffionem *linealem*; ubi uni, præ reliquis gradu paribus, defuncti perfona eft gerenda, eique bonorum longe pars maxima tribuenda. Ea fucceffio eft tota juris civilis a natura & humanitate fæpius longiffime recedens: in primo enim gradu, fexus præftantiæ cedunt omnia alia: in fecundo gradu & remotioribus, & ea fexus & ætatis inter gradu pares præftantia & fanguinis etiam proximitas pofthabetur; nam nepti, pronepti, aut abnepti infanti, ex filio feniore defuncto, pofthabebitur non folum nepos aut pronepos ex filio juniore; verum & ipfe filius fecundus, annis & prudentia maturus. Atque fimilia omnia fiunt inter fratrum & fororum liberos ad fucceffionem vocandos. Hoc ante omnia fpectatur cujufnam parens defunctus fexu primum, deinde ætate antecefferit. Vide Gr. l. 2. c. 7.

De

De donationibus.

Facto prioris domini voluntario inter vivos transit dominium, vel gratis donationibus, vel permutationibus, ubi paciscitur quis de opera sua aut de bonis.

Est enim donatio *contractus, quo quis rem suam, aut ejus usum, vel usumfructum alteri acceptanti gratis dat, & propter nullam aliam causam quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat*. (*Dig. l. 39. t. 5. lib. 1.*) Perficitur autem cum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit, & donatarius consenserit: sic absenti, sive mittas qui ferat; sive quod ipse habeat, sibi habere eum iubeas, donari recte potest; sed si nescit, donatæ rei dominus non fit (*ib. lege* 10.). Non potest liberalitas nolenti acquiri (*ib. l. 19.*).

Donationes firmæ manent, nisi 1. quasdam conditiones donationi impositas, quas donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit (*Cod. l. 8. t. 59. l. 15.*). 2. Nisi donationis acceptor ingratus erga donatorem inveniatur, ita ut injurias atroces in eum effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat, vel vitæ periculum aliquod ei intulerit (*Ibid.*). 3. Nisi donator qui omnia bona aut magnam partem donaverit, postea liberos procreaverit (*ibid. l. 8.*). 4. Nisi inofficiosa fuerit donatio, alterius juri derogans (*Cod. l. 3. t. 29. & 30.*) Vide Domat l. 1. p. t. 10.

Etiam quod ob causam turpem aut obhonestam ad quam quis obligabatur, acceptum est, non est restituendum, sed valet donatio (*S. Th. 2. 2. 62. art. 5. Covar. p. 2. §. 2. ad cap. Peccatum.*): quamquam contrarium legibus quibusdam non immerito sanciatur. Ratio est, quia rem nemo restituere tenetur nisi sit aliena; hic autem dominium transit ex prioris domini voluntate. Aliud erit si in ipso accipiendi modo vitium fuerit, puta extorsio: hoc enim est aliud obligati onis principium, de quo hic non agimus. Gr. l. 2. c. 8. §. 12.

In donationibus etiam reciprocis non spectatur rerum donatarum æqualitas, in quo hæ differunt a contractibus onerosis.

De pactis seu contractibus.

Pactum est *duorum aut plurium consensus ad idem placitum obligationis constituendæ aut tollendæ causa datus*, quod & contractus dicitur. Dividuntur contractus in *beneficos* & *onerosos*. Benefici sunt, ubi intelligitur contrahentium alteri commodum aliquod gratis afferri: onerosi, ubi utriusque pariter spectatur utilitas, atque hoc agere profitentur paciscentes, ut res vel operæ pretio æquales mutuo transferantur.

Contractus benefici.

Beneficorum tria sunt genera decantata, *mandatum*, *commodatum* & *depositum*; quibus accenseri potest *mutuum gratuitum*.

I. *Mandatum* est, *contractus ubi quis alterius negotia sibi commissa gratis obeunda suscipit*. In quo si rei expediundæ ratio fuerit præscripta, eam observare tenetur *mandatarius*; aut suo periculo ab eadem discessum erit. Si vero negotium ipsius prudentiæ permissum fuit; non perfectæ obligationi aut officio defuisse censebitur, si eam adhibuit diligentiam, quam istiusmodi negotiis, & suis, adhibere solent viri probi & diligentes. Neque ad damnum culpa quavis levissima datum præstandum tenebitur; nisi vel summam pollicitus fuerit diligentiam; eamve plane exigat rei natura; aut ultro se obtruserat, ubi aptiorum aderat copia.

De omni autem contractu benefico tenendum, eum qui in alterum contulit beneficium, non graviorem subire obligationem, quam vel diserte suscepit, vel suscipiendum plane monuit ipsa res; eum autem in quem confertur beneficium, pro gratiæ referendæ officio, ad summam adstringi diligentiam, atque ad omne

omne damnum ex negotio ortum præstandum; ne quem suæ beneficentiæ pœniteat: non vero tenebitur ad præstanda damna fortuita cum negotio non conjuncta.

II. *Commodatum* est, *contractus quo quis rei suæ usum alteri gratis concedit*.

Tenetur *commodatarius* 1. Ad summam diligentiam & ad damnum vel levissima culpa datum præstandum. 2. Ad omnem etiam casum, cui res commodata apud dominum non fuisset obnoxia, præstandum; nisi commodator humaniter de jure suo cesserit. 3. Neque alium recte capit ejusdem usum quam qui est concessus. 4. Exacto deinde tempore, reddenda est res salva, neque magis detrita, quam usu concesso voluisse censendus est commodator. 5. Humanitas & quandoque etiam æquitas juberet, ante tempus præstitutum rem domino magis ea indigenti reddere, aut damnum ex eo, quod non reddatur, ortum præstare: nam nemo res suas alteri gratis concedere præsumitur, nisi quantum iisdem ipse carere sine damno potest.

Tenetur contra *commodator*, sumptus omnes in rem suam factos commodatario præstare, præter eos qui ad rei habilis usum sunt plerumque necessarii; aut saltem persolvere quantum res sua sibi facta est utilior & ipse ideo locupletior. A commodato distinguitur *mutuum gratuitum*, quod hoc in rebus constituatur *fungibilibus*, quæ non in *specie*, sed in *genere* redduntur: id est, in æqualibus mensuris, ponderibus aut quantitatibus.

III. *Depositum*, quod est mandati genus, est *contractus quo quis rem alienam, a domino commissam gratis custodiendam suscipit*. *Depositarius* 1. Ad mediam viri prudentis diligentiam tenetur & ad damnum *lata culpa* datum præstandum. 2. Neque re deposita sine domini consensu uti licet. 3. Eam domino reposcenti debet reddere, nisi ad facinus aliquod immediate patrandum reposcere certum sit, quod depositarius jure suo per vim prohibere potest. 4. Depositarius ab omni sumptu & impensis in re custodienda prudenter erogatis, immunis est servandus.

In his contractibus, ut etiam in tutela & negotiis gestis, ad illud consequendum quod primo & præcipue spectabatur, datæ erant *actiones directæ*; ut contra mandatarium ad res rationesque reddendas, contra commodatarium & depositarium ad res reddendas: his autem dabantur *actiones contrariæ*, ut damna sibi & sumptus præstentur. Vide *Puff. l.* 5. *c.* 4.

Contractus onerosi.

Contractuum onerosorum hæc sunt genera.

I. *Permutatio* cum *res re mutatur*. & *emptio venditio*, quum *res* pecunia *mutatur*. Hujus forma simplicissima est cum merces traduntur, pecunia soluta. Si vero de mercibus ad certum diem tradendis conveniat, pretio vel soluto, vel de eo solvendo cautione data, quæ venditori idonea videtur: ante diem merces venditoris periculo manent; post diem, si nulla tradendi fuerit in ipso mora, in depositarii loco erit venditor; ut & ab initio fuisset, si ab initio merces obtulisset paratas.

Emptioni venditioni plura adjici solent pacta aut leges; *addictio* scil. *in diem*, ubi pretii in diem differtur solutio, ante quem licet aut emptori aut venditori, meliorem accipere conditionem: quæ si non offeratur, obligabit contractus. Adjicitur etiam *lex commissoria*, ut si pretium ante statum diem solutum non fuerit, pactum sit irritum. Lex item *retractus*, sive redemptionis, qua emptor teneatur rem emptam venditori, ejusve hæredibus restituere, si pretium quandocunque vel intra certum tempus offeratur: vel qua emptor, qui in venditoris gratiam emit, possit iterum quandocumque libuerit aut certo tempore rem venditori reddere & ab eo pretium repetere. Jus denique *protimeseos*, ut si emptor rem rursus vendere voluerit, prior dominus pretium æquale soluturus cæteris emptoribus

tibus præferatur. Hujusmodi est jus propinquorum in bona consanguineorum, quod dicitur *retractus gentilitius*. Quæ res *auctione* aut *sub hasta* venduntur, ei qui plurimo licitatur cedunt.

Venduntur aliquando non res certæ, sed earum spes incertæ. Vide *Puff. l.* 5. *c.* 5.

III. *Locatio conductio* est *contractus, in quo pro certa mercede, rei nostræ usus aut opera alteri addicitur*. Locator rem usui idoneam præstare tenetur & conservare; conductor ea uti, ut rebus similibus & suis solent viri probi: & quicquid sua culpa lata periit, præstare. Ubi nulla conductoris culpa res locata periit; non ulterius solvenda erit merces. Ubi rei proventus est incertus; ut uberior conductoris lucro, ita malignior istius damno cedit: exceptis casibus rarioribus & calamitosis, quorum aleam conductorem suscepisse non putandum; quales sunt bella, diluvia, pestilentiæ.

Qui opus faciendum conduxit, tradita sibi materia aliena; ad eam diligentiam tenetur, quam viri probi adhibere solent; & ad damnum lata culpa datum præstandum. Qui ad certum aliquod opus brevi peragendum, conductus est; mercedem exigere nequit, si quo casu ab opere peragendo impediatur. Qui vero continuam alicujus operam conduxit, videtur breviorum morborum operas impedientium, quibus etiam robustiores obnoxii sunt, pericula subire; ita ut nihil ea de causa pensioni detrahere possit. Vide *Puff. l.* 5. *c.* 6.

IV. *Mutuum* est *contractus ubi datur alicui res* fungibilis, *ea lege, ut tempore convento reddendæ sint æquales rerum similium quantitates*. Si non sit gratuitum, ut detur insuper usura. Res maxime *fungibiles* sunt *nummi*.

Quamvis autem nummi non sunt per se frugiferi, neque aliæ fere res fungibiles; nummis tamen emi possunt res frugiferæ, earumque ope in commerciis lucrum potest esse multo uberius: hinc plures existimant non esse legi naturali contrarium fœnoris aliquid pro lucri hujus ratione, ob pecuniam mutuo datam exigere; neque in civitatibus ubi vigent commercia, sine gravi incommodo prohiberi posse istiusmodi pacta, licet in agricolarum republica non sint necessaria, immo perniciosa. Aliis tamen bene multis hoc non licere videtur etiam jure naturali (nam de jure divino positivo & ecclesiastico non agitur) nisi illis quibus ex pecunia mutuo data exurgit aliquod damnum, aut lucrum cessat: aut qui periculum faciunt sortis, aut operas impendunt. Nam ex pecunia, inquiunt, quæ sterilis & otiosa in arca mansisset, sine labore & sine periculo suo usuras quærere; quid aliud est quam ex hominum prædari velle industria, sudore & periculis? Fœnoris æqui mensura, major erit aut minor prout minor est aut major nummorum, qui in commerciis exercendis locantur, copia. Cum major est, atque ideo apud nostros carius emuntur merces exportandæ, minus ex data quavis summa lucrum orietur, minus igitur debet esse fœnus: ubi minor est pecuniæ copia, viliusque ideo emuntur merces exportandæ, ex data quavis summa major orietur lucrum; majus igitur persolvi poterit fœnus. Horum omnium, in legibus civilibus fœnus definientibus, ratio habenda; neque aliter vim poterunt obtinere. Vide *Puff. l.* 5. *c.* 7.

V. *Societas* est contractus, *quo duo pluresve inter se pecuniam, res aut operas conferunt, eo fine, ut quod inde redit lucri inter singulos pro rata dividatur, nec minus si quid proveniat damni, a singulis pro rata feratur*.

In societate negotiatoria, ubi confertur pecunia cum pecunia, si pecuniæ æquales sunt, æquales etiam oportet esse partes in damno & lucro; sin inæquales fuerint, partes quoque fient pro rata. Atque idem habebit locum si operæ aut æquales aut inæquales conferantur. Sed & opera cum pecunia, aut cum pecunia simul & cum opera conferri potest. Atque hæc collatio non uno modo fit: nam aut opera confertur cum solo pecuniæ usu, quo

quo casu sors domino perit; & si salva est, domino salva est: aut opera confertur cum ipso dominio pecuniæ, quo casu, qui operam impendit particeps fit sortis. In prima specie comparatur cum opera non sors, sed periculum amittendæ sortis & lucrum quod probabiliter ex ea sperari poterat. In altera operæ pretium habetur quasi sorti adjectum, & pro eo quod valet in ipsa sorte partem habet qui operam præstat. Ut autem sociorum aliquis lucri sit particeps, immunis tamen damni, est quidem præter naturam societatis, cui ita naturalis est utilitatum communio, ut sine ea nequeat societas consistere. Vide *Puff. l. 5. cap. 8.*

In hisce omnibus contractibus onerosis profitentur contrahentes, se res *corporales* aut *incorporales*, quæ dicuntur, sive jura, mutuo transferre æstimatione æquales. Atque idcirco inter bonos nihil simulandum aut dissimulandum: omnes mercium aut rerum *qualitates æstimabiles*, earumve defectus aut vitia sunt declaranda: & ubi temere ab æqualitate recessum est, minus habenti quod deest, viri prudentis arbitrio supplendum; idque jure perfecto iste exigere potest: quamvis ne fatigentur Prætores, nisi ob injurias graviores, ut læsionem dimidii justi pretii (*L. 2. c. de resc. vend.*) vel tertiæ partis (*Apud Judæos si sextæ partis læsio esset*. Selden. *l. 6. c. 5.*) non dentur in foro actiones. At, ut observat *Grotius l. 2. c. 12. §. 14. & 19.* possunt esse quædam rei accidentia æstimabilia, ob quæ res licite supra & infra commune pretium ematur vendaturve; puta ob damnum consequens, lucrum cessans, affectum peculiarem, aut si in gratiam alterius vendatur, ematurve, alioquin non emenda aut vendenda; quæ ipsa accidentia ei cum quo agitur indicanda sunt. Ejus quoque damni aut lucri cessantis ratio haberi potest, quod ex pretii solutione dilata venditori aut anticipata emptori nascitur. Idem de re aut opera locata conductave intelligendum est. Quod si una opera pluribus utilis esse possit, ut itineris susceptio, & locator pluribus se in solidum adstrinxerit, poterit de singulis mercedem pacisci quam ab uno exigeret, ubi lex non obstat: quia quod illa opera secundo quoque utilis est, extrinsecum est contractui, qui cum primo est initus; neque respectu primi quicquam minuit de æstimatione. Vide *Puff. l. 5. c. 3.*

Contractus qui aleam continent.

Non omnes contractus quibus *alea* aliquid inest, inæqualitatis nomine damnandi sunt. Immo istiusmodi quidam, sunt omnino probandi & hominum societati utilissimi; præcipue qui de naufragii, latrocinii, aut incendii periculis avertendis aut præstandis fiunt, qui contractus *periculi aversi* aut *assecurationis* dicuntur: & in iis merces pensanda ex periculo æstimanda est. Per hos enim strenuis plurimis & gnavis salva conservatur sors, quæ aliter periisset. Continent hi contractus publici societatis magnæ de damnis communicandis initæ, vim humanam & salutarem: ex mercedibus enim ab iis solutis, quorum salvæ sunt merces, præstantur minus felicium damna. Neque reprehendendum si plures rem collata pecunia emptam, aut ipsam pecuniam collectam sortium arbitrio permittant, ut in *lotariis*: si modo nemo tantam his periculis objecerit facultatum suarum partem, ut ejus jactura sibi aut suis vitæ præsidia aut ornamenta præripiantur. Idem de sponsionibus & variis ludorum generibus statuendum. Neque enim hæc ideo vituperanda quod aleam contineant; neque sunt omnia iniqua: at nihil viro probo ac prudente est indignius, quam nulla premente necessitate res sibi & suis necessarias aut utiles, incertæ subjicere aleæ; aut lucrum ex aliorum temeritate, immerito sibi captare: improbandi sunt igitur istiusmodi contractus, nisi in rebus versentur levioribus, quas locupletioribus animi causa projicere licet; quin etiam, nihil a viro bono alienius, quam se totum rebus ludicris dare, iisque multum tem-

poris impendere; aut ita nugis assuescere, ut ad seria minus habilis, minusve propensus reddatur. Quod attinet ad illiusmodi contractus celebriores quibus alea inest, quibusque plures res suas implicare solent: cum in communem utilitatem nihil conferant, paucos tantum temere ex plurium dispendiis locupletantes; cumque ad eos ineundos proclives admodum sint homines, pro opinione vana, quam de sua felicitate fovere solent; legibus civilibus omnino sunt coercendi, ne opes, quæ in opificiis aut mercatura occupatæ reipublicæ prodessent, inutiliter ad hæc parum honesta & fraudibus innumeris obnoxia, convertantur; aut insociabilis, stolida & ignava foveatur avaritia. Vide *Puff. l. 5. c. 9.*

De paciscentium officiis & aliis contractuum conditionibus infra dicemus. Hactenus de contractibus principalibus.

Pacta adjecta vel accessoria.

Ad contractus firmandos accedunt *fidejussiones & pignora*. Fidejussor est qui subsidiariam subit obligationem debiti præstandi, si ipse debitor solvere detrectaverit, aut non sit solvendo. Cumque creditor illi magis, quam ipsi debitori sæpe fidat; non minus sancta est illius obligatio. Neque ullæ subterfugiendi artes fidejussori sunt licitæ, quæ non fuissent, si sua ipsius causa debitum contraxisset: neque recte quidem solutionem differt; nisi fraudulenta existat inter creditorem & debitorem contra se collusio.

Potest fidejussor, vel jurejurando firmius adstringi quam ipse debitor: ast prout est fidejussor, neque loco, tempore aut causa plus debere potest. *Ordinis* beneficium exiget fidejussor, ut prius nempe debitor excutiatur, quam ipse appelletur; & *divisionis*, ubi plures fuere fidejussores, nisi hisce renuntiaverit.

Qui in causa *criminali* subsidiariam subeunt obligationem, *Vades* dicuntur. Ad pœnas vero corporales subeundas nullatenus admittentur, nisi sceleris fuerant fautores. Jure tamen ad pecuniam, mulctæ nomine, præstandam teneri possunt.

De *Pignore* jam diximus quædam & de *hypotheca*: ubi oppignerata est res fructuosa, a mercede aut forte deducendi sunt fructus; neque justa est in pignoribus *lex commissoria*, nisi quod ex pignoris distracti pretio superest, debito soluto, debitori reddatur. Custodiendum est pignus ea diligentia media, qua res suas custodit bonus paterfamilias; cum utriusque partis hac in re spectetur utilitas. A pignore differt *hypotheca*; quod hæc re non tradita, sed debito solvendo subjecta, constituatur. In utroque est jus reale, cui cedunt & priora jura personalia. Vide *Puff. l. 5. c. 10.*

De rerum pretio.

Quo facilius res & operæ inter homines permutari possent, earum *pretia* erant æstimanda. Nemo enim res insignis & diuturni usus, aut voluptatis, mutare velit iis, quarum exigua est utilitas aut voluptas: neque res quæ multo parantur labore, rebus parabilibus.

Rei cujusvis pretium hoc nititur fundamento, quod reipsa ad usum aliquem aut voluptatem ministrandam est apta; absque hoc nullum erit pretium. Hoc autem posito rerum pretia majora erunt, prout magis iis homines indigent, ipsæque res difficilius parantur. *Indigentia* erit major pro ambientium numero, majore rerum necessitate, aut usu gratiore. Acquirendi *difficultas* ex plurimis oritur causis; nempe ex ipsius materiæ penuria, ex acquirendi labore; ex casibus iis qui proventum aliquando faciunt minus uberem; ex ingenii rarioris elegantia, quæ in artibus quibusdam exigitur; ex artificum dignitate, eorumque honestiore & lautiore, pro nostratum moribus, vivendi conditione; hujus enim sumptum suppeditare debeat artificiorum pretia. Hinc rerum utilissimarum sæpe exiguum, sæpe nullum est pretium. Ubi enim earum tanta copia est ut ubique nullo fere labore reperiantur, nullum erit pretium: ubi labore facili & minime artificioso comparantur, exiguum: pro insigni enim Dei bonitate, quæ res sunt utilissimæ

& ma-

& maxime necessariæ, illæ copiosæ sunt & parabiles. Rebus etiam utilissimis nullum est pretium; quia sunt sua natura communes; aliis, quia in commercia non aliter veniunt, quam tanquam aliarum rerum appendices, quarum pretia quidem augere possunt, non vero ipsæ per se æstimari; aliis denique, quia lege vel naturali, vel positiva, prohibetur earum emptio venditio; cujusmodi sunt res sacræ: munera item, aut officia, aut jura sacra; eaque stipendia quibus alendi sunt viri, his officiis obeundis destinati; aut quæ illorum fidei committuntur, ut sint eleemosynarum materies. Horum emptio venditio, ex nota satis historia, *Simoniæ* nomen est consecuta.

Cum vero sæpe incidere soleat, ut mihi suppetat quarumdam rerum ultra meos usus copia, desint autem aliæ quarum est apud alium copia, iste vero nulla re mea indigeat: cum ego rem mihi non necessariam pro re alterius mutare velim, mea tamen alterius rem longe superet; nec tamen sine gravi dispendio secari possit: ad commercia expediunda, constituendum est *pretium* aliquod *eminens*: id est, res quædam aliarum rerum omnium mensura, ad quam earum pretia exigantur, est constituenda; cujus tanta, oportet, sit indigentia, ut quisque res suas cum ea mutare velit, quoniam ejus ope res quasvis sibi comparare potest. Etenim ejus rei, ob id ipsum, quod aliarum sit mensura, existet maxima indigentia. Huic rei, quæ aliarum sit mensura, hæ debent esse qualitates; 1. ut sit pretiosa, ita ut ejus pondus exiguum & ad portandum facile majorem aliarum rerum molem æstimatione æquet. 2. Ut sit aliquid stabile, neque sua sponte brevi periturum, neque multum usu deterendum: 3. ut sine dispendio quasvis admittat divisiones. Hæc vero omnia solis metallis rarioribus *auro* nempe & *argento* conveniunt; quæ igitur omnis pretii mensuræ apud omnes gentes cultiores sunt constituta. Ad præcavendam vero omnem in laminis accurate dividendis molestiam; atque ut cautum sit de metallorum puritate, inventi sunt *nummi*, quorum excudendorum potestate viris fidis commissa, & de metalli puri ac non adulterati, quod singulis nummis inest, justo pondere cautum erit; & quævis, de qua conventum est, summa sine molestia persolvi poterit.

Vera metallorum, quin & nummorum, atque rerum fere omnium æstimatio, pro majore eorum copia, imminuitur; pro minore augetur: res vero ad vitam necessariæ pretia retinent stabiliora; quæ tamen pro majore aut minore anni cujusque ubertate non parum immutantur. Ad stipendia igitur perpetua aut reditus certos constituendos, quibus homines semper in eadem vitæ conditione ali possint, certæ earum rerum mensuræ, quæ simplici hominum labore non artificioso comparantur, sunt potius definiendæ; qualia sunt frumentum, quæque alia simpliciori victui aut cultui inserviunt. Quin etiam eveniet, ut metallorum inter se æstimatio nonnunquam immutetur, si aut alterutrius major solito effodiatur copia; aut si alterutrius, tantum, magnus sit in vitæ cultu & ornatu usus; aut si magna ejusdem eis exportetur. Et nisi in eadem ratione immutentur nummorum pretia legitima, exportabuntur nummi, quibus pro vera metalli æstimatione justo minus imponitur pretium & invehentur illi quibus nimium; non sine gravi civitatis incommodo. In civitate cui sunt cum vicinis commercia, nullo imperantium decreto immutari possunt vera nummorum pretia, earumve æstimatio pro ratione quam ad merces habent. Non enim nummorum nomina apud nos legitima curant exteri, metallorum puriorum tantummodo spectantes quantitatem; ei igitur mercium pretia respondebunt. Verumtamen post nummorum nomina lege constituta, multorumque cum multis res rationesque contractas & pactiones, in pecuniæ his nominibus definitæ summis numerandis fraudantur creditores, si auctum fuerit lege nova nummorum pretium;

& fraudantur debitores, si imminutum fuerit. Sicubi pro ejusmodi nummis fiant alii ex metallis vilioribus; quod dignitate deest, pondere pensandum; aut secus cessabunt cum exteris commercia. Quæ nummorum vice funguntur Chirographa, aut tesseræ, eam vim ideo tantum habent, quod de veris nummis solvendis idoneam faciant fidem. Vide *Puff. l. 5. c. 1.*

De obligationibus quasi ex contractu ortis.

Has præter obligationes & jura, sunt & alia, quæ nascuntur ex facto aliquo licito vel illicito ejus, adversus quem valent. De iis quæ ex facto illicito oriuntur, in articulo sequenti agendum. Ex factis licitis jura oria fundantur, vel in ipso dominii jure, vel in manifesta societatis amicæ conservandæ ratione; & quæ hujusmodi juri respondent obligationes, ne actionum multiplicarentur formulæ, eas *ex contractu ortas* fingunt jure consulti. Sunt vero a pactis *tacitis* diversi hi *quasi contractus*, quod in tacitis ex facto quodam consensus vere indicari intelligitur; in his vero, propter manifestam rei æquitatem fingitur. In illis denuntiatione contraria præcaveri potest quæ ex solo consensu alias orire tur obligatio: in his neutiquam, quippe in alia fundata causa æquissima, neque ab illius qui obligatur consensu pendens.

Obligationum, quæ *quasi ex contractu* oriuntur, duo sunt genera; alterum earum quæ hinc oriuntur, quod quispiam rebus alienis, aut alteri quocunque modo obligatis, sine contractu se immiscuerit. Alterum quum quisquam aliquod sibi commodum alteri nec donanti nec consentienti damnosum aut sumptuosum, derivaverit.

Ad priorem classem refertur ejus obligatio, qui sine vi aut dolo rem possidet alienam, ut eam cum fructibus reddat: huc etiam refertur & ejus, qui *negotium utile gesserat*, res alterius, vel absentis vel nescii, vel ob rationis & prudentiæ idoneæ defectum, consentire non valentis, tractando: qui scilicet tenetur ad rationes & res ipsas eum emolumentis reddendas. Quod spectatur in negotiorum gestorum & tutelæ *actionibus directis*. Ad hanc etiam refertur classem hæredis testamento instituti obligatio, defuncti creditores & legatarios respiciens; quæ nempe oritur ex hæreditatis aditione: omnia enim defuncti bona æri alieno dissolvendo, & omni quod quisquam jure suo pleno postulare potest, præstando subjiciuntur. Qui hæreditatem, unicam unde ea præstari possunt materiam, adit, ea omnia quousque sufficiunt bona hæreditaria, deductis impensis in iis tractandis, præstare tenetur: justum autem est *inventarii* beneficium; ne ultra hæreditatem hæres obligetur: neque ad hæc jura explicanda opus est fingere hæredem eandem esse cum defuncto personam.

Quod ad alteram attinet classem, ubi scilicet quis aliquam utilitatem, alteri nec donanti nec gratis damnum perferre volenti damnosam, sibi adscivit. Ad eam referuntur ejus obligationes, cujus absentis & inscii aut ob rationis & prudentiæ necessariæ defectum consentire non valentis, *negotia* sunt *utiliter gesta*, aut res administratæ; ut eum qui negotia gesserat aut tutorem indemnem præstet, & labores omnes utiles compenset, eorumque contractus bona fide ipsius nomine initos, confirmet. Huc spectant negotiorum gestorum & tutelæ *actiones contrariæ*: impensarum etiam, quæ in pupillis alendis, educandis, aut arte quavis imbuendis, prudenter factæ sunt, eadem est ratio. Quæ quidem in liberis suis erogarunt parentes non egeni, ex communi parentum affectione; donandi animo erogasse censentur, ubi contrariæ voluntatis nulla fuit significatio. Quin & tenentur parentes, pro sua conditione liberis necessaria præbere vitæ præsidia & ornamenta; & quod ex bonis superest, iis potissimum relinquere. Prementе tamen egestate, si cui forte ex liberis aliunde suppetant facultates, non inique

que faceret parens si eum ad calculos vocaret, ut sibi persolvantur quæ erogavit, sive ad seipsum in senectute alendum, sive ut cæteros liberos alere possit. Si quis vero alienum aluerit inopem, id gratis factum fuisse non temere est judicandum: immo potius eo jus est constitutum in alumnum, ut omnia in ejus utilitatem prudenter erogata, ipsius laboribus compensentur; haud vero ea quæ ad familiæ altoris ornatum pertinebant. Quumque insuper quæ in prima alumnorum ætate erogata sunt omnino peritent, si immaturi obirent alumni; amplius aliquid exigere poterunt altores, pro hujus periculi ratione: quo jure ipsis concesso, hæc humanitatis officia alacrius suscipient. Decrescit vero post primos alumni cujusque annos hoc periculum, atque primas tantum impensas graviore fœnore altor onerare potest. Est igitur alumnus inops in causa debitoris, nullo suo crimine obærati, a quo exigi sæpe possunt operæ, donec per eas dissolvatur æs alienum; qui tamen omnia alia retinet hominum jura: & simul ac, vel laboribus suis (quos sibi utilissimos & maxime quæstuosos ad viri probi arbitrium ipsi est jus eligendi) vel amicorum liberalitate, debitum fuerit solutum, tollitur omne altoris jus. Ratione vero subducta pateret, neminem esse, sit modo ei mens sana & corpus sanum, qui ante annum trigesimum, laboribus suis, omnia quæ altori debuit, præstare non posset; neque ex hac causa recte oriri posse servitutem hæreditariam, quamvis altori, pro periculi ratione, in modum fœnoris nautici, amplius esset solvendum; quod tamen exigere haud sineret humanitas, ab iis qui gravi aliqua premuntur necessitate; nulla autem gravior esse potest quam infantis inopis, omni parentum auxilio destituti. Ad hanc etiam refertur classem ejus obligatio, qui favore necessitatis usus alteri damnum dedit; qua de re postea erit agendum: atque ejus qui indebitum accepit tanquam debitum; aut aliquid ex pacto quovis aut promisso, cui legitima opponi poterit exceptio, aut ob rem aut operam, a se præstandam, quam non præstitit. Quum res plurium communis unius opera aut impensis est conservata aut exculta; cæterorum erga hunc obligatio ad posteriorem hanc classem, hujus erga cæteros, ad priorem est referenda. Obligationes alium tenentes ab eo qui contraxerat, sunt veri contractus ubi alterius mandato aut jussu res contractæ sunt: sin secus, sunt in causa negotiorum gestorum.

De fidelitate in promissis & contractibus.

Justitiæ munus prædictis respondens est, *servare fidem*, *seu in promissis pactisque constantiam*.

Fides enim nobis ab ipsa natura commendatur: hac freti convenimus & commercia agitamus; per hanc tum privatæ inimicitiæ, tum communia bella finiuntur; ejus tanta vis est, ut nec illi qui maleficio & scelere pascuntur, vivere simul sine fide possint. Hinc fidem datam violare cæteris paribus magis est contra naturam, graviorque injuria & turpior, quam par officium alia debitum ratione omittere aut denegare: fide quippe violata, aliorum rationes ea innixæ gravissime turbantur, ipsique tum damno, tum contumelia afficiuntur, quod fidem nostram fuerint secuti, cum alia ratione sibi prospicere potuerint. Et vero quamvis vir bonus nullum sibi ex alterius inscitia aut temeritate commodum captare vellet, immo sæpe alium quemvis a pacti, magis illi incommodi, quam sibi commodi, obligatione liberaret, si modo damnum sibi datum sarciatur: tanta tamen est fidei in commerciis conservandæ necessitas, atque cavillationes excludendi, quæ sub levioris cujuslibet incommodi obtentu nascerentur; ut circa res quæ sunt commerciorum materia, hominumque prudentiæ & voluntati lege naturali subjectæ, pactis etiam temerariis constituantur *jura quædam externa*; quibus etsi uti nollet vir bonus, communis tamen utilitatis cau-

causa, ea sunt eousque confirmanda, ut ubi in iis persequendis perstat is, cui quid inde debetur, vim etiam adhibiturus, nemo ei recte vim opponere possit. De pactis hisce tenet hæc regula *plurima fieri non debent*, *quæ facta valent*.

In contractuum tamen obligatione & exceptionibus legitimis explicandis, tria spectanda, *intellectus*, nempe & *voluntas*, actionum humanarum duo principia interna; atque ipsa *materia*, in qua versantur. Hinc

I. Illis promissis, pactisque standum non est quæ quis non satis mentis compos, aut deceptus inierit: patet communem hoc exigere utilitatem, ne cui inferatur damnum ex ipsius circa res inscitia, quæ culpa vacat, Unde contractus juniorum, qui *minores* dicuntur, quique ob judicii imbecillitatem, negotiorum suorum naturam nondum intelligunt, rarius obligant: quod de *furiosorum*, aut *delirantium* pactis est dicendum; atque etiam de pactis *ebriorum*, quamdiu omnis consilii & prudentiæ expertes sunt. Quamvis enim ebrietas, non sine gravi culpa pœnis coercenda, arcessatur; dolosis tamen ea occasione lucrum sibi captare haud permittendum. De ebriorum criminibus aut injuriis dissimilis est ratio: licet enim non teneantur homines, se semper rebus suis curandis & administrandis idoneos conservare, se tamen semper præstare tenentur innocuos & justos: hinc ubi alterum læserat alterius ebrietas; tenebitur ebrius, discussa crapula, damnum sua culpa alteri datum præstare. Cum ebrietatis plures sint gradus, quorum quidam licet homines magis solito incautos, & temerarios faciant, non tamen eos omni rationis usu spolient: si quidem ex his omnibus darentur exceptiones, incertum foret omne inter homines commercium: de hisce vero causis, non aliter quam viri probi arbitrio interposito, sigillatim judicari poterit. De immaturo juniorum judicio, ante legis civilis definitionem, idem dicendum: cum aliis citius, aliis serius, efflorescat commerciis idonea prudentia. Ne vero pacta omnia aut pleraque maneant dubia & cavillationibus obnoxia; certa ætas in omni hominum cœtu est determinanda, ad quam qui pervenerit, is sui juris censendus est & idoneus rerum suarum administrator. Hæc ætas ita est definienda, ut quam paucissimi animo maturi a rebus suis gerendis cohibeantur, & quam paucissimi improvidi ad eas gerendas admittantur. Non male ex jure civili receptum est, ut ante annum quartum decimum exactum in maribus, & duodecimum in fœminis *impuberes*, qui & *pupilli* vocatur, a rebus gerendis arceantur, sintque in naturali parentum tutela; aut his defunctis in eorum tutela quos vel testamento parentes, vel leges civiles tutores constituerunt, ad ætatem usque pupillarem finitam: atque deinde ad annum vigesimum primum, aut vigesimum quintum, ita sint sub curatoribus, ut sine eorum consensu nihil paciscendo agere possint *minores*, unde alteri jus nascatur, aut res ipsorum obligentur. Contractu minores non sunt lædendi; neque etiam aliorum damnis sunt locupletandi. Ubi tamen cum iis pactum initum est, atque ab altera parte præstitum; si ipsorum intersit, ut pactum confirmetur, tenentur postquam adoleverit ratio, promissa & conventa præstare; si non intersit, quicquid ex pacto ab altero acceperant, aut ejus pretium reddendum; aut denique quantum ulla ratione eo facti fuerint locupletiores, aut quantum ipsorum interfuit, id olim accepisse. Non raro quidem, ante annos legitimos res suas satis commode administrare possunt *minores*; quumque ita se res habet, neque ab altera parte intervenerat dolus malus, aut culpa; in foro Dei & conscientiæ quod actum est æque ac inter adultos valet. At ubi adsunt parentes, tutores aut curatores publice constituti; iis inconsultis vix sine culpa aut dolo de re graviori cum *minoribus* quisquam paciscitur; qui nempe vehementi feruntur impetu & improvido,

do, ad promettendum faciles, cupidi, utilium tardi provisores, liberales, spei pleni, & diffidere nescii.

Qui ad paciscendum permotus fuerat *errore* aliquo circa rem ipsam, ejusve *qualitates æstimabiles*, quarum scilicet plerumque præcipua in pactis istiusmodi habetur ratio, quæque pacti essentiam, ut dicitur, attingunt, pacto non tenebitur: eique errore deprehenso, quicquid ex pacto solverit, reddendum. Non tamen ita censetur erraffe, qui alias expectabat qualitates quam præ se res tulerat, quæque in rebus istiusmodi reperiri non solent. Si tantum erratum fuerat de re alia, aut eventu diverso, quo tamen errore aliquis ad paciscendum permotus erat: deprehenso errore sæpe vir bonus ex humanitate pœnitendi locum dabit ei, qui erraverat, si is omne damnum inde oriturum præstare paratus sit: non vero hoc pleno jure postulandum; nisi is qui erravit, illud de quo erratum fuit tanquam pacti conditionem diserte pronuntiaverit. Ubi tantum de pretio erratum est, deceptus jure suo exigere potest, ut quod sibi deest suppleatur; aut quod ultra pretium dederat, reddatur; aut altero hoc nolente, ut pactum sit nullum. Qui culpa sua aut temeritate de rebus pacti præcipuis erravit, causamve alterius errori dedit, alteri damnum datum præstare tenetur. Qui vero dolum malum adhibuit, tenetur præstare quantum alterius interest ut pactum bona fide expleatur. Neque eorum, quæ dolo decepti promisimus isti qui dolum adhibuit, ulla est obligatio: quia istius dolo nobis defuit ea rei notitia, quæ ad paciscendum aut promittendum est necessaria; atque iste ad damnum injuria datum sarciendum tenetur. (*a*) Ubi tertius aliquis dolum adhibuit, eo non colludente, sed inscio, quocum paciscor; pactum erit ratum. Ab eo tamen qui dolum adhibuit exigendum est quantum mea interfuisset non deceptum fuisse.

II. Illis promissis pactisque standum non est, quæ quis coactus inierit. Consensum voluntarium ad firmanda pacta necessarium impedire potest *metus*: cujus duplex est natura. Vel enim est suspicio probabilis, alterum postquam meam partem explevero, me decepturum: vel denotat timorem ex gravi malo intentato ortum. De priore hæc tenenda videntur. 1. Qui cum improbis & sceleratis, quorum mores antea noverat, sponte paciscitur, omnino tenetur. (*b*) 2. At ubi post contractum innotescit alterius improbitas aut scelus; non quidem eo ipso abrumpitur contractus; tamen quod a me præstandum est tantisper differre licebit, donec contra istius perfidiam mihi, pro viri prudentis arbitrio, satis sit cautum. Omnis quidem fides tolleretur, si nulla cum improbis & sceleratis esset servanda; quum nullæ sint notæ satis manifestæ aut signa satis certa, quibus honestos a turpibus secernere queamus. De secundo metus genere, ubi metu mali mihi injuste intentati ad paciscendum impulsus fui, duplex est quæstio, prout intentatum fuit malum ab eo, quo cum paciscor, vel ab altero. Ubi ab altero, atque contra mala ab eo intentata viri cujusquam probi auxilium, pacto inito, arcesso; pactum omnino valebit, nisi alia de causa aliquid contineat iniqui: auxilium enim in periculis avertendis præstitisse, officium sæpe utilissimum est & mercede dignissimum. Si autem ab altero malum mihi immerito intentatum fuerat, nisi cum tertio non colludente quiddam paciscar, ego vero ei tertio metum meum celare cogar: pactum irritum erit, postquam ostendero, metu injuste incusso, mihi ademptam fuisse libertatem, negotiis gerendis necessariam: omne tamen damnum huic tertio a me datum,

(*a*) Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. Reg. Juris.

(*b*) Qui hoc sibi sumunt, nullum esse fidem, quæ infideli data est, videant quæ quæratur latebra perjurio. *Cic.* De Off. l. 3. c. 39.

tum, ut a me avertantur pericula, præstare teneor. Idem etiam dicendum ubi pro mea timiditate, metus nimius erat & temere conceptus. Adverte injuste incussum metum oportet esse: nam quæ quispiam promittit aut paciscitur legitimæ potestatis metu, ea etiam præstare tenetur: cum huic potestati jure subjectus intelligatur.

At ubi metu mali injuste intentati, aliquid illi qui metum incusserat promissum est; hoc omnino spectandum utrum sub juris specie aliqua probabili, qua vir cætera probus aliquando decipi potest, malum fuerit intentatum: an contra nulla juris specie obtenta, quæ hominem istiusmodi fallere posset. In priore causa, quamvis qui metum incussit, nullum revera jus acquirat, quo recte uti possit; remotiore tamen communis utilitatis ratione habita, quod actum est *jure externo* nonnunquam valebit. De jure suo aliquando errare humanum est: hinc & inter homines haud improbos sæpe nascuntur bella, quæ aut pactis aut alterius internecione finienda sunt: ut pactis finiantur longe satius est: eorum tamen nullus esset usus, si semper valeret vis injustæ & metus exceptio, quæ utrique parti semper pateret. Contra fœdera igitur pacem reducentia, non admittenda est hæc exceptio, si bellum sub juris tuendi specie probabili susceptum erat. Si quidem fœderis leges sint omnino iniquæ, humanitati omni contrariæ, parti devictæ conditionem omnino miseram & servilem redditturæ; hæc nulla juris specie munita non valent, justa manebit exceptio. Sin autem nulla juris specie vis scelerata ad pacta extorquenda intentetur, pacta nihil valent: vi istiusmodi adhibita, omnia hominum jura abdicantur: omnia quæ ex lege naturali, aut hominum æquitate, poterant a quopiam flagitari, repudiantur: qui istiusmodi vim adhibet se generis humani hostem profitetur, nullaque juris societate devinctum. Postulat igitur communis utilitatis ratio, ut hæc hominum monstra, quacunque ratione exscindantur. Fingamus insuper hæc promissa obligare. Quantumcunque tamen ei qui vim adhibuit ex promisso debeatur, tantumdem & ipse damni injuria dati nomine alteri debebit: per *compensationem* igitur promissi obligatio tolletur. Neque dixeris promissorem, ex ipsa negotii natura, huic vis & metus exceptioni tacito pacto renunciasse: nam idipsum renunciasse coactum, esset damnum. Tacitone insuper pacto is acquiret jus, qui ne pacto quidem diserte enunciato in ea causa acquirere poterat; quique hic ea agit, quæ omnis humani juris abdicationem plane continent? Quamvis tamen istorum hominum in omni aliorum jure pessumdando, nulla habenda sit ratio; ubi tamen ad saniorem mentem redituri videntur, præteritorum veniam petentes, ex locis munitis descensuri, arma tradituri, atque in posterum satisdare volentes; & ubi non sine innocentium strage, aut sanguine multo, coerceri aut deleri possunt; communis aliquando exigit utilitas, ut pacta cum iis inita, malis gravioribus avertendis inservientia, sanctissime serventur: civibusque, quibus damnorum pensationem ab iis exigere, aut res suas vindicare, non permittitur, publice præstandum est damnum.

In pactis semper intelligitur *voluntatem* adesse sese obligandi, ubi ejus fit significatio. Neque ulla esset fides, si valeret exceptio ex arcana voluntate sermoni aut signis editis contraria. Vocibus & scriptis paciscendi animus commodissime declaratur; sufficit tamen signum quodcumque, de quo inter paciscentes convenit, aut quod pro more consueto consensum indicat. Immo & actionum quarumdam ea est natura, ut nemo nisi insanus aut improbus eas suscipiat, qui non certis pacti legibus etiam consentit. Ex hisce igitur quemvis consensisse merito colligitur, nisi cunctis quorum interest præmonitis, contrarium testatus fuerit. Ubi per eas actiones consensus indicatur, *pactum* dicitur

citur *tacitum*. Quod eo indicio fecernitur ab *obligatione quasi ex contractu* orta, de qua supra, quod in hac nulla obligationem tollere potest denunciatio contraria, in illo potest. Primariis & expressis pacti legibus ex rei natura sæpe intelligitur, leges & conditiones tacitas esse adjectas, quales negotiis istiusmodi adjici, ex rei natura, aut more, intelligunt omnes sana mente præditi: quæ omnes servandæ sunt.

Ad rerum dominia & alia jura transferenda, sive *gratis*, sive ex causa *onerosa*, exigitur & accipientis, & dantis consensus. Quum rem transferendi, aut amico donandi animus haud indicet, aut rei suæ projiciendæ, aut alteri nolenti obtrudendæ, voluntatem. Levioribus tamen indiciis colligitur, adesse rei utilis accipiendæ voluntatem; & semper ex præcedente rogatione, si quod oblatum est ei rogationi respondeat. Illud etiam quæri solet, an satis sit acceptationem fieri, an vero etiam innotescere debeat promissori, aut donatori antequam promissum aut donatio plenum effectum consequatur. Et certum est, utroque modo fieri posse promissionem vel donationem, aut hoc modo, *volo ut valeat si acceptetur;* aut hoc modo, *volo ut valeat si acceptatum intellexero*. Et in his quidem quæ ad mutuam pertinent obligationem, posterior sensus præsumitur: in promissis vero mere liberalibus potius est ut prior sensus adfuisse credatur, nisi aliud appareat. Sequitur hinc ante acceptationem, quippe jure nondum translato, revocari promissum posse sine injustitia, & sine inconstantia, si revera eo animo factum sit, ut ab acceptatione demum valere incipiat. Revocari etiam posse mortuo ante acceptationem eo cui promissum est, quia videtur acceptatio in arbitrium ipsius collata, non hæredum. Aliud enim est velle dare huic jus ad hæredes transiturum, aliud velle dare hæredibus. Gr. 2. 11. §. 15. 16. A pacts hujusmodi diversæ sunt nudi propositi nostri declarationes, quæ neque in alterum jus transferunt, neque ad perstandum in eo consilio nos obligant. Ad pacta propius accedunt quæ dicuntur promissa imperfecta; ubi intelligitur vel ex verbis, vel ex more instituto, nullum nos cogendi jus in alterum transferre; sola vero probitate, aut pudore nos obligari, atque ea solum lege, nisi is, cui promissum est, sua culpa nobis mutandi consilii causam dederit, ita se gerendo, ut beneficio destinato fuerit indignus; aut nisi promissa sint iis, quibus promisimus, nocitura vel inutilia; aut plus nobis aut nostris noceant, quam iis prosint: *contra officium est*, inquit *Cicero*, de off. .l 1. *majus non anteponi minori*. Vide Gr. l. 2. c. 11.

Cum contractuum vis ex contrahentium voluntate & consensu pendeat; si consensus tantum *sub conditione* dabatur, ea deficiente nulla erit obligatio. Debet autem de conditione adjecta utrinque constare, ne commercia omnia fiant incerta. Solæ igitur valent conditiones, quas aut alteruter diserte pacto adjecerat, aut ex negotii natura utrinque intellectum iri, bona fide putaverat; non eæ, quas tacite alter in animo fovebat, in hujusmodi negotiis non semper intelligendæ. Si quid alter inter paciscendum præstare susceperit, aut alteri affirmaverit, quo ad paciscendum alliceretur, id quidem conditionis vim habere censebitur. Hinc contractus dividuntur in *absolutos* & *conditionales:* in his conditio est, *eventus quidam alteri aut utrique paciscentium incertus, atque a pactis præstationibus diversus: qui si non accidat, nullus erit contractus*. Unde conditio aperte impossibilis adjecta, ostendit nihil actum esse. De rebus illicitis (quæ dicuntur *moraliter impossibilia*) ab alterutra parte præstandis, sive de facinore turpi mox erit dicendum. Facinus quidem turpe a tertio quopiam, sine ulla paciscentium conspiratione peragendum potest esse justa conditio; si modo nullæ ex pacto proponantur facinoris illecebræ. Conditiones, si penes alterum paciscentium sint, dicuntur voluntariæ, seu *pote-*

testativæ ; si non sint, dicuntur fortuitæ, seu *non potestativæ ;* sunt & quædam *mixtæ*. Ad voluntarias aut mixtas præstandas, neuter obligari censetur.

III. Ut pacta aut promissa valeant, ipsorum *materia*, aut res utrinque præstandæ, intra paciscentium vires esse debent. Unde ad ea quæ a nobis volentibus fieri non possunt, quæ dicuntur *impossibilia*, nulla est obligatio. Si quid promissum fuerat, quod postea casu, aut sine paciscentium culpa existit *impossibile*, omnia ista causa data sunt reddenda aut pensanda. Ubi alterutrius dolus, aut *lata culpa*, in rei impossibilitate celanda aut efficienda intervenerit, hic quod interest præstare tenebitur. Debet etiam pactorum *materia* esse licita; id est, de iis tantum rebus aut operis paciscendum, quæ commerciis aptæ alienari possunt quarumque administratio humanæ committitur prudentiæ, neque lege speciatim homini præripitur. Ad ea enim præstanda, quæ vel reverentiam Deo debitam, vel alterius jus perfectum violant, quævc lege prohibentur *speciali*, neque nostræ subjiciuntur potestati, nulla ex pacto nasci potest obligatio. Si igitur paciscentium uterque, rem esse ita illicitam noverat, aut nosse debuerat, nulla erit pacti obligatio: conductori ante facinus patratum pœnitenti, quicquid ex pacto dederat, reddendum est. Facinore autem patrato, neque patratori dandum est præmium, neque datum conductor reposcere poterit: Ab utroque pœnæ exigendæ. Si post pactum initum facinoris turpitudo quæ inter paciscendum latuerat, alterutri innotescat; ei, facinore nondum patrato, pœnitentiæ locus est: qui conductus est acceptam mercedem reddere tenetur. Neque facinore patrato, mercedem exigere poterit patrator, nisi ipsius ignorantia culpâ caruerit: si modo ipsi æque ac conductori turpe fuit facinus. Sin autem conductori soli adhærebat turpitudo, patrator recte mercedem exigit. Humani generis interest, ut nulla sint ex pactis scelerum invitamenta; nullaque in istiusmodi pactis fides. Sin autem, eo tantum illicita sit rei cujuslibet præstatio, quod aliquis incaute & contra viri prudentis officia, de rebus suæ potestati permissis pactus est; contractuum fides adeo sancte est servanda, ut *quæ fieri non debebant, facta sæpe valeant*. Quod de re *impossibili* dictum est, tenet de re aut actione aliena, si quis de iis quæ potestati suæ non subjiciuntur pactus fuerit. Qui in istiusmodi pactis vel in promissionibus, dolo usus est, quod interest præstare tenebitur: qui culpa quemvis decepit, illi damnum præstandum.

Qui de re sua quavis & opera pactus est, non omnem circa eam confestim amisit potestatem; nisi istiusmodi pactum fuit, quod totum rei dominium transtulit, jus alteri constituens *reale* & plenum, omnemve de operis suis in posterum paciscendi facultatem sibi adimens. Unde, licet pactum *jus* tantum *personale* constituens antecesserat, tertio cuivis prioris pacti inscio constitui poterit *jus reale*, contra jus prius personale valiturum. Interveniente vero hujus tertii haud inscii dolo, pactum est irritum: dolis enim confirmandis, pacto itidem qualicunque, ad eludenda quævis officia humana plane excogitato, quum id neutrum contrahentium latere poterat, lex naturalis maxime adversatur. *In aliis autem causis, pactorum, quæ cum eodem ineuntur, priori posterius derogabit:* in pactis autem quæ de eadem re cum diversis conficiuntur: *quæ jura tantum personalia constituunt, iis cedunt quæ jura constituunt realia ;* si modo abfuerat illius dolus, aut *lata culpa*, ad quem transferendum erat jus reale. In pactis denique uniusmodi, quæ cum diversis ineuntur, *qui tempore prior jure potior*.

IV. Paciscimur etiam per legatos & internuncios, sive *mandatarios*. Ubi plena ipsis permissa potestas, neque ulla sunt mandata mutuo declaranda, legatorum potestatem ejusque potestatis fines monstrantia; ad ea obligari censemur, quæ legati pro sua prudentia gesserint: nisi

osten-

ostendi possit legatos dolose egisse, aut praemii spe fuisse corruptos; aut pactum adeo manifeste iniquum sit, ut, viro prudente arbitro, doli mali det indicia. Si leviores, legati culpa, patimur injurias, ab ipso legato earum pensatio repetenda. Potestatis autem legato permissae finibus aperte declaratis, quod ultra a legato actum fuerit neutiquam obligabit.

V. In vera promissorum, contractuum, testamentorum, legumque scriptarum sententia eruenda, hae sequendae interpretationis regulae. 1. Qui paciscentis speciem prae se ferens, ea dedit signa, quae dare solent qui quicquam promittunt, is ad id praestandum tenetur, quamvis alia secreto secum tunc temporis agitaverit: neque aliter ulla esset commerciorum fides. 2. Verborum popularium &, usitatorum ea est significatio quam usus confirmat, omissis causis aut vocum originibus; nisi adsint insuetae significationis indicia. 3. Artium vocabula & nomina signata, ex peritorum definitionibus interpretanda. 4. Ubi orationis aut scripti ejusdem partes diversae sibi invicem lucem afferre possunt, obscuriora & dubia perspicuis aperienda. 5. Ubi absurdi aliquid aut secum pugnantis verba sensu simplici continere videntur, neutiquam vero si figurata habeantur: figurata omnino habenda. 6. In scripto istiusmodi, cujus partes priores nullum jus transferunt, in illum qui non & posterioribus consenserit, *posteriora prioribus derogant*. Quod in testamentis, pactisque, quae eum eodem contrahuntur, obtinet. 7. Ex *materia*, *adjunctis*, *effectibus* & *consequentibus*, ad veram verborum sententiam dijudicandam indicia promuntur. Verus enim est sensus qui cum materia & adjunctis convenit. 8. Ex paciscentium fine aut scopo cognito, atque ex legum ratione unica aut integra, optima petuntur ad pacta legesque interpretandas adjumenta. 9. Perinde etiam ut est materia *favorabilis* aut *odiosa*, porrigitur vel coarctatur verborum interpretatio. Favorabilia sunt quae conservant inter privatos aequalitatem aut promovent bonum publicum. Vide Gr. lib. 2. c. 16. Puf. l. 5. c. 12.

De veracitate & sermocinantium officiis.

I. Doctrinae de fide in contractibus servanda affinis est illa, quae circa usum sermonis versatur. Quum caeteris animantibus eo praestent homines, quod non rationis solum, verum & orationis facultate ornantur, qua praecipue hominum societas continetur, vigentque commercia, atque officia omnia amica; eo Dei dono eximio ita utendum est, ut exigit officii nostri, communisque utilitatis ratio. Qua de re in ipsa naturae nostrae structura, non desunt divini consilii indicia. Sensu enim cuique proxime commendatur is sermonis usus, quem communis exigit utilitas. In prima & tenella aetate, proclives sunt pueri ad omnia quae norunt palam declaranda. Simulationi omni & dissimulationi natura repugnat; donec rerum usu, incommoda non levia sequi observantur simplicem eam & apertam, omnium quae animo insunt, declarationem, quam proxime & per se essemus comprobaturi. Suadebit quidem recta ratio, communis utilitatis cura, eaque qua sibi quisque consulit prudentia, ut nonnulla tegamus, taceamus, primumque animi motum cohibeamus: at quum non solum cognitionis nostrae pars magna aliorum sermonibus innitatur; verum etiam vitae negotia & consilia, ea regantur rerum humanarum notitia, quam ex aliorum sermonibus comparamus, etiam eorum qui nullo proprio juris vinculo animi sui his de rebus sententias nobiscum communicare tenebantur: non aliter quam servata in sermone fide & veritate, haec vitae sociae commoda, omnisque ea jucunditas, quae ex mutua in aliorum verbis fiducia oritur, conservari possunt. Quae de sermone sunt dicta, ad alia etiam signa pertinent, quae ad animi sententias declarandas adhibentur; scriptu-

ram nempe, vel vulgarem, vel hieroglyphicam, aut symbola. (*a*)

Signorum autem, quorum significatio sive ex ipsorum *natura*, sive ex *instituto* aut consuetudine pendet, duplex est usus: unus ubi is qui signis utitur, neutiquam profiteri intelligitur se animi sui sententiam cum aliis communicaturum; iste vero qui ea signa cernit, pro sua solertia, colligit quædam esse vera; quamvis nulla causa sit cur credatur, alterum eo animo signa dedisse, ut se rei cujusvis faceret certiorem. Alter signorum usus eam in se habet vim, ut justam det causam colligendi istum, qui signa dederat, eo fecisse animo, ut nobis rem aliquam indicaret, aut testimonii vim illis inesse vellet: quod ex ipso signorum usu præ se ferre videtur. In priore signorum usu nulla propria est obligatio; & quamvis ne quis sine justa causa alterum lædat, est obligatio communis; ubi tamen justa est lædendi causa, ut in bello justo, nihil prohibet, quominus his utamur dolis, quæ consilia imperatoria sive *stratagemata* dicuntur. Immo si nemini noceatur, hoc signorum usu vel amicissimum fallere licebit. De altero signorum usu longe aliter statuendum: nullo enim sive inter omnes, sive inter eos qui colloquuntur, præeunte pacto, hic signorum usus pacti taciti vim in se continet. Qui ea alteri dat signa, cum eo recte intelligitur pacisci se animi sui sententiam per hæc signa ei declaraturum secundum interpretandi modum vel naturalem, vel usu institutum, nisi subsit causa aliqua utrinque cognita, cur ab eodem deflectat. Si enim nulla istiusmodi subsit pactio, frustra quisquam alterum alloqueretur, frustra alloquenti auscultaret. Atque idem de aliis signis tenendum, sive naturalibus, sive institutis, quorum similis est usus.

Hæ igitur de sermone scriptisque leges. 1. *Ubi aliis est jus veras loquentium sententias sciendi, non solum vera sint quæ dicuntur, verum nihil celandum.* Quæ testium in judiciis est causa, eorumque qui artem aliquam totam aliis tradere sunt polliciti. 2. Lex est, *quamvis aliis nullum sit jus proprium, ubi tamen eos alloquimur, nihil dicendum quod non animi sententiis congruat, secundum interpretandi modum, qui apud probos & prudentes invaluit:* a mendacii igitur crimine non est immunis, qui sermonem ab animi sententia discrepantem profert, quamvis insolita quadam interpretandi ratione aut per adjectionem quamdam in mente suppressam, inter se congruere possint. Ut si quis dicat *nescio* retinens in mente, *ut dicam*, aut dicat *non habeo*, retinens in mente, *ut tibi dem*. Permissa enim artium istiusmodi licentia, omni dolo & fraudi patebit via.

II. Ad pacta, promissa & testimonia de rebus gravioribus confirmanda accedit *jusjurandum*. Est autem jusjurandum, *Actus religionis, quo ad rem dubiam confirmandam Deus testis & judex invocatur*. Tanta quidem est in omni pacto & sermone boni viri fides, ut cum jurejurando astringere non sit opus apud eos, quibus notus est: sed ubi res aguntur eorum, quibus viri probitas non est perspecta; illius & promissa & testimonia jureiurando sunt confirmanda; quum in jurejurando nulla insit in Deum impietas, sed potius pietas: qui enim religiose jurat, Dei omnia intuentis & regentis providentiam simul & justitiam agnoscit. Quum autem apud omnes gentes semper invaluit hæc persuasio justa Dei providentia mundum administrari, & improbis supplicia irrogari; Dei testis & vindicis invocatio, sensum officii hominum animis altius infigit, eosque pœnarum metu a fraude deterret. Et quamvis censendum non est, ea invocatione Deum magis attentum fieri aut consensu nostro novum puniendi ius illi tributum: tamen longe gravius est perfidiæ scelus, ubi quis promissum aut pactum iuratum violaverit, aut alios testi-

(*a*) Extat apud Ælianum 12. 59. dictum Pythagoræ, duabus rebus hominem ad Deum proxime accedere, vera semper loquendo & benefaciendo aliis.

testimonio juratus deceperit, & acrius a Deo vindicandum. De re leviore jurare aut nulla de causa, omnino impium est: quia numinis reverentiam, quæ bonis debet esse perpetua, imminuit, summæque maiestatis contemptum prodit. Ubi autem crebra in civitate sunt perjuria, eorum crimine premuntur & rectores, si jusjurandum levibus de caussis & quum minime est necessarium, sæpius exigatur: aut ubi in eo præstando quod a juratis postulamus, jurejurando caveri nequit; vel quia res ipsa fieri non poterit, vel quia juratis nonnunquam illicita videbitur: aut si exigatur ubi gravia sunt periurii invitamenta, una cum spe homines impune fallendi: exempli gratia ubi de capite agitur aut de fama, cum tanta sint ad pejerandum invitamenta, minime commoda videtur aut justa quæstionis exercendæ ratio per jusiurandum purgatorium. Hac enim ratione absolventur perjuri & scelerati; convincentur illi soli, quibus tanta est pietas, ut ne vel ad famam aut vitam tuendam se perjurio sint adstricturi: quos satius est incerti criminis (cuius homines tali indole præditos mox serio plerumque pœnitet) pœnas effugere, quam ut sua pietas ipsis causa mali existat. Pessime etiam de religione & societate merentur, qui gravem aliquam & solemnem verborum formulam, ad animos hominum religionis sensu percellendos idoneam in jurejurando non adhibent.

Quamvis in jureiurando frustra invocetur aliquid divina potestate destitutum, tanquam testis & vindex; sunt tamen jurandi formulæ quædam, non quidem satis commodæ, at haud plane illicitæ, ubi Dei nomine non adhibito, qui jurat sibi, suisque, aut rei alienæ sibi caræ admodum aut necessariæ, dira quædam a Deo precari intelligitur; aut ubi Deus ipse per metonymiam invocatur. Frustra autem adigeretur aliquis ad jurandum per eum quem neque divina potestate præditum, neque exercere in homines imperium credit: sunt tamen Dei veri descriptiones omnibus communes, quibus utendum erit, quum a pluribus diversa de Deo sentientibus exigendum est jusiurandum. In jureiurando, ut de pactis dictum, is rite censetur jurasse, atque perjurii pœnis, si fidem fefellerit, esse obnoxius, qui jurandi animum præ se ferens, ea, quæ a jurantibus solent, signa adhibuit.

Quamvis jusjurandum una cum promisso aut testimonio in eadem sententia includi possit, est tamen jusjurandum actus ab omni pacto aut narratione diversus; Dei nempe testis & vindicis invocatio, si quid contra officium egerimus. Unde patet hominum officia jurejurando neutiquam immutari; nec novam, quod ad *materiam* attinet, obligationem constitui; nec promissum pactumve, justa de causa irritum, ratum fieri, aut justam excludi exceptionem, nec *conditionalia* mutari in *absoluta*; nec ratum fieri, quod contra jus alterius perfectum aut de re aliena nostræ potestati non commissa, factum est; neque quod pietatem Deo debitam violat, legesve definitas, quas vocant *speciales*, certas actiones omnino prohibentes & paciscendi de iis omnem nobis adimentes potestatem. In rebus vero nostræ potestati permissis, ut simplici pacto, sic multo sanctius eo quod jurejurando confirmatum est, obligamur; etiam ubi temere & contra prudentiæ & humanitatis officia jurati promisimus: nisi paciscentium intervenerit dolus ad eludenda quædam officia humaniora.

Sine acceptione autem nulla erit promissionis obligatio: quin & iste cui promissum est, de suo jure cedere & promissorem liberare potest. Quod fiet etiam tempestive declarato ejus dissensu, cujus consensus prius erat necessarius, quam possit is qui promisit se ad rem quamlibet præstandam astringere, vel alter rem oblatam accipere. Ubi jusjurandum quisquam suo jure a nobis exigit, verborumque formulam præscribit; si de ipsius sensu constet, eo sensu nobis est jurandum; si ex animi sententia fieri possit: sin minus

minus a jurejurando est abstinendum. Neque delegati qui aliorum nomine, eorum forte summo imperio præsunt, jusjurandum exigunt, formulam præscriptam interpretandi jus habent.

Jusjurandum pro vario usu, est vel *promissorium*, vel *assertorium*. Hoc judice exigente, dicitur *necessarium*; & litigantium alterutro, coram judice, alteri id deferente, dicitur *judiciale*. Si extra judicium sponte juretur, dicitur jusjurandum *voluntarium*. Quod in actionibus *criminalibus*, ad probationem imperfectam refellendam exigitur, dicitur *purgatorium*.

III. *Votum* est *promissio qua ipsi Deo, ad certas res aut operas præstandas, nos astringimus*. In votis non intelligitur jus ad homines esse translatum, nisi & pactum intercesserit. Votorum unicus est usus, ut Deum sanctissimum, justissimum, omniaque intuentem verentibus, pia omnia & honesta agendi consilia fiant constantiora; eoque magis officium deserere vereamur, ne nos etiam atroci perjurii crimine implicemus. Quum autem sine illius consensu cui promissum est, nulla sit promissi obligatio; constetque Deum optimum maximum, quæ quisquam contra officium quodvis, aut temere promiserat, accipere nolle: hinc satis efficitur votum non obligare ad ea facienda aut præstanda, quæ non pie & humaniter citra votum fieri poterant aut præstari. Multo minus valent vota, quæ ex odio, invidia, aut ira injusta aut nimia, aut contra cujuslibet jus perfectum, atque ipsa æquitatis & humanitatis officia, suscipiuntur.

ARTICULUS QUARTUS.

De jure tuendi sese & vindicandi sua, seu de jure belli.

I. IN statu naturæ unusquisque sui suorumque custos est: licet igitur cuique propulsare injurias, arcere damna inferentes, injuriarum & damnorum prosequi reparationem: immo vero eadem gaudet quisque potestate alios defendendi contra injustos aggressores.

Hæc juris violenta defensio aut vindicatio est *bellum quod status est per vim decertantium juris tuendi causa*. Bella sunt vel *publica* vel *privata*: publica, quæ a civitate suscipiuntur: privata, quæ a privatis. Publica sunt vel *solemnia* vel *minus solemnia*, solemnia (quæ & justa vocabant Romani qualicumque de causa, nisi plane nefaria, suscepta fuerint) quæ populi nomine, eorumque jussu qui Reipublicæ præsunt utrinque sub aliqua juris specie geruntur. Publica quæ minus solemnia, ab altera tantum parte, populi aut Rectorum jussu geruntur; qualia prædonibus aut civibus seditiosis inferuntur, vel quæ civilia dicuntur: ubi de regni jure aliquo inter diversas civium factiones decertatur.

II. Belli in libertate naturali suscipiendi causa justa est juris perfecti quævis violatio; ac plane ut habet Grotius, quot actionum forensium sunt fontes, totidem sunt belli. Nullum enim erit jus tutum, nulla vitæ securitas, nisi contra injurias inferentem ad vim confugere liceat, ne quis impune inferat: levioribus quippe injuriis sæpius illatis maximæ collabentur opes; neque innocuis tolerabilis foret vitæ conditio, improborum petulantiæ semper obnoxia. Injurias tamen leviores ferendas suadebit humanitas, etsi hanc patientiam nemo ab altero postulare suo jure possit. Ubi igitur violatum jus sive rebus nostris ereptis vel læsis, sive quæ nostro petimus jure denegatis, aut ubi vicino cuivis infertur injuria; licet, immo sæpe honestum est, eos quoscumque qui juri nostro aut vicini cuiusvis tuendo aut recuperando se opponunt, per vim cogere ut ab injuriis desistant, nobisque & vicinis præstent quæ debentur. Res in specie debitas occupare licet; aut si harum non sit copia res quaslibet hostiles quæ sufficiunt iis omnibus præstandis quæ debentur. Hinc in libertate naturali duæ tantum sunt belli causæ, *defensio* & *recuperatio*, quibus quamplurimi tertiam addunt nempe *punitionem* propter utilitatem publicam: ut illi qui

injuriam inferunt, nihil tale postea audeant, & cæteri sint ad iniuriam tardiores. Certe, inquiunt, cum ad humani generis conservationem & pacem necesse sit observari legem naturæ, necesse quoque est ut sit jus & potestas legitima a Deo ipso legis naturalis authore derivata quæ illam tueatur; quæ innocentes protegat, & sceleratos coerceat; qua sublata nulla esset in vita securitas & improbus quisque in bonos sævire impune posset. Jam vero si sit quædam potestas legitima vindicandi & puniendi legis naturalis violationem, in statu naturæ, in quo omnes homines æquales sunt, in unoquoque eam oportet esse exercendam juxta rectam rationem. At huic doctrinæ nullatenus subscribere possumus, quia nedum ex hac authoritate singulis concessa oriretur utilitas publica; e contrario infinitorum malorum origo esset. Illa quippe potestas non potest recte exerceri nisi ab homine prudente & gnaro qui pœnam delictis noverit commensurare, qui vacuus ab ira & spiritu vindictæ modum in puniendo non prætergredietur; qui habeat potestatem sufficientem ad exequendam justam sententiam: cumque hæc omnia non habeant privati, nec ipsis præterea commissa sit communitatis cura; non est eis tribuenda puniendi authoritas. Judiciorum ergo necessitas non probat quemque natura esse Magistratum, sed communem aliquem constituendum esse; ex quo etiam deducitur civilis status necessitas, eiusque conjunctio cum naturali hominis conditione. Omnis ergo pœna a Superiore infligenda est: & ea, quæ supra dicta sunt de ipsa defensione, tantummodo valent in libertate naturali, nam in civili statu illa injuria sola a cive intentata vi privata recte propulsatur, quæ damnum minatur irreparabile & alia ratione depelli nequit, aliarum depulsionem damnique pensationem Magistratui permittere debemus. In eodem statu civili adversus supremam potestatem, nec vis offensiva, nec defensiva unquam licita est: non enim Christianæ solum Religionis dogma, sed ipsius rationis vox est, illa Apostoli sententia, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*.

III. Tempus inchoandi belli, seu *Terminus a quo* in libertate inchoanda est juris violenta defensio aut vindicatio, est ubi alter vel denuntiatione vel actione hostili, aliove indicio certo consilium declaraverit nosmetipsos aliosve innocuos lædendi, neque monitus desistat. Neque enim primus ictus est excipiendus, qui lethalis esse potest: neque expectandum donec inferatur injuria, quæ forte reparari non posset, cuiusque illatæ pensationem infelicius exegeris, quam nondum illatam propuleris. Ex metu tamen solo nullomodo licet. *Quis hoc statuit unquam, ait Cicero, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?*

IV. *Terminus* vero *ad quem* in statu libero recte producitur bellum est, donec aggressor aut injuriæ author vel pœnitentia permotus, vel vi coactus, a lædendo abstinuerit, omnisque damni a se dati pensationem obtulerit: hominem vero occidere nunquam privato licet *nisi cum moderamine, inculpatæ tutelæ*. In statu vero civili periculo præsente depulso, non producendum bellum: sed damni pensatio, omnisque in posterum cautio; in judiciis, non hominum infensorum vi, est exigenda; omnisque pœna permittenda superiori.

V. In hoc jure belli exercendo jubet justitia, ut quisque majorem societatis utilitatem spectet; & in pœnis præsertim infligendis eum modum servet, qui tuendis legibus naturalibus sufficere possit. Nam hæc puniendi potestas non nisi ad legum naturalium defensionem homini concessa est, non ut inhumane & cum iracundia in alio sæviat. (*a*)

Pro-

(*a*) Omnis animadversio & castigatio contumelia vacare debet; neque ad ejus qui punit aliquem aut verbis castigat, sed ad reipublicæ utilitatem referri. *Cic*

Prohibetur igitur jure naturæ omnis vindicta cum ira & crudelitate coniuncta: in qua non tam societatis quæreretur bonum, quam quædam improba & scelerata voluptas. Oportet eos, qui legum naturalium in se suscipiunt defensionem, legum similes esse, quæ ad puniendum, non iracundia, sed æquitate ducuntur. In hac re has servabit leges vir æquus & bonus.

Primo. Existimabit nihil esse laudabilius, nihil magno & præclaro animo dignius placabilitate atque clementia; nihil ad societatis incolumitatem necessarium magis, quam condonare mutuo injurias (*b*). Pœnitentiam igitur sufficientem earum reparationem putabit, si non ficta fuerit & simulata. *Inimicis*, inquit pulchre Seneca, *mitis & facilis*, *exorabor antequam roger*, *honestis precibus occurram*.

Secundo. Cum duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius solummodo, ubi uti non licet superiore; itaque sive ad propulsandas injurias, sive in damnorum prosequenda reparatione consiliis, adhortationibus, monitis, minis & omni arte utendum est, antequam vis adhibeatur belloque decertetur. *Omnia prius experiri verbis, quam armis sapientem decet*, ut ait Terentius.

Tertio. Quoniam nemini injuriæ suæ parvæ videntur; contra gravius æquo haberi solent, utpote cum regis quisque intra se animum habeat, ut licentiam sibi dari velit in alterum, in se nolit: modesti & æqui hominis est, non suo semper stare judicio, sed puro & absoluto compromisso controversiam dirimendam permittere arbitrio unius viri cordati aut plurium nulla necessitudine arctiore contendentium alterutri devinctorum & quibus nihil lucri accessurum est quoquo modo lis dirimatur: qui cum nulla sua utilitate, neque gratia aut odio, ab æquo & bono abripiantur, quamvis ipsis contendentibus neque prudentiores sint, neque æquiores, facilius tamen vera & æqua cernere poterunt.

Arbitrorum judicio litigantibus standum, nisi doli forte comperta sint indicia; pactum nempe aliquod de lite in alterutrius gratiam dirimenda; aut adeo manifesta arbitri iniquitas, ut dolum plane prodat: levior enim iniquitas si quæ existat, probabili juris specie suffulta, compromissi obligationem neutiquam solvet.

Quod si arbitri neque ex litigantium confessione, syngraphis, aliisve istiusmodi documentis, verum eruere valeant; citandi testes, & jurisjurandi religione astringendi & duo minimum exigendi. Tum quia pro testium numero augetur fides, tum & etiam quia unus modo malitiosus sit, versutus, animique fidens, narrationem falsam ita callide contexere poterit, ut nulla judicis, arbitrive solertia adduci possit, ut secum discrepet, dolumque prodat. Duo vero aut plures, de iis omnibus rei judicandæ adjunctis, quæ neminem, qui interfuit, latere solent (qualium ingens iudici solertiori occurret numerus) seorsim interrogati contraria plura testentur; vel eadem omnia aut recordari aut oblivisci, præ se ferant; manifesta dabunt fraudis, fallaciæ indicia.

VI. Ex superioribus patet condicta privatorum certamina, quæ *duella* vocantur, ubi provocans & provocatus, se ultro in loco sistunt condicto, extrema omnia invicem inferre parati, nulla satis probabili juris specie, vel inter homines liberos, vel inter cives defendi posse. In libertate, juris nostri defendendi aut prosequendi modum longe commodiorem osten-

(*a*) Unde certamina inter homines, unde pugnæ, contentionesque nascuntur, nisi quod improbitati opposita impatientia magnas sæpe concitat tempestates? Quod si patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris, extinguetur, protinus tamquam igni aquam superfuderis. *Lact. inst. div. l. 6. c.* 18.

ostendet recta ratio: ut nempe vel arbitris compromisso permittatur litem dirimere, vel ubi hoc alter detrectaverit, ut cum eorum auxiliis, quos nobis causæ nostræ æquitas, aut rei communis cura, socios adjunxerit, bello aperto jus nostrum persequamur. In civitate autem omnis lis magistratuum judicio permittenda est, qui ideo gladium portant, ut innocentes protegant, coerceant nocentes: ad hoc communis confœderationis lege adacti sumus. Quod ad opprobria attinet ac verba contumeliosa, & falsa crimina; ea per duellum refellere, & ineptissimum est & sæpe sævissimum: quum cæca omnino sit hujus martis alea, & innocenti damnosa; & pœna semper major quam delictum. Si quis alterius famam falsis læserit criminibus, aut etiam arcana ejus vitia inhumaniter divulgando, nullo hoc exigente officio; in statu libero, qua dignus est, pœna ad viri prudentis arbitrium est ei irroganda, qua in re ab humanioribus vicinis auxilia petenda sunt: in statu civili imponenda a magistratu castigatio. Sin autem tanta rectores civitatum ceperit rei maximæ incuria, ut ad civium famam contra opprobria aut falsa crimina defendendam nullæ sint idoneæ leges, nulla judicia, atque si invaluerit mos, a barbaris & superstitiosis deductus sæculis, ut infamis, novisque semper injuriis dignus habeatur, iisque sit obnoxius, qui propter opprobria quædam & maledicta in se conjecta authorem ad condictum certamen non provocaverit; aut ab altero, qui se læsum putat, provocatus certamen detrectaverit: certaminum ejusmodi crimen in civitatis rectores præcipue est conferendum; quamvis a delicto gravissimo non immunes sint ipsi qui decertant, cum ob vanam opinionem, falsamque imaginem fortitudinis se committunt periculo mortis cum contemptu omnium legum divinarum & humanarum, & summa plerumque parentum, uxoris, liberorum & totius familiæ calamitate. Unica forte de causa justum esse potest, ab altera saltem parte, certamen susceptum; ubi scilicet hostis publicus potentior, pugilis cujusdam virtute fidens, fœdus de pace conditionibus æquis reducenda, ea solum lege, nobiscum inire velit, si hic a nostræ gentis pugile in certamine victus fuerit. Res quidem graviores, quæ solæ bellorum justæ sunt causæ, duelli istiusmodi aleæ committere dirimendas, sævum est & stolidum: quippe quæ per arbitros melius dirimi poterunt. Si vero hostis potentior in istiusmodi prælii eventum conjicere controversiam, neque eam leniore ratione dirimere velit; is maxime laudandus, qui ad majorem innocentium stragem præcavendam, patriam suo periculo defendere ea ratione conatur, quæ spem præbet maxime probabilem. (*a*)

ARTICULUS QUINTUS.

De jure extraordinario ex necessitate, de jure omnium communi & de juris interitu.

I. OFFICIA fere omnia sensu proxime cuique monstrari & commendari, sæpius jam dictum: inter varias item honesti species, naturalem esse ordinem: aliasque quamvis per se pulchras, aliis pulchrioribus & ad communem utilitatem momentum majus afferentibus, in contentione cedere: honestique præcipue venustatem in iis animi affectionibus & consiliis, quæ maximæ omnium utilitati inserviunt, elucere. Hinc efficitur omnia privatorum jura, omnesque leges speciales majori plurium utilitati aut omnium communi posthabendas. Quamvis igitur rationis recte dictata, leges speciales appellata, quæque libero quovis tempore migrare turpissimum, officia viro bono fere semper digna jubeant; tempore tamen mutato, nonnunquam commutatur officium; casusque quidam rariores, in ipsis legibus excepti intelliguntur. Non igitur premente necessitate violandæ sunt leges naturales, aut iniqua & improba facienda: immo qui exceptione utitur legiti-

(*a*) Ut olim de Peloponneso Hillus & Echemus: De regione ad Inachum Hyperochus & Phemius: de Elide Pyrecma Ætolus & Degmenus Epæus: de Iha Corbis & Orsua. Vide *Gr. l. 2. c. 23 p. 10.*

gitima, sibique concessa, aut qui legi paret sanctiori quæ minus sanctæ aliquid derogat, is eo ipso legi paret. Legum autem socialium ea sanctissima, quæ singulorum aut pauciorum saluti, & utilitati omnium communem anteponit.

Quum vero hominis cujusque probi sensus, legum specialium vim & majestatem conservandam moneat, ab iis levi de causa minime discedendum, neque levis est necessitas quæ iis quicquam derogare putanda est. Non solum igitur, quæ incommoda ex iis servatis continuo sequerentur, quæque commoda præsentia ab iisdem deflectere suadeant, cautissime circumspiciendum; verum præcipue sintne quædam incommoda graviora ex ea in causis similibus licentia omnibus permissa, in posterum metuenda. Ponamus exempli gratia, aliquid quod latius pateat: quum tanta sit fidei & veritatis, sive in sermone sive in commerciis, rebusque contractis, religiose observatæ utilitas; & tanta pariter, ex conservato dominii jure, liberaque rerum suarum possessione & administratione cuique permissa, oriatur vitæ securitas & mutua fiducia; oportet gravissimæ sint causæ, ingentia mala avertenda, quæ justitiæ regulis hisce quicquam derogabunt. Neque ad causas leviores extendi debet necessitatis favor: etenim prospicienda etiam graviora longe incommoda quamvis remota, quæ ex earum legum authoritate de causa quamvis leviore imminuta, sunt tandem nascitura. Excipiendi igitur casus tantum gravissimi, ubi mala his omnibus incommodis graviora sunt avertenda; quibus casibus, qui leviores & magis consuetos annumeraret, improbus plane sit oportet & sceleratus.

At plurimas habet lubrica hæc doctrina cautiones. Primo. In legibus duabus primariis de Deo colendo, & communi omnium utilitate promovenda, nullæ sunt exceptiones. Immo quæ in legibus specialibus valent exceptiones, in hac altera generali fundantur. Secundo. Quo honestius est cujusque ingenium, eo minus ad exceptiones in leviore quamvis causa sua admittendas, aut necessitatis veniam sibi arrogandam, erit proclivis. Tertio. Omnium quæ ex juris hujusmodi insoliti usu sive consecutione naturali, sive ex hominum pravitate & temeritate nascuntur, ratio habenda: non tamen ut hominibus denegentur omnia jura, quorum speciem fallacem opponent improbi: verum hæc ipsa mala, ab hominum improbitate metuenda, ad calculos sunt vocanda: causisque tantum gravissimis exceptiones dandæ. Quarto. Quo sanctior, vitæque hominum utilior est lex, eo graviores oportet esse causas, ob quas danda exceptio. Quinto. Causæ, quæ ex aliorum utilitate aut omnium communi petuntur, iis quas quisquam ex sua aut suorum utilitate petit, longe sunt honestiores. De sua utilitate suoque jure aliquid remittere viro bono sæpe licet, sæpe honestum est: communem vero utilitatem deserere non licet. Sexto. Nulla necessitas tanta est, ut cuivis mala sibi imminentia, in alios immeritos conjicere, iisve avertendis alios paribus aut gravioribus malis implicare liceat: huic enim adversatur utilitas communis. Septimo. Quæcumque damna, ad mala graviora a nobis nostrisque avertenda, in alios non consentientes conjecimus, ea omnia præstare sanctissime tenemur. Hæc generalia hoc loco de necessitatis favore specialibus casibus facile applicabuntur.

II. Ex communi hominum cognatione & caritate jura quædam communia nascuntur, quæ non unius aut paucorum, sed omnium communi utilitati inserviunt: hæc igitur occasione data, cuique tuenda sunt & persequenda. Ante jus publici explicationem hæc ideo exponenda, quod hæc in libertate ante civitates constitutas æque vigeant. Eorum pauca ponemus exempla, quæ latius pateant. Primo. Cuique occasione oblata totique adeo humano generi, jus est prohibendi ne quisquam sine justa causa e vita excedens officia humano generi ejusque parti cuivis debita defugiat. Prohibendum igitur, ne quis se ipse interimat; aut corpus mutilando vitæ muneribus ineptum reddat. Secundo. Jus omnium commune est, perniciosos pessimique exempli mores coercendi, quamvis nemo quisquam præ aliis iis lædatur.

Re-

Reprimenda ergo atheistica impietas, coercenda venus naturæ repugnans & nefanda; partuum etiam abactiones artesque omnes humano generi inimicæ. Laudantur Inchæ in Peruana Reges, qui vi coegerunt vicinos populos absistere ab incestis, a nefandis contra naturam conjunctionibus, a comestione hominum & aliis ejusmodi perversis moribus. Tertio. Impediendum item, ne quis res suas, quæ vitæ hominum plurimum prodessent, maligno perdat animo aut inutiles perire servat. (*a*) Quarto. Omnibus & singulis jus est, injuriam alii cuivis inferendam propulsandi, at solis rectoribus permissa est potestas in eos, qui injuriam intentarunt, pœnas irrogandi, quarum terrore isti cæterique omnes ad injurias tardiores reddantur. Quinto. Hominum toti communitati jus est prohibendi, ne qui arcanum aliquod hominibus salutare invenerit, ejus notitiam secum interire sinat; eumque vel pœna proposita cogendi, ut æquis legibus id cum aliis communicet, cunctisque quibus sit opus ejusdem usum impertiat. Sexto. Jus est commune omnium non tantum rebus communibus communiter utendi, sed & aliorum propriis, cum sine illorum incommodo id fieri possit: ideo Seneca beneficium negat dici posse ignis accendendi potestatem. Sic flumen, qua aqua profluens vocatur, omnibus patet, ut aqua hauriri possit. Sic & terræ & flumina & si qua pars maris in proprietatem familiæ aut populi alicujus venit, patere debent his, qui transitu opus habent ad justas causas, quosque ad inferendam injuriam voluntatem non habere constat, etiam cum mercibus suis. Morari quoque aliquantisper prætervehentibus & prætereuntibus, valetudinis, aut alia justa causa, unde nullum oritur incolis periculum, licere debet: nam est & hoc inter utilitates innoxias. Cui & hoc consequens est, ut tugurium momentaneum ponere liceat, puta in littore licet occupato. Sed & perpetua habitatio his, qui sedibus suis expulsi receptum quærunt, deneganda non est; dum & imperium, quod constitutum est, subeant. Sed & si quid intra territorium populi est deserti ac sterilis soli, id quoque advenis postulantibus est concedendum.

III. Tribus modis intereunt jura & tolluntur obligationes, quæ illis respondent: *solutione*, illius quod debebatur; *cessione* in debitoris gratiam, idque vel gratis, vel ex causa onerosa; & *conditionis defectu*.

Recte solvit vel ipse debitor, vel alius quilibet ipsius mandato, ipsiusve nomine, ita ut ipsius manifeste intersit, dum loco, tempore & modo constituto fiat. Ubi quidem debitoris non interest, creditor alteri cuiquam, forte inhumano, solvere volenti, actionem suam adversus debitorem cedere non tenetur. Hæc tenenda, ubi vel res certa, vel pecunia numeranda, vel opera quævis vulgaris debebatur: quippe in quibus creditoris haud interest, qui solvat. In iis autem quæ honoris gratia præstantur, aut in quibus ingenii & artis elegantia spectatur, secus se res habet. In rebus item fungibilibus, iisve quarum pretia ad certam rei istiusmodi mensuram rediguntur, si quidem utriusque solutionis dies adest aut præteriit, *compensatio* admittenda, ubi ad æqualem summam duo sibi mutuo creditores sunt: immo pro concurrentis summæ ratione ex majore deducendum; ut tantum id quod reliquum est deberi censeatur.

Ad *cessiones* pertinent *transactiones* omnes & obligationes quibus lites tolluntur: *delegationes* item, ubi vice sua debitor alium stat reum creditori consentienti, aut cui is jusserit; *condonationes* etiam expressæ vel tacitæ; *acceptilationes* itidem; *dissensusve* mutuus.

Ob *conditionis defectum* tollitur obligatio alterius partis perfidia; si modo pactum irritum fieri malet altera, quam perfidum cogere ut promissis maneat. *Mutato* item *statu*, quæ in eo fundata erat obligatio tollitur. *Tempore* dein *exacto* dissolvuntur obligationes ad certum temporis terminum

Oo 2 con-

(*a*) Nam neque alimenta nobis fas est perdere, ubi ipsi plus satis habemus; neque fontem, postquam inde quantum libet potaverimus, obturare aut occultare, neque signa navigationis aut itineris abolere, quæ nobis usui fuerint. Plut. Sympos. 7.

constitutæ. *Morte* denique solvuntur obligationes quæ certos quosdam homines aut personas solum respicientes, neque ad hæredes erant transmittendæ, neque adversus eosdem valituræ. De quibus omnibus ex rei natura aut ipso contractu facile constabit. Vide *Puff. l. 5. c. 11.*

Hactenus de juribus perfectis & justitiæ officiis.

ARTICULUS SEXTUS.

De juribus imperfectis & caritatis officiis.

I. PRÆTER hæc jura perfecta hactenus explicata, alia sunt quæ imperfecta dicuntur ut supra notatum est, quæ etsi posita sint in humanitate & multum faciant ad jucundam hominum inter se conjunctionem; tamen sunt ejusmodi ut graviora sequerentur incommoda, nisi cujusque pudori & honestati ea permitterantur observanda aut negligenda: in iis cuique religiose præstandis, elucent illæ bonorum virtutes, quibus præcipue laus & gloria comparantur. Inter hæc jura ista præcipua sunt. Primo. Cuique jus est exigendi ea ab aliis officia, quæ accipienti prosunt, danti vero neque sunt molesta nec damnosa. Secundo. Est & cuivis innocuo jus ad humaniora ea officia, quæ ipsi multo magis sunt profutura, quam præstantem gravatura: quæ causa præcipue est calamitosi cujusque. Tertio. Honestioribus jus est ad aliorum officia majora, ad suffragi præsertim, quibus ad honores altiores promoveantur. Quarto. Jus est etiam cuique, non suo merito infami, ut legibus æquis in societates aut civiles, aut religiosas, ad vitam commodiorem aut magis piam degendam, recipiatur. Quinto. Jus est denique cuique innocuo, ut humanis & benignis pariter cum paribus, excipiatur officiis, atque cum imparibus ratione dignitatis.

Inter jura omnia perfecta & imperfecta limites non semper facile definiuntur. Sensim enim & per innumeros gradus, ascendimus a levissimo quoque jure imperfecto per graviora & sanctiora; ad ea quæ a perfectis vix secerni possunt; prout variæ sunt hominum necessitudines & merita, & dignitates, quibus innituntur jura imperfecta: debentur v. g. viro cuivis innocenti, licet alienigenæ, quædam humanitatis officia; quæ sanctiore jure postularet civis, aut vicinus; multo sanctiore propinqui, amici, fratres, parentes; hæc tamen omnia censentur jura imperfecta.

II. Cum manifestissimum sit, homines non esse sibi ipsis solum natos; sed multiplici & claro indicio significaverit natura se velle ut homines hominibus etiam prodesse velint, & ad hunc finem inseverit caritates & propensiones varias pro diversis hominum conjunctionibus & necessitudinibus; sine dubio in hoc debemus naturam ducem sequi & communes utilitates in medium afferre: mutatione officiorum humaniorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincira hominum inter homines societatem. *Quantulum est ei non nocere, cui debeas prodesse. Sen. Ep. 94.*

Charitas ergo est benignus erga proximum affectus, quo ex humanitatis intuitu inclinamur ad bonum proximi, quantum in nobis est, prosequendum, malumque ab eo avertendum. Nobilissimum, ut patet, ejus objectum est universa humana gens, proximum patria, deinde familia, in familia vero ii quos arctioribus vinculis nobis conjunxit natura & insitis affectibus reddidit cariores. Hisce omnibus caritatibus nunquam contraria est, neque illis omnino cedit *amicitia*: quo nomine non donamus quamvis benevolentiam reciprocam ex communis quæstus studio, vel utilitatum conjunctione (*a*), vel convictus familiaritate ortam, quæ inter malos vigere potest, & pestifera sæpius est humanæ societati: sed intelligimus *arctum, stabilem & gratuitum animorum bonis moribus & honestate similium, mutua cum caritate, conjunctionem*. Hæc non rogat turpia neque rogata facit, posita in virtute ejus

(*a*) Hanc si ad fructum nostrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum: prata & arva & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur, hominum caritas & amicitia gratuita est. *Gr. de Val. t. 3. p. 537.*

ejus recipit constantiam & immobilitatem (*a*) Omnium rerum quas ad beate vivendum natura paravit, nihil est amicitia majus, nihil uberius, nihil jucundius: quid enim suavius, quam diligi & carum esse sapientiæ & virtutis studiosis, idque virtutis gratia? Quid utilius quam habere amicum optima quæque nobis cupientem; commoda nostra omnia studiose promoventem; in prosperis sua lætitia nostrum gaudium augentem, in adversis mala nostra partiendo levantem (*b*); cum sui periculo res nostras procurantem; consilium, opem, præsidium afferentem; in secretis taciturnum; in verbis fidum & candidum; ubi erramus fidelem monitorem, & benevolum objurgatorem; in omnibus denique incœptis adjutorem strenuum, in propellendis omnibus malis diligentem socium & vigilem excubitorem?

Caritas omnis duobus continetur, *humanitate* ad quam referuntur omnes virtutes quæ pertinent ad mansuetudinem morum; & *beneficentia*, quæ in aliis opera & opibus juvandis posita est.

I. *Caritatis ergo primum munus est benignum gerere adversus alios animum; illumque voce, gestu, actione testari*. Quo præcepto plura continentur. Primo. Præcipitur in fronte & in gestu modestia, qua significemus vereri nos alios homines, eosque nobis pares & æquales existimare. Vetatur omnis superbia, fastidium, arrogantia. Nec solum infimos homines decet illa virtus, sed quanto superior sit aliquis, tanto se gerere debet summissius: major tamen aut minor esse debet reverentia adversum alios, pro eorum majori aut minori dignitate. Cavendum tamen in ætate matura a nimia verecundia, quæ hominem ab honestis officiis sæpe cohibet. Secundo. Jubetur in convictu gravitas, quæ eluceat in sermone & moribus; quam tenebimus si non inconsiderate, non leviter loquamur, & æqualiter vitaverimus in vita civili hinc nimiam austeritatem & severitatem, illinc inconstantiam & mobilitatem. Tertio. Præcipitur comitas affabilitasque sermonis, quæ maxime conciliat animos, nos suaves, jucundosque aliis efficiendo. Hanc assequemur, si caute fugiamus difficilem morositatem & turpem assentationem. Quarto. Commendantur urbanitas & facetiæ, quæ inconcinnam agrestemque rixantium asperitatem & petulantem scurrilitatem ad obscœnos aut illiberales descendentem jocos dividit. Uno verbo hoc præcepto continentur omnes virtutes homiliticæ seu civiles, quæ sunt per se decoræ aut humanæ societatis conciliatrices.

2. Caritatis alterum munus est, *ut quantum possimus alios adjuvemus nostra opera aut opum collatione*. Quo præcepto,

Primo. Præcipitur ut quantum possimus alios omnes devincire beneficiis & liberalitate studeamus; & in referenda pro beneficiis acceptis gratia summam adhibeamus curam & diligentiam. Profecto ita nos formavit natura, ut nihil honestius, nihil gloriosius, nihil putemus beneficentia excelsius: & nullum certe officium referenda gratia magis est necessarium: hoc enim alterum proxime accedit ad justitiam. Quas vero leges in dandis & reddendis beneficiis sequi oporteat docebit Cicero, cujus est pulcherrimus locus de liberalitate l. 1. de officiis.

Videndum est primum ne obsit benignitas & iis ipsis quibus benigne videbitur fieri & cæteris: nam qui gratificantur cuipiam, quod obsit illi cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi assentatores judicandi sunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt injustitia, ut si in suam rem aliena convertant.

Cavendum ne benignitas major sit quam facultates: quod qui benigniores volunt esse quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos: quas enim copias his & suppeditari æquius est & relinqui, eas transferunt

(*a*) *Idem velle & idem nolle, ea demum est firma amicitia. Sallustius.*

(*b*) *Secundas res splendidiores facit amicitia, & adversas partiens, communicansque, leviores; nec debilitari animos aut cadere patitur*. Cic. de amic. Vide Simplicii comm. in Epict. c. 37.

runt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi & auferendi per injuriam ut ad largiendum suppetant copiæ. Videre etiam licet plerosque, non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur facere multa, quæ liberalitas ab ostentatione magis proficiscitur, quam a voluntate.

In beneficentia delectus esse debet dignitatis: in quo & mores ejus erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas ac societas vitæ, & ad nostras utilitates officia ante collata. Quæ ut concurrant omnia, optabile est: sin minus, plures causæ majorisque ponderis plus habebunt. Mores eorum in quos benefici esse volumus spectare oportet, & ita unusquisque colendus maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, justitia, quæ virum bonum videntur maxime attingere. De benevolentia autem quam quisque habeat erga nos primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligimur: sed benevolentiam non adolescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius & constantia judicamus. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia; major quædam cura adhibenda est. Quod si ea quæ utenda acceperis, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? An imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos esse debemus qui jam profuerunt? acceptorum beneficiorum sunt delectus habendi; nec dubium quin maximo cuique plurimum debeatur: in quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Sed in collocando beneficio & in referenda gratia, si cætera sint paria, hoc maxime officii est, ut quisque maxime opis indigeat ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque; a quo enim plurimum sperant, etiamsi ille his non eget, tamen ei potissimum inserviunt. Optime autem societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Gradus autem plures sunt societatis hominum: propior est ejusdem gentis, nationis, linguæ; interius etiam est, ejusdem esse civitatis: multa enim sunt civibus inter se communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines, præterea & familiaritates, multæque cum multis res rationesque contractæ. Arctior vero colligatio propinquorum, inter quos prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis: sequuntur fratrum conjunctiones; post consobrinorum, sobrinorumque; qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui, quæ propagatio & soboles origo est rerum publicarum: sanguinis conjunctio devincit homines & caritate; magnum est enim eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia. Sed omnium societatum nulla præstantior, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti: magna etiam illa communitas est, quæ conficitur ex beneficiis ultro citroque datis & acceptis, quæ & mutua & grata dum sunt, inter quos ea sunt, firma devinciuntur societate. Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior quam ea, quæ cum patria est unicuique nostrum: cari sunt parentes; cari liberi, propinqui, familiares: omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Igitur si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes sint patria & parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus, proximi liberi, totaque domus, quæ spectat in nos solos, neque aliud ullum potest habere perfugium; deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum etiam communi s.

munis plerumque fortuna est, quamobrem necessaria vitæ præsidia debentur iis maxime quos ante dixi. Vita autem victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam objurgationes in amicitiis vigent maxime: sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit quid cuique maxime necesse sit, & quid quisque nobiscum, vel sine nobis, aut possit consequi aut non possit. Ita non iidem erunt necessitudinum gradus, qui temporum, suntque officia quæ aliis magis, quam aliis debeantur; ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem aut familiarem. At si lis in judicio sit, propinquum potius & amicum, quam vicinum defenderis.

2. Beneficentiæ alia pars est *elementia*, quæ virtus est ad pœnas remittendas vel moderandas ex commiserationis affectu movens, aut humanitatis causa. In condonatione vero pœnæ hæc spectanda præsertim. Primo. Delicti, omnibus expensis circumstantiis, gravitas. Secundo. Spectandum an ex imprudentia & imbecillitate quadam hominibus familiari peccatum sit. Hæc autem ex ætatis, judicii, virium, irritamentorum, metusve ratione æstimanda sunt. Tertio. Spectanda ante acta vita, si rarius peccarunt. Quarto. Ratio habenda est pœnitentiæ, dolorisque factum consequentis. Nam clementia non est facilitas & benignitas quidvis ignave ferens.

3. Tandem pars beneficentiæ misericordia est quæ miseris succurrit dando *esurienti panem*, *sitienti potum*, *nudo vestimentum*, *peregrinanti hospitium*, *fugienti latibulum*, *ægroto vel incluso visitationem*, *captivo redemptionem*, *debili subvectionem*, *cæco deductionem*, *tristi consolationem*, *non sano medicinam*, *erranti viam*, *deliberanti consilium*, *& quod cuique necessarium est indigenti*. *Aug. Enchir. c. 72.*

Hæc omnia officia præstanda sunt non tantum civibus, sed extraneis: ut ait Cicero, *qui enim dicunt civium rationem habendam esse*, *& exterorum negant*, *dirimunt communem generis humani societatem*. Inimicis quoque: *qui ad rationis recte normam progredienti tibi obsistunt*, *sicut a recte agendo avertere te nequeunt*, *ita nec benevolum erga illos affectum excutiant tibi*. *Sed ad utrumque horum teneas*, *te ut & in judicio actioneque constanti persistas*, *& in mansuetudine erga illos qui vel impedire te conantur vel alio modo quopiam molesti tibi sunt*. *Etenim tam hoc imbecillis est animi*, *succensere istis*, *quam ab actione desistere & consternatum succumbere*. *Uterque enim ex æquo stationis desertæ reus est*, *& qui perculsus & qui natura cognatum sibi atque amicum fuerit aversatus*... *contemnit me quisquam? ipse viderit: ego mihi cavebo*, *ne*, *quid contemptu dignum vel egisse vel dixisse deprehendar*. *Odit me quisquam? ipse viderit*. *At ego mitis esse ac benevolus cuique pergam*; *& huic etiam ipsi*, *errorem ostendere promptus*; *neque id contumeliose neque ut qui patientiam ostendere cupiam*; *sed ingenue*, *benigne*. *M. Anton.*

CAPUT SECUNDUM.

De Officiis mutuis eorum qui Familiam constituunt.

seu

Jurisprudentia Domestica.

DOMUS est plurium ad vitam victumque communem societas. Juxta hanc latissimam domus definitionem, triplex est domesticæ societatis genus. Prima societas in ipso conjugio est, cujus est vinculum omnium arctissimum. Proxima in cognatione, qua continentur primum liberi, deinde fratres, sobrini, cæterique consanguinei, interior quoque est hæc sanguinis conjunctio. Tertia societas domestica existit inter herum & famulos, inter Dominum & servos: quæ societas a quibusdam ad civitatem potius quam ad domum revocanda videtur.

De conjugio & conjugum officiis.

Quamvis *conjugium* (quod & *nuptiæ*, *connubium*, *matrimonium* dicitur) inter status adventitios, qui ex facto hominis nascuntur, recenseatur, tamen multiplici sensu naturalis status est. Positum quip-

quippe est in affectibus maxime naturalibus; est ad conservationem humani generis necessarium; cum ipsa humana specie natum est.

Satis etiam declarat natura conjugii finem esse tum generis humani propagationem, tum mutuam nubentis & nuptæ felicitatem stabilem & individuam. Nam 1. insita illa omnibus animantibus procreandi libido & conjunctionis appetitio, ad generis humani conservationem manifestissime fuit ab authore naturæ destinata; qui ideo cum ea conjunctam esse voluit voluptatem, ne homines sollicitudine partus & curis domesticis a procreatione deterrerentur. 2. Non minus perspicuum est virum & fœminam ad individuam esse factos societatem: ita comparata est a natura utriusque conjugis indoles, ut ad communem vitam facti plane videantur: ad diversa quippe munera nati sunt; ex una parte homo viribus excellens multis rebus ad vitam necessariis parandis idoneus est, quibus fœmina minus esset apta: & ex altera parte multa quoque sunt in vita domestica, quæ leviorem & diligentiorem mulieris manum requirunt (*a*). Præterea longa prolis infantia, & diuturnior institutio postulat ut inter parentes individua & amica sit societas. Tandem præter impetum libidinis qui nobis est cum belluis communis, miros inseruit natura maribus & fœminis amores, quos accendit virtutum in moribus atque in ipsa forma significatio: monstrant hi amores non aliter sobolem humanam esse propagandam, quam a parentibus fida & constanti amicitia & firmo etiam de continua vitæ consuetudine & communis sobolis cura, fœdere conjunctis: omnis enim fida amicitia perpetuitatem expetit; quæque a certo temporis termino pendet, aut ab eventis quæ conjuges fidelissimi nequeunt præstare, nulla est.

Hinc conjugium definiri potest *fœdus inter*

(*a*) Maritale conjugium sic comparatum est natura, ut non solum jucundissima, verum etiam utilissima, vitæ societas iniretur, & ne genus humanum generis longinquitate occideret. Propter hoc mas cum fœmina est conjunctus. Deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula præpararentur. Tum etiam, cum victus & cultus humanus non, ut feris, in propatulo, ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset, necessarium fuit alterutrum foris sub dio esse, qui labore & industria compararet: intus, qui tectis reconderet atque custodiret. Si quidem vel rusticari, vel navigare, vel etiam alio genere negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum vero paratæ res sub tectum essent congestæ, alium esse oportuit, qui & illatas custodiret, & cætera conficeret opera, quæ domi deberent administrari. Nam ut fruges & cætera terrestria indigebant tecto, & ovium cæterarumque pecudum fœtus atque fructus clauso custodienda erant; nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur humanum genus, aut etiam excolitur. Quare cum & operam & & diligentiam, ea quæ proposuimus desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi custodiri oporteret: jure, ut dixi, a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem & extraneam. Itaque viro calores & frigora sunt perpetienda; tum etiam itinera, & labores pacis ac belli, id est, rusticationis & militarium stipendiorum, distribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerit inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiæ & diligentiæ assignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris & in aperto victum quærentibus nonnunquam injuriam propulsare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorem. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria & diligentia: non minorem fœminæ, quam viro, earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam quod simplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam quod alteri deest, præsto plerumque est alteri. *Cic. fragm.*

inter marem & fœminam de individuo vitæ consortio & sobole suscipienda educandaque ortum. Adeo sequitur,

1. Non solum omnes cum bestiis & maribus coitus esse nefandos; sed concubitus vagos seu fornicationes esse quoque naturæ lege prohibitas; cum illæ conjunctiones adversentur utrique conjugii fini, neque fiant ad generis humani propagationem, neque ad stabilem & individuam utriusque conjugis felicitatem, sed ad turpem fluxamque voluptatem. Concubitus vagi si permitterentur, juniorum & animi & corpora perderentur, soboles incerta omnique patrum cura destituta propagaretur; matresque incautæ ab omni honesta vitæ conditione exclusæ ad infamiam, ad inediam, ad omnia flagitia projicerentur.

Consequenter graviter reprehendendus Plato, qui in rempublicam, cujus sibi finxit imaginem, introduci volebat uxorum communitatem & civitatem perpetuo refici per prolem neutri parentum agnoscendam. *Si omnes omnium fuerint, ait Lactantius, & mariti, & patres, & uxores, & liberi, quæ ista confusio generis humani est? Quis aut vir mulierem, aut virum mulier diligit, nisi habitaverint semper una? Nisi devota mens & servata invicem fides individuam fecerit caritatem?* Nullæ etiam leges, nulli mores eam vim habere possunt, ut in parentibus de sua sobole incertis, omnique parentali amore vacuis, idoneam communis sobolis curam excitent. Quod etiamsi fieri posset, gravatissime tamen ab iis præstarentur hæc officia in sobolem incertam, dum eadem naturalis amor efficit levia & jucunda. Præterea confusa & incognita sobole tollitur maximum omnis industriæ & diligentiæ invitamentum.

2. Sequitur juri naturæ repugnare polygamiam. Fœminis primum plures maritos prorsus negat natura. Abhorret etiam a ratione conjugii, ut vir unus plures simul habeat uxores. Nam ista Polygamia tollit inter conjuges æqualitatem, & ex ea profluentem unius partis felicitatem: quod iniquum est. Deinde tollit è conjugio amicitiam: per libidines varias caritas viri dispersa torpescit, neque amor esse in conjuge potest nisi erga redamantem. 3. Contentiones fovet perpetuas, fœminas injuriosius tractatas adulteriis objicit. *Nunquam, inquit Euripides in Andromache, geminos lectos laudabo mortalium, neque liberos qui habent diversas matres, litem ædium & tristes dolores*. 4. Sobolem quibusdam submittit nimis numerosam & ideo negligentius educandam, nulla in parentem dissolutum pietate imbutam. Quin etiam cum mares fœminis numero pares conservet Dei providentia; si viris plures simul habere uxores liceret, plurimi a conjugio & sobole suscipienda excluderentur, cum societatis maximo detrimento.

3. Sequitur perpetuum & stabile esse oportere conjugium, sola morte solvendum. Tum quia liberi, qui ex conjugio nascuntur, colligant parentes nodo indissolubili; habet enim uterque parens eandem & quasi individuam cum prole necessitudinem, quam necesse est mutari sublata parentum societate. Diuturna quoque sobolis educatio utrique parenti a natura commendata est. Tum etiam quia ubi duo in commune se suaque omnia conjecere in perpetuam societatem, servanda semper communitas, neque alteri licet illam dissolvere. Inhumanum est & iniquum, conjugem repudiare amantem & fidelem, propter causas cum nulla turpitudine conjunctas, sterilitatem nempe aut infirmam valetudinem: aut propter casum tristem a nemine mortalium præstandum, & repudiandæ pariter deflendum; liberorum scilicet communium interitum.

4. Sequitur inter maritum & uxorem omnia oportere esse communia, ac unicam esse duorum conjugum quasi personam; proindeque huic conjunctioni cedere omnem aliam societatem. (Ob sexus tamen differentiam imperium non prorsus est commune, sed maritus uxoris caput est, nempe in rebus conjugii & in rebus familiæ: nam uxor pars fit familiæ maritalis. Id tamen imperium tale est, quod possit compati cum amore conjugali, qui conjugibus æquam imperat vitæ communitatem. Ideo de domi-

micilio constituere jus est marito: si quid vero ultra juris maritis conceditur: ut lege hebræa jus rescindendi quævis vota uxoris & apud populos nonnullos jus vendendi bona uxoria: non a natura est, sed ab instituto.

5. Sequitur debere conjuges servare mutuo præstitam fidem & omnia vicissim vitæ beatæ auxilia suppeditare, ac intendere semper omni ope mutuam caritatem. Fœmina ergo imprimis viro castum servet cubile: cum insuper nihil sit magis nefarium aut injuriosum, quam fœtum viro supponere adulterinum, bonorum hæredem; & amorem veræ tantum soboli debitum dolose intervertere. Parem etiam vir uxori servet fidem: iniquissimum enim foret, ut uxoris amores conjugales & curæ omnes, una cum dote, uni viro ejusque soboli devoveantur, quum interea viri amores uxori primæ ejusque soboli debiti, a nova quavis uxore vel pellice, earumque sobole interversi, cum re etiam familiari, dispertiantur. Prospiciat uterque, voluntatum & studiorum conjunctione, familiæ communis prosperitati.

6. Ex supradictis patet non esse contrahendum temere & leviter matrimonium; sed a conjugio temperandum, nisi spes ferme certa affulserit concordiæ, fidelitatis & felicitatis. At sunt causæ, non tantum avocantes a matrimonio, verum illud omnino impedientes: aliæ sunt naturales, aliæ morales.

Naturales sunt. 1. Infirmitas seu defectus corporis ad conjugii munia inhabilis: morbi etiam sæviores & insanabiles amicæ vitæ societati, aut sobolis vitalis procreationi repugnantes; quales sunt fatuitas perpetua, lepra, aliique ejusmodi. 2. Ætas alterutrius immatura, ubi non adest obligationi constituendæ necessarius rationis usus. Morales vero sunt, contractus prior & sanguinis arctior conjunctio. Ad quem usque gradum nuptias impediat arctior sanguinis nexus, difficile definitur. Inter parentes & liberos, atque in linea recta inter ascendentes & descendentes in infinitum, nuptias omnino prohibere videtur lex naturalis, non solum ob ætatum discrimen insigne, verum multo magis quod amor & consuetudo conjugialis ei adversetur erga parentes venerationi, quam liberis inseruit ipsa natura & educatio confirmavit. Nuptias consanguineorum in linea transversa, in primo solummodo gradu prohiberi lege naturæ, id est, inter fratres & sorores communis est sententia. Quia vero apud plurimas gentes legis Judaicæ ignaras hæ inter fratres & sorores, aliosque magis proximos cognatos & affines, conjunctiones impuræ & nefariæ habebantur; credibile est, quod etiam docent Hebræi, eas in prima mundi ætate, lege aliqua positiva, fuisse a Deo vetitas. Ea autem lex hæc spectasse videtur. 1. Ut familiæ gentesque plurimæ ea devinciantur caritate & benevolentia, quæ ex affinitate & sanguinis conjunctione oriri solet. 2. Ne quarumdam personarum, ut fratris & sororis, viri & sororis uxoris suæ, mulieris & fratris mariti sui, convictus nimis quotidianus atque inobservatus stupris & adulteriis occasionem daret, si amores tales nuptiis possent conglutinari. 3. Aliis quoque sobolis nasciturae commoditatibus nobis ignotis fortasse prospexit Deus, dum gentes varias conjugiis inter se misceri jussit.

De parentum & liberorum juribus, & officiis.

Quum in prima infantia infirma valde sit hominum soboles, se conservare nescia, aliorumque continua egens tutela, hoc onus parentibus aperte imposuit natura, ut liberos suos tollerent, lactarent, tegerent, educarent. Deinde in pueritia & adolescentia, cum nondum assecuta est ratio maturitatem, & incerti sunt juvenes quo fata ferant, ubi sistere detur, si sibi permitterentur in ea mala plerumque irent præcipites, quæ vitam redderent inutilem, tristem & ærumnosam; protrahenda est hæc cura, & parentibus tributa est authoritas ad filios illis moribus atque artibus, quarum in vita est usus, erudiendos. Atque ad hæc naturalia officia vividissima pelluntur parentes in liberos pietate, quam qui exuit, homo numerari nequaquam potest.

Sunt

Sunt ergo parentalis authoritatis fundamenta consilii in liberis immaturis inopia, quique parentibus alte infixus est amor gratuitus; & errant isti qui potestatem hanc in sola fundari volunt procreatione, ridicule secuti, in re dissimillima, juris consultorum axiomata de rerum inanimarum *specificationibus* & *accessionibus*, vel de pecorum fœtura, quæ nullum habent rationis usum, jurisve notitiam. Unde

1. Parentalis authoritas longissime distat a potestate herili & nonnisi ad liberorum bonum extenditur; nullo jure pro arbitrio suo parentes, quæ filiis noxia essent, præciperent aut gravioribus suppliciis punirent, quæ non exigeret ætatis teneræ tutela & institutio. Neque est eadem authoritas perpetua; at maturescente liberorum ratione continuo minuitur & in adulta eorum ætate fere evanescit: illam assecuti liberi legem vivendi norunt, cujus ignorantiam supplebat parentum consilium; & ad æqualem vitæ conditionem & æqui juris usum admittendi sunt.

2. Æqualem habent jure naturæ, & quasi individuam in liberos authoritatem parens uterque, si conjugio sint copulati: quia individua est conjugum societas; utrique eosdem erga prolem sensus ingeneravit natura; ad eandem curam & diligentiam pro suis dotibus ambos adstrinxit. Extra legitimum matrimonium liberi ad matrem pertinent juxta jus civile omnium ferme gentium, quod congruens est legi naturæ. *Lex naturæ, inquiunt jurisconsulti in dig.* l. 1. t. 1. *de statu hominum lege 24. hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur, nisi lex specialis aliud inducit*.

3. Parentes liberos alere, & educare tenentur, neque ullo modo licet exponere aut vendere. *Necare videtur, dig.* l. 25. t. 3. l. 4. *non tantum is qui partum præfocat, sed & is qui abjicit; & qui alimonia denegat; & is, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet*. Et alio in loco, Cod. l. 4. t. 43. lib. 1. *liberos a parentibus, neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris jure, neque aliquolibet modo, nec sub prætextu ignorantiæ accipientis in alium transferri posse, manifestissimi juris est*. Cui tamen legi, ibid. l. ult. hæc adhibetur temperatio: *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causa, filium filiamve sanguinolentos (id est, pro sua quemque vita) vendiderit, venditione in hoc solummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem: liceat autem ipsi qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuilibet alii, ad ingenuitatem eum propriam repetere; modo si aut pretium offerat, aut mancipium pro ejusmodi præstet*.

4. Tenentur parentes non modo liberis alimenta suppeditare, sed præcipue bonis eosdem imbuere moribus, suis exemplis ac omni arte ad virtutem instituere. Nam melius est non vixisse, quam mente improba & scelerata vivere; proindeque major est in liberos crudelitas privare eos ea institutione, quæ ad vitam bene beateque degendam necessaria est, quam spoliare bonis fortunæ. *Vis scire*, ait Sen. l. 4. de benef. *quam non sit magnum beneficium, vitam sic dare? exposuisses; nempe injuria erat genuisse. Quo quidem colligo minimum esse beneficium patris matrisque concubitum, nisi accesserint alia, quæ prosequerentur hoc initium muneris, & aliis officiis ratum facerent. Non est bonum vivere, sed bene vivere*. Aut ut habet Juv. Sat. 14. v. 70.

Gratum est quod patriæ civem populoque dedisti,
Si facis ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.

5. Æqua esse debet in utrumque parentem liberorum pietas; omnimodam in pueritia obedientiam præstare, & in adulta ætate eos summa pietate, reverentia & honore colere, oportet: idque non solum ob parentum merita, quibus digna raro filii rependere possunt; verum ut Deum sequantur ducem, qui nos his parentibus ortos, cumque his sanguine, caritate & veneratione ab incunabulis inchoata conjunctos esse voluit. Eorum igitur mores, parum licet commodos, ami-

amiciſſime ferre decet; prout & illi olim noſtros pertulere. In matrimonio præcipue contrahendo parentum authoritatem ſequentur plerumque, & quantum fieri poteſt, liberi, quum parentum multum interſit, quibus liberi in vitæ communitate omnium arctiſſima ſe adjungant; unde naſcituri ſunt nepotes in eorum jura & nomina plerumque, ſemper in parentalem amorem ſucceſſuri.

De herorum & ſervorum juribus, & officiis.

Aucto hominum genere, cum homines a prima vivendi ſimplicitate diſcederent, vitamque operoſius excolere ac rei augendæ incumbere cœpiſſent, valde probabile eſt a ſolertioribus & locupletioribus hebetiores & tenuiores ad operas locandas invitatos fuiſſe: mox cum utrique illud commodum experirentur, paulatim aliquos adductos, ut dominorum familiæ ſe adjungerent in perpetuum; iis legibus, ut domini quidem alimenta atque alia ad vitam neceſſaria præberent, ſervi ſua miniſteria circa rem domeſticam, ex herorum præſcripto curandam, promitterent: adeoque primam originem ſervituti perpetuæ dediſſe ultroneum conſenſum hominum tenuiorum & contractum, do ut facias; do alimenta perpetua, ut præſtes operas perpetuas.

Cum hiſce ſervis, ſeu temporariis ſeu perpetuis agere debet paterfamilias tanquam cum mercenariis (*Cic. l. 1. de off.*). Adeoque 1. cum hominis ſani & validi labores & operæ longe pluris ſint æſtimandæ, quam ipſius victus ſimpliciter & amictus; nam videmus iſtiusmodi homines operis ſuis, aliquid etiam ad voluptatem & ornatum, aut ad familiam alendam comparare: ſi quis igitur incautus nihil ultra victum & amictum pro operis ſuis fuerit ſtipulatus; ex illo contractu, utpote aperte oneroſo, jure pleno exigere poteſt ſervus, ut quod deeſt ad æqualitatem ipſi ſuppleatur.

2. Ubi de certis tantum operis pactum fuit, ad has ſolas obligatur ſervus. Ubi nihil de operarum genere convenit, intelligitur ſervum in ſe ſuſcepiſſe eas ſolum operas, quas heri non inhumani a ſervis ſolent exigere; ſeque hero modice caſtigandum permiſiſſe, quoties ceſſaverit, aut familiæ ſtatum turbaverit: Cætera omnia hominum jura naturalia aut adventitia ipſi ſervo manent intacta. Non licebit domino ſervum invitum alteri mancipare, etiam ad easdem operas præſtandas; quum ſervi plurimum interſit, cui ſerviat domino & in qua domo. Hujusmodi etiam ſervorum proles libera naſcitur.

3. Si quidem ſatis innotuerit, in moribus eſſe, patresfamilias in domeſticos ſuos imperium aliquod civile ſibi arrogare; huic, etiam quouſque non ab humanitate abhorret, ſervum ſe ſubjeciſſe merito colligitur: ſervi quidem operas jure exigit herus: cætera retinet jura ſervus, quæ cuivis ex populo manent ſub imperio civili; omnia certe jura naturalia, quæ alienari nequeunt. Hiſce contraria ſunt multa juris romani decreta, quæ etiam crudeliſſima in ſervos ſunt, multumque ab æquitate naturali abhorrentia, quæ religionis chriſtianæ manſuetudo una cum ipſa ſervitute perpetua abolevit.

Alia ſervitutis perpetuæ origo fuit belli calamitas. Populi olim omnes & nunc gentes quamplurimæ captivos in triſtiſſimam redigunt vitæ conditionem, temere in ſemetipſas legem ſancientes iniquiſſimam, atque mirum in modum conſpirantes ad graviſſimas contumelias & ærumnas, ſibi forte aut poſteris arceſſendas. Cujus crudelitatis hoc principium eſt, quod liceat captivos occidere, & humanitatis ſit, ſi vivere permittantur. Quod principium falſiſſimum eſt, uti patet ex iis, qui de vindicatione & pœnis ſupra dicta ſunt.

Deterior longe eſt iſtiusmodi ſervorum conditio, qui ob grave damnum a ſe datum, quod alia nequeunt penſare ratione; aut qui ob delictum atrox, pœnæ nomine, ad perpetuas operas addicuntur. Neque tamen vel hi omnia hominum amittunt jura: ea enim ſola, quæ damno reparando inſerviunt, quibusve imminutis ne ſimiles in poſterum injuriæ inferantur caveri poterit, ipſis adimenda. In

ſce-

ſceleratiſſimos, quando ipſorum vitæ parcitur, poſtquam ad omnes a ſimilibus delictis deterrendos publicas pœnas pertulerunt, non eſt ultra ſæviendum, quum labores ipſis impoſitos non detrectant.

CAPUT TERTIUM.

De Officiis Hominum ſtatu Civili, ſeu *Juriſprudentia Politica*.

ARTICULUS PRIMUS.

De civitatum origine & cauſis, ſtructura & ſummi imperii partibus.

I. CIVITAS eſt *hominum liberorum multitudo juris conſenſu & utilitatis communione ſociata*. Communem omnium utilitatem regiminis civilis finem eſſe inter omnes convenit & ad tuendam cujuſque libertatem, potius quam minuendam, inſtitutum eſſe. Hincque manifeſte abeſt a civili ratione omnis tyrannis ſeu arbitraria & deſpotica poteſtas: hoc non tantum populi omnes contendunt, ſed & ipſi reges gloriantur ſe Dei loco conſtitutos in terris ob nullum alium finem, quam ad tuenda cujuſque jura & communem procurandam felicitatem.

II. Homines eſſe ad ſocietatem civilem natos colligimus, ex eo, quod innumeris commodis frui non poſſint extra illum ſtatum, & quod ſtatus naturæ incommoda quædam intolerabilia ad civilem cœtum eos quodammodo cogant.

Incommoda vero ſtatus naturæ tria præſertim ſunt: primum quod in illo ſtatu nulla ſit regula juris fixa & flecti neſcia, quam omnes admittant & ad quam omnium jura & actiones expendi poſſint. Nam etſi prima morum principia & immediatas concluſiones ſatis aperte declaret naturæ vox, tamen quamplurimæ ſunt quæſtiones circa bonorum proprietatem & mutuos contractus ſubobſcuræ. Et præterea illæ etiam morum regulæ, quæ hominibus ſatis obviæ ſunt, invidis, corruptis, evidentes non videntur: hincque lites & jurgia innumera extitiſſent. Secundum eſt, quod in ſtatu naturæ arbiter & judex nullus communis ſit, qui abſque gratia & cum authoritate dijudicet: cujus defectum cum quiſque in eo ſtatu, vel cupiditatibus & avaritia occœcatur, vel ulciſcendi libidine arreptus, ſuppleat: hinc bella perpetua inter privatos, eorumque ſocios & amicos. Tertium eſt, quod nulla ſit in illo ſtatu potentia par exequendæ arbitrorum ſententiæ & coercendæ improborum violentiæ: hine injuriæ perpetuæ.

Commmoda vero confœderationis, præter communem legem, communem judicem, communem potentiam legis & ſententiæ judicis executricem & ex his naſcentem pacem & ſecuritatem interiorem, ſunt cultus religioſi major uniformitas & majeſtas, ſcientiæ omnes atque artes, commercia, ſecuritas ab externis hoſtibus, aliaque innumera bona quæ ſtatim occurrent ei, qui barbararum nationum ſtatum contulerit cum earum ſtatu quæ ſunt ad civilem cultum deductæ. Propter has rationes recte revocatur conſtitutio civilis ad legem naturæ; quæ etiam cum Dei lex ſit, merito cenſentur etiam hoc ſenſu civitates *Dei ordinatione* conſtitutæ, & ſuprema poteſtas *divino jure* imperare.

III. Cum hanc habeant civitates confirmationem ex ratione, quæ civitates jam conſtitutas ſervare jubet, & ubi nondum ſunt conſtitutæ, condere ſuadet; parum refert quænam fuerit civitatum origo accidentalis ſeu occaſio. Quibuſdam originem ſine dubio dederunt ambitioſorum hominum artes & aperta violentia: male tamen in hoc fundamento poneretur legitima authoritas, quæ ex ſola vi, quamdiu injuſta eſt, nunquam poterit exurgere. Aliis originem dedit parentalis poteſtas, cum in opulentioris & potentioris patris familias domum multi inopes aut omni adverſus improbos præſidio carentes concederent: at quamvis patresfamilias aucta in immenſum domo Reges extiterint, nihilominus poteſtas regia a parentali maxime diſtat; neque ex ea directe jus ſupremæ poteſtatis derivari poteſt, quamvis illius imago & exemplar quoddam ſit. Aliarum cauſa extitit libera electio multitudinis, quæ admirata alicujus viri præclaras virtutes, bonitatem, juſtitiam, fortitudinem, ſibi melius con-

ſulere

fulere non posse putavit, quam si illius regimini, se, fortunasque suas committerent. Tandem plerisque absque dubio originem dedit familiarum confœderatio, inita ad potentioris alicujus familiæ coercendam licentiam, frangendamque potentiam.

IV. Civitas personæ unius rationem habet, cui jura competunt ab omni privatorum jure disjuncta; quin & obligationibus, quibus tenetur nemo privatus, adstringitur: rerumque omnium administrationem certis hominibus aut conciliis committit. Inter diversas istiusmodi civitates, idem fere jus, eædem leges naturales, quæ inter singulos in primæva libertate, vigebunt; eadem aut iis simillima sunt civitatum jura perfecta, eadem debentur mutuo officia humana; similis est pactorum obligatio; idem se suaque per vim defendendi jus: eadem denique inter se ratio est omnium civitatum, quæ non sub vicinæ cujuspiam ditione tenentur, sive eæ majores sint, sive minores; quocumque demum nomine vocentur, sive humili sive glorioso. Ideo facili nominum & personarum mutatione, *jus naturale privatum* fit jus fere omne *publicum*, cujus necessaria est obligatio. Est aliud jus publicum *voluntarium*, de quo alias.

Potestatis, quæ ad civitatem regendam exigitur, partes, aut *summi* jura *imperii*, sunt vel *majora* vel *minora*. Majora intra civitatis fines exequenda, *immanentia* a quibusdam appellantur: quæ exteros respiciunt, *transeuntia* dicuntur. Prioris generis sunt 1. Jus legum jubendarum, quibus civium actiones sunt regendæ & singulorum jura tuenda, legum naturalium habita semper ratione ex quo natum est jus *civile*. 2. Jus *exigendi tributa*, quæ prudens exegerit reipublicæ administratio quod jus in priori continetur. *Tributa* dixerunt Romani, quæ a civibus persolvebantur: *vectigalia* quæ a provinciis subactis. Ex quibus omnibus, quæ ad principum familias sustinendas destinantur, *res fisci* dicuntur; quæ vero in reipublicæ usus impendenda sunt, ad *ærarium* deferuntur. In priores principibus electione nova creatis, jus est quasi *usufructuariis*; in regnis hæreditariis vero, jus regis idem fere quod *feudatarii*: neutris licet privatis suis debitis imperii successores onerare. Ærarii autem in reipublicæ usus administratio sola rectoribus quibusvis commissa intelligitur. 3. est, jus legum exequendarum, quæ executiva dicitur potestas jurisdictionem omnem continens ad lites dirimendas, & jus magistratus creandi & ministros ad rempublicam administrandam & tributa exigenda.

Jura *transeuntia* ad hæc reducuntur capita. 1. *Jus belli*, quod in se omne belli gerendi arbitrium continet, in militibus conscribendis, ducibusque sive summis, sive inferioribus constituendis. 2. Jus *fœderum faciendorum*, cui connexum est jus legatos mittendi ad fœdera, quæ aut pacem reducant aut commercia conservent, transigenda.

Ab his diversum est, *jus imperii eminens*, quo in casibus gravioribus & insolitis recte utuntur imperatores, invadentes ea civium jura, quæ libero quovis tempore, sunt iisdem sanctissime conservanda; quamdam, exempli causa, rei familiaris partem, aut operas cum summo conjunctas periculo exigentes, ultra quam alias præstare tenentur. Huic imperatorum juri respondent in statu naturæ insolita ea quæ premente necessitate oriuntur jura. Minora imperii jura hæc sunt; dignitates civiles tribuendi, nummos cudendi, nundinas feriasque permittendi, liberos sublata natalium infamia legitimos reddendi, universitates constituendi, ætatis veniam largiendi, pœnas remittendi, debitoribus inducias dandi, & id genus alia.

V. Summum in civitate imperium is homo aut plurium concilium habere censetur, qui majora jura, vel omnia, vel pleraque, suo arbitratu exequi potest: neque alterius, aut hominis, aut concilii, potestati ita subjicitur, ut ejus voluntate ipsius actus fieri possint irriti. Summam sæpe habet potestatem, qui non habet infinitam, nullisve limitibus circumscriptam; immo qui ne vel perpetuam; neque imperio successuros designare, aut leges quibus civitas erat fundata immutare potest. Sum-

Summus ille erit imperator, cui præcipuæ civilis potestatis partes permittuntur, suo arbitratu intra certos fines in reipublicæ utilitate exercendæ: qui neque alterius jussu, aut mandato subinde interposito, civitatem regit; cujusque actus, intra potestatis sibi permissæ fines, a nullius consensu vim sortiuntur.

In omni civitate, summa alicubi reperitur potestas, quæ *majestas* dicitur, vel apud Regem, vel Senatum, vel Populum. Neque eam imminuunt cum exteris inita fœdera, quamvis incommoda, nisi majora civitati ipsi adimant imperii jura, aut prohibeant ne sui juris *persona*, quæ dicitur, *politica* maneat.

Si quidem pluribus civitatibus hoc quacumque de causa eveniat, ut uni concilio perpetuo, quarumdam imperii partium concedatur administratio; illæ civitatum *systema* constituunt: quales ex noto apud antiquos exemplo, civitates dicuntur *achaicæ*. In unam autem civitatem plures tum demum coalescere censentur & unam gerere personam, quum uni homini aut uni concilio, aut iisdem vel hominibus vel conciliis, permittuntur omnes potestatis partes majores administrandæ.

ARTICULUS SECUNDUS

De variis civitatum formis.

I. CIVITATUM formæ aliæ simplices, aliæ mixtæ. Simplicium tres sunt.

Primo. Monarchia, ubi omnes imperii partes uni homini committuntur. Quæ vel est *absoluta* & interminata, quando scilicet unius prudentiæ tota permittitur reipublicæ administratio, nullis positis limitibus, præter eos quos exigunt politiæ omnis natura & fines: vel est *terminata*, ubi imperium Monarchiæ circumscribitur certis terminis, per ipsas leges, quibus civitas fundatur, seu per ipsam civitatis constitutionem. Utriusque generis Monarchæ vel jure hæreditario succedunt, vel a populo creantur: idque vel in perpetui imperii jus, vel temporarii.

Secundo. *Aristocratica*, ubi concilio *optimatum* imperii omnes partes permittuntur. Quæ etiam vel est *absoluta* & infinita; vel *terminata* & lege circumscripta: *hæreditaria* aut creationibus novis reficienda: *perpetua* aut *temporaria*. In hac temporaria, pro certo tempore suffragii jure gaudent Senatores; quo peracto sufficiuntur in eorum locum alii: quod si populi suffragiis fiat, & quisque civis ad petitionem æquo jure admittatur, concilium videtur *democraticum*: sin per cooptationem reficiatur Senatus, aut optimatibus solis petere liceat, aristocraticum. Si ex censu majori petendis jus oriatur, proprie *oligarchicum* dicitur; aut ubi agrorum quorumdam Domini, eo ipso fiunt Senatores. Ubi vero hi soli, qui honoribus functi gratiam fidemque consecuti sunt, creari possunt; *excellens* quædam *Aristocratia* aut *Politia* dicitur.

Tertio. *Democratia* est, ubi omnes imperii partes permittuntur concilio ex omnibus civibus, aut honestioribus ad rempublicam procurandam delegatis conflato. Conciliorum popularium diversa sunt genera. Comitia *Curiata* & *centuriata* duorum exhibent exempla in republica Romana. In illis suffragii pari jure utebantur cives omnes; in his pro ratione census; quæ idcirco dicebantur *Timocratica*. Sorte etiam apud quosdam populos definiebatur, quibus dandum esset in comitiis suffragii jus. Apud alios ex tribubus & curiis diversis, quibus distinctus fuerat populus, eligebantur ad rem communem gerendam delegati, qui concilium constituerent populare.

Concilium autem omne id voluisse censetur, quod pluribus placuit; nisi lege aut decreto quodam cautum sit, quota concilii pars rerum publicarum administrationi sit necessaria. Præcavenda etiam fallacia satis nota, semperque metuenda ubi quæstio tripartita vel quadripartita decidenda est: quod scilicet incidere possit, ut eam sententiam, quæ longe pluribus displicet, comprobent tamen plures, quam qui reliquarum unam ullam: quod fiet quæstione vel ad bimembres duas reducta; vel membro uno aut altero, suffragiis de eo prius latis, excluso. Hoc etiam in magistratibus, ubi plures sunt petitores, creandis

dis observandum. Leges hæ in Democratia, quæ spectant jus suffragii & modum ferendi suffragia sunt fundamentales, haud minus, quam quæ in Monarchia successionem ad imperium definiunt.

Mixtarum formarum ingens est numerus, prout variæ imperii partes vel regi & senatui, vel regi & concilio populari, vel Senatui & Concilio populari, vel simul omnibus tribus permittuntur. In hisce civitatibus intervenire debet aliquis *imperii nexus*, ne administrationis partes in omnia contraria abire possint: ne scilicet rex inconsulto aut invito Concilio vel Senatorio vel populari, quidquam gravius moliri queat; nec Concilia, rege inconsulto, vel invito; neve unum Concilium, altero invito.

II. Ut felix sit reipublicæ status, quatuor hisce in omni politia prospiciendum; ut scilicet imperatoribus adsit *prudentia* optima quæque prospiciens; deinde ut adsit *fides*, communi consulens prosperitati; tum ut conservetur *concordia*; denique ut reipublicæ negotia & *celeriter* & *secreto* possint expediri. Ubi de his satis est cautum, non melius communi civitatum prosperitati per politiam consuli poterit: eritque illa politiæ forma præstantior, quæ horum quatuor spem majorem dabit.

Monarchia hæreditaria has habet opportunitates; quod civitatis concordiæ, quod summum bonum est, consulat; & per eam secreto & expedite res geri possint: in Monarchia electiva fortasse de regis prudentia melius cavetur, non item de fide & hujusmodi rege defuncto, seditionibus bellisque civilibus, hoc est, malis maximis janua patebit.

In simplicioribus Aristocratiis hæreditariis de Senatorum prudentia raro, de fine nunquam satis cautum est, neque quidem de concordia, aut expedita & arcana reipublicæ administratione; inter Senatores ad id munus electos, melius de prudentia & fide, parum vero de concordia; aut negotiis celeriter ex secreto gerendis, caveri poterit. Quo numerosior fuerit Aristocratia & ad Democratiam accedens, eo felicior.

In Concilio populari fides semper vigebit & tum demum prudentia, ubi vel censui respondet jus suffragii, vel concilium ex honestioribus paucis a populo delegatis constat. Neque tamen inter hos speranda concordia aut expedita & arcana reipublicæ administratio. In hujusmodi Conciliis per tabellas optime feruntur suffragia: sic enim non metuendæ erunt potentiorum offensiones, neque suffragia largitionibus corrumpere in promptu erit. Atque licet pudore sublato, locus sit gratiæ, odio & invidiæ; his tamen rarius, nisi ob justam causam, populi pars major incitabitur. Sin autem sors aliqua ex parte immisceatur, omnis excludi poterit largitio; gratiæque, odio aut invidiæ grassanti sæpe obstruetur iter. Sola tamen forte res decidere graviores, aut magistratus, delegatosve designare, parum erit tutum; quum sorti nulla sit prudentia, rerumque judicium.

Inter formas mixtas perfectissima habetur ea, quæ tres simplices complectitur. In omnibus rebus humanis sunt mixta commodis incommoda; at subductis utrinque omnibus, sunt tum ratione, tum experientia magis confirmatæ Monarchiæ, supra omnes alias formas, opportunitates: neque magna imperia aliter administrari possunt.

ARTICULUS TERTIUS.

De imperantium in legibus condendis & jurisdictione muneribus, atque officiis civium erga imperantes.

I. INTER imperii jura immanentia est legum jubendarum & administrandarum potestas.

Ante omnia fovenda est omni arte & industria sincera in Deum pietas: hæc continent felicitatem cujusque privatam, alias omnes virtutes fovet, immo sine ea nulla vigebunt officia vel naturalia vel civilia.

Deinde cum omnis civitas instituta sit, ut a corporibus & a possessionibus injuriæ absint; & commodissime vivi possit, sub legum & magistratuum imperio: manifestum est omnem legem spectare debere

totius

totius communis utilitatem; legibusque ea omnia sancienda esse, quæ communi inserviunt prosperitati. Ideoque legibus civilibus imprimis sancienda & confirmanda sunt justitiæ officia, de quibus supra; eaque omnia definienda, quæ lege naturali non satis definiuntur; ac de negotiis & actionibus formulæ constituendæ ad fraudes præcavendas aptissimæ.

Deinde post justitiam nulla res magis civitati necessaria est quam temperantia qua non solum libidines corporis voluptatem respicientes cohibentur, verum omnis luxuria, sumptusque nimii in vitæ ornatum & splendorem erogandi. Hæc pestis florentissimas civitates, in quibus omnia efficit venalia, pessumdedit: quippe luxuria cum facultatum sit prodiga, homines facit rerum plurimarum indigentes & avidos, atque ad officia, quæ patriæ aut amicis debentur, quum voluptati repugnant, relinquenda proclives: cives etiam ad patriam vel tyranno vel hosti prodendam incitabit; si quando ea ratione opes in luxum profundendas sibi comparare possint.. Luxuriosis enim omnia venalia. Præterea serpere solet ab optimatibus ad plebeios, atque ipsos opifices; quorum operæ ideirco carius sunt emendæ. Merces igitur nostratum, pretio aucto, cæteri non sunt coempturi, quum vilius veneant, quæ in civitatibus aliis, ubi vigent sobrietas & temperantia, conficiuntur.

Fovenda quoque est legibus diligentia & industria, ex qua sola ferme pendent civitatis cujusque opes & potentia: fovenda est agricultura, nequid ad populum alendum, de civitatis opibus decedat; utque fruges suppetant & frumentum exteris vendendum; nostratibusque materies omnis, in qua elaborent opifices; quæ alioqui ab aliis esset emenda. Fovendæ pariter omnes artes & simpliciores & elegantiores, ne exterorum operis & opificiis emendis civitatis opes dilabantur. Exercenda etiam mercatura & piscatus, ubi ejusdem est copia; quin & mercibus, sive nostris sive alienis, vehendis construendæ naves; artes nauticæ addiscendæ, quæ & divitiis augendis inserviunt & civitati in bello protegendæ. Cavebunt leges ne hisce omnibus suus desit honos & præmium. Fovendæ & scientiæ & litteræ humaniores, quæ quantum ad mansuetudinem morum & humanitatem conferant, atque augendam apud cæteras nationes ac posteros gentis gloriam dici non potest.

Tandem fovenda est legibus civium fortitudo & omnis militaris scientia, efficiendumque ut quantum fieri poterit plures ex plebe armis ferendis sint assueti & inter nobiles rei bellicæ habeant scientiam, ut deleto uno exercitu non deficiat alter, aut deletis imperatoribus, plures præsto sint eidem muneri aptissimi.

Sunt ad hæc omnia præstanda necessariæ leges per quas imponantur tributa; quę si majora non sunt quam civitatis tutela & optima conservatio exigit, justissimo innituntur fundamento: tributa autem nisi instituto civium censu æqua ratione imperari nequeunt.

II. Executivæ potestatis officia sunt. 1. Legum accuratæ executioni invigilare. Sed quoniam summum jus est summa injuria, id fiet cum *æquitate*: est enim æquitas legis correctio & emendatio, ubi verba legum causis non sunt adæquata, seu magis vel minus quam par est universalia. Poterit etiam executiva potestas a legis sanctione aut etiam præcepto dispensare: modo tali dispensatione communi consulatur utilitati, legumque conservetur vis & majestas. At a præcepti justi vinculo immunitas ægerrime concedenda. 2. Cavebit executiva potestas, ut ii rectores præficiantur populo ad jurisdictionem vel militiæ ad belligerandum, qui prudentia, fide & fortitudine excellunt. 3. Civibus & militibus præmia atque pœnas juste distribuet. Commune est legum civilium præmium frui omni jure & beneficiis civium: at alia quibusdam propria sunt præmia, honores, dignitates, divitiæ. Honor alius est naturalis alius civilis. *Naturalis* est aliorum bona de nobis ob præstantiam nostram opinio. Honores *civiles* sunt, ea cultus & observantiæ indicia, quæ viris claris ex legum præscripto exhibentur. *Existimatio* autem *simplex sive viri innocui & hominum societate non indigni fama*, nemini a reipublicæ rectoribus indicta causa est eripienda. *Existimatio eximia*, quæ a quibus-

dam *intensiva* dicitur, a nemine jure pleno exigi potest: nemo enim ad alterius voluntatem judicare aut magni eos æstimare potest in quibus non cernit virtutes eximias. De externis vero honoris indiciis, ut de omni jure quod res externas spectat, eorum est definire qui reipublicæ præsunt, & eorum officium est eosdem honores civiles justis tantum de causis largiri: alias non solum injusti sunt, sed honores ipsi vilescunt.

Pœnæ omnes hæc spectant, ut, improbis earum metu ab injuriis absterritis, cæteri tuto vitam degant: *castigatio*, ad ejus simul qui delictum admiserat utilitatem pertinet: *damni reparatio*, læsi commoda spectat. 1. Non ex odio aut ira, neque ex ea indignatione quam in proborum animis excitat delicti turpitudo, pœnæ sunt præcipue irrogandæ; sed ex communis potius utilitatis conservandæ studio & innocuorum cura. Unica igitur pœnarum mensura non est ipsa delicti turpitudo (cujus æstimandæ rationem supra exposuimus) sed communis potius omnium utilitas ex pœnis oritura. Impunita igitur & inulta recte manent delicta quædam turpissima. Contra, ea quæ non adeo magnam ingenii pravitatem produnt, gravioribus suppliciis recte coercentur, si aliter salva nequit esse civitas: ingratis & humanis nulla irrogatur pœna: severius puniuntur, qui majestatis crimen, licet sub fallaci juris specie admiserunt: severius etiam puniuntur scelera quæ sunt in civitate frequentiora, aut ad quæ facilitas perpetrandi allicere possit. Quo minus naturaliter tuti sunt ex aliqua parte cives, eo lege magis custodiendi: sic severiores sunt leges aliquæ contra furta nocturna, quam diurna; quia lex quodammodo pro civibus excubias agit. 2. Absit a judiciis omnis personarum acceptio, quæ respicit fontium necessitudines, aut facinorum adjuncta & qualitates eas, quæ neque turpitudinem delicti, neque pœnæ sensum, communemve utilitatem afficiunt. At si horum quodvis afficiant hominum vel facinorum qualitates vel adjuncta, ea omnino spectanda. Unde, cæteris paribus, pro reorum censu augendæ sunt pœnæ pecuniariæ; & pro corporis robore, pœnæ quæ corpore luuntur: pœnæ contra cum infamia conjunctæ pro majori reorum dignitate sunt minuendæ. 3. Ob delictum alienum nemo pœnis est obnoxius: neque ob patrisfamilias delictum recte publicatur tota res familiaris: ex ea prius præstanda omnia, quæ jure suo natura, pactove constituto postulare possunt conjux & liberi & alii innoxii. Vide *Gr. l.2.c.20.*

III. Civium adversus rectores suos hæc sunt officia. Primo. Rectorum justis & legibus & imperiis parere tenentur, idque sanctissime. Secundo. Quum quod imperatum est in imperantis continebatur potestate, civibus plerumque parendum est, quamvis non satis honeste & prudenter imperatum judicent: quod in bellicis præcipue patet imperiis. Si enim civibus permittatur de imperiis judicium; neque ipsis parendum foret, quoties mandata civitati parum commoda videntur, tolleretur omnis disciplina militaris, & in multitudinem solutam & inconditam exercitus converteretur. Tertio. Hinc etiam efficitur, quod in iis rebus quæ imperantium arbitrio permittuntur, cives recte, immo honeste, ea imperia exequi possunt, quæ imperatoribus fœdo vertenda sunt vitio; quum ruptis disciplinæ vinculis, mala multo graviora plerumque sint metuenda, quam quæ ex imperatis peractis essent oritura. Quarto: quamvis nefaria & pestifera imperia, quibus divina majestas impie læditur aut ejus leges violantur, exequi non possint cives; propterea quod obediendum sit Deo magis quam hominibus; tamen sedulo cavendum ne temere iis de rebus judicent, neque illa recte detrectabunt subditi nisi omnis absit dubitatio.

ARTICULUS QUARTUS.

De fœderativæ potestatis juribus, limitibus & regulis.

BELLI, pacis & fœderum jura, ad fœderativam pertinent potestatem; transeuntia vulgo dicuntur, quia exteros fere spectant.

De jure belli.

I. *Belli* jura præcipua supra satis explicavimus, ubi de privatorum bellis agebamus;

bemus, monstratis eorum causis & terminis: quæ ferme omnia conveniunt bellis civitatum, quæ libertatis statum inter se conservant, qualem inter homines singulos ipsa natura constituit. Pauca igitur hic solummodo addemus.

Bellum aliud solemne & justum est, quod eorum jussu, quorum summa est utrinque potestas, susceptum est. Aliud civile, quando inter ejusdem civitatis partes dimicatur. Quidam viri docti & graves sequentes jus romanorum fœciale decreverunt bellum, ut justum sit, semper esse indicendum: quod sine dubio populo cultiore plerumque dignum est: nam cum per vim decertare præter naturam sit, boni principis est palam facere se alia ratione jura sua tueri aut prosequi non potuisse. At ab eo, qui se contra vim defendit illatam, haud necessario bellum prius indicitur; neque quidem semper ab eo qui vim infert: quoties scilicet res subito est gerenda, neque bellum prius indici poterat nisi omissa rei bene gerendæ occasione commodissima (*Vide Gr. l.1. c.3.*).

Belli jura, vel eos inter quos bellum geritur, vel vicinos neutri parti se adjicientes spectant. Generatim, *quæ recta ratio monstrat in communem utilitatem necessario esse observanda*, ea dicuntur *juris* esse *publici & necessarii*. *Quæ vero in morem vetustas gentium consensu, & approbatione perduxit;* ea sunt *juris gentium voluntarii*. Hæc aliis moribus mutari, aut significatione prius facta ab uno belligerantum tolli possunt.

II. Quæ belli causæ sunt justæ ex dictis supra patet. Generatim in bellis publicis iidem sunt petendi fines & eadem justa initia, sive *termini a quo*, & *ad quem*, quæ in bellis privatis.

Primo. Tenentur gentes pace utentes, cives suos omnes a latrociniis, aut injuriis quibuslibet, vicinis inferendis, coercere: aut si quem vicinæ gentis civem læserint, eos cogere, ut damnum a se datum reparent. De civibus loquimur, qui non prædonum more vitam exuere civilem.

Secundo. Rebus repetitis neque redditis, civitas læsa jure bellum movet; res suas aut civium suorum, apud hostem detentas, jure occupat: cujus si non sit copia, damni pensationem ab iis qui damnum dederant, vel ab ipsa exigit civitate, quæ eos defendendo, iisve receptum præbendo, in se crimen derivavit. Hæc omnia multo magis, si publico consilio injuria fuit illata.

Tertio. Ubi civitatis iniquæ bona publica occupandi deest copia; civium hostilium bona privata, civitas læsa jure occupabit, donec omne damnum ab injuria ortum sit pensatum. Quum enim in civium omnium utilitatem civitas fuit constituta, civilisque imperantibus tributa potestas; tenentur cives ea præstare damna, quæ ex eo orta sunt præsidio, quod utilitatis suæ causa sibi adsciverunt imperantes; ut si civitatum rectores prædones protegendo eos ad injurias inferendas incitant.

Quarto. Qui vero cives insontes damna hæc ex causa publica perferunt, jure a suis imperatoribus hoc exigunt, ut publice hæc ipsis præstentur, aut ex eorum bonis qui sua culpa damnis causas præbuerunt. Æquius quidem foret & facilius, si civium hostilium bona capta pignoris in modum detinerentur, donec læsæ civitati aliunde fieret compensatio; eaque publice facta, tum demum sua privatis restituerentur; mos tamen invaluit diversus: captæ res mobiles dominos omnino mutasse censentur, ubi primum in hostium delatæ præsidia, vel ei qui eas ceperat, vel civitati fuerint adjudicatæ; ita ut postea receptæ, a priori domino postliminii jure vindicari nequeant: neque ulli in posterum vindiciarum liti pateant, postquam specioso quovis titulo acquisitæ, intra civitatis non hostilis fines pervenerunt.

III. Quæ civitates medias; neutri bellantium palam faventes spectant jura, breviter attingemus.

Primo. Vicina quævis civitas, de auxiliis alterutri præbendis fœdere nullo devincta, vicinorum bellis neque invita implicari, neque ex iis damna pati debet.

Secundo. Si fœdere de auxiliis mittendis utrique adstringatur media civitas, vel neutri mittenda auxilia, vel si malit, illi cujus causa sibi justa videtur; & tum demum bello se immiscebit. Istiusmodi

enim fœdera tunc modo obligant, quum bello subest causa justa; neque paciscentium quemquam ad bellum iis, quibus priore fœdere publico devincti erant, inferendum astringunt.

Tertio. Res mobiles ab utravis parte captas & abjudicatas, jure emit aut alio quovis titulo legitimo sibi comparat civitas media: neque eas domini priores jure vindicabunt. Ad mediam civitatem ejusque cives non attinet judicare, quo jure res captæ fuerant. Sæpenumero ne vel norunt quod istæ res venales prædæ pars fuerant.

Quarto. Rerum immobilium alia longe ratio: eas civitati sibi non inimicæ fuisse ereptas, mediam civitatem latere nequit: sua autem emptione domini prioris jus, ad eas per vim recipiendas, præcluderetur. Quæ quidem urbi cuivis, castello aut prædio, debebantur a vicinis servitutes reales, aut pensiones annuæ, illæ novo possessori postulanti jure præstentur: idque denegare tacitum in se haberet contra causam ejus judicium: quæque hujusmodi novo possessori præstita fuerint, ea antiquus dominus, rebus suis immobilibus receptis, repetere nequit. Nullo tamen jure novus possessor, nisi bello finito, ipsas servitutes in perpetuum abolere, aut sortem debitam remittere potest, ita ut domini prioris, rebus suis receptis, jus tollatur.

Quinto. Quidquid eorum, qui bellum gerunt, uni, ex civitate media concessum fuerit, idem alteri concedendum; sive uni concesserit, ut milites ex suis civibus conscribat; sive copias suas militares eidem conducendas præbuerit; sive armis militaribus aut commeatibus supportatis adjuverit; ea omnia alteri etiam facienda. Arma quidem hostium alterutri vendere, aut commeatum etiam in urbem aliquam aut regionem armis obsessam invehere, civitatibus mediis negatur, nisi bello se immiscere velint.

Sexto. Civitas media, neutiquam prohibenda, ne cum earum utraque quæ bellum inter se gerunt commercia exerceat, nisi forte armis & apparatu bellico invehendo. Utrique naves oneratas locare & ex earum mercibus vehendis justum sibi lucrum captare potest. Quod cum sit, hostium merces, non vero ipsæ civitatis mediæ naves, jure capi possunt & publicari. Civitas etiam media eorum naves, inter quos bellum geritur, ad merces suas vehendas conducere potest: quæ naves si ab hoste capiantur, jure publicantur, non vero mediæ civitatis merces. Neque pignoris jus quodvis aut hypothecæ, in res captas olim constitutum, amittit civitas media.

Septimo. Merito etiam receptum est, ut neutri, intra mediæ civitatis fines, hostibus suis vim inferre liceat, homines ipsos eorumve naves aut merces capiendo aut perdendo. Porrigi autem censentur civitatis cujusque fines, non solum ad portus, sed etiam ad maris sinus intra agros ejus recedentes & littora, partesque maris propinquiores, unde aut ipsi ab hostibus aut hostes ab ipsis, tormentis bellicis lædi possint. Si enim bellantibus intra mediæ civitatis fines sibi invicem vim inferre liceret; bellum alienum in civitatem mediam, non sine plurimis incommodis & periculis transferretur: omniaque interea cum bellantium utroque commercia penitus tollerentur.

Octavo. Quod ad perfugas attinet: bellantium neutri permittitur, ut intra mediæ civitatis fines, imperium aut jurisdictionem cum vi conjunctam in cives proprios exerceat, nisi potestate prius a media civitate impetrata. Homines quidem atrociorum scelerum rei, minime in media civitate protegendi; sed capti, suis ad supplicium sunt tradendi. Qui vero milites ab utravis ad mediam confugerint civitatem, aut qui religionis ergo, aut ob simultates civiles patria sunt profugi; de iis invaluit mos, idemque humanissimus, ut tutum in omni civitate vicina receptum habeant & protegantur; dummodo nihil hostile contra suæ civitatis rectores illic moliantur.

De fœderibus & legatis.

I. Bella *fœderum* ope plerumque componuntur, quorum jura præcipua de singulorum pactis agentes supra docuimus. In fœderibus vero pacem reducentibus, vis & metus exceptioni vix est locus: alioquin controversiæ veteres, quæ bellis cau-

causam dederant, semper renasci possent. Valebit tamen ea exceptio, quoties illata fuerit vis aperte iniquissima, nulla juris specie innixa, aut ubi pacis leges impositæ ab omni æquitate & humanitate abhorrent. Quod ubi evenerit, ad arbitros provocare licebit: parte vero altera id detrectante, non aliud perfugium restabit, quam ut utraque pro se judicet, quantumque fieri potest, sibi consulat.

Fœdera sunt vel *realia*, vel *personalia*, hæc rarius ineuntur & ipsos civitatum rectores præcipue spectant, ac cum illis intereunt: realia populum spectant, qui sensu quodam immortalis dici potest. Sunt etiam fœdera vel *æqualia* vel *inæqualia*: nec omnia fœdera inæqualia populi majestatem imminuunt, nisi auferant majora imperii jura, efficiantque ut civitatis persona politica sui juris non sit.

Ad fœdera firmanda dabantur olim obsides. Qui mos ideo exolevisse videtur, quod haud sine summa morum sævitia & immanitate, obsides immeriti durius tractari poterant, ubi suæ civitatis perfidia violatum esset fœdus.

II. In fœderibus faciendis adhibentur legati aut internuntii, qui omnes quibuscumque nominibus sint insignes, eodem utuntur jure naturali, quum ad liberæ civitatis negotia obeunda veniunt. Legatos sanctos habendos antea dictum. Jure etiam postulant, ut apud eos, ad quos mittuntur, mandata exponant: ut etiam iis petentibus ibidem commorari concedatur humanitas quidem suaderet, pleno tamen jure non est postulandum; cum legati præsertim solertiores speculatorum munere sæpius fungi soleant: dumque commorantur, eo solo proteguntur jure *naturali* & *necessario*, quo & inquilini.

Jure autem *publico* & *voluntario* plurimas habent immunitates & beneficia, & ipsi legati, & omnis eorum comitatus necessarius. Quæ omnia tamen, vicinis mature præmonitis, civitas quævis sine injuria immutare poterit.

Primo hoc imprimis receptum, quod legatus in forum alienum non sit vocandus, eidemque, cui antea, jurisdictioni obnoxius sit. Quod hoc consilio institutum videtur, quod quo vigilantius munere suo fungitur legatus, eo magis civitatis ubi commoratur populo suspectus erit & invisus; ideoque si illic causam dicere cogeretur, metus esset, ne coram judicibus minus æquis agendum foret. Sibi caveant igitur isti cives, neque cum legato inter ipsos commorante, quem in jus vocare nequeunt, contractus ineant: at si quid gravius admiserit legatus, domum est remittendus, bellumque, si opus fuerit, Regi populove a quo missus fuerat, indicendum, nisi illi irrogentur pœnæ aut omne a se illatum damnum præstare cogatur. Ubi quidem mercaturæ se immiscuit legatus, merces civitati ubi commoratur subjiciuntur, nisi legationi obeundæ sint necessariæ.

Secundo: legato ipsiusque comitibus necessariis, (quorum numerum & nomina rogatus exhibere tenetur) asylum præstat ipsius domus. Magistratuum tamen ibidem in cives suos, aut inquilinos alios, potestatem imminuere nequit, iisdem etiam præstando asylum. Quantus autem cum legato admittendus sit comitatus, civitatis ubi commoraturus est judicio permittendum.

Tertio: legato in suos jus idem est, quod patrifamilias, aut quantum in eorum litibus privatis ipsi sua dederat civitas: supplicii vero gravioris suis infligendi jus nisi civitatis ubi commoratur permissu, sibi arrogare nequit legatus, nec ipse quidem Rex in aliena civitate degens.

Quarto: quamvis legatos pœnis plectere nullus possit; licet tamen cuique vim vi repellere.

Quinto: exulem quempiam aut perfugam facinorosum Legatum accipere, nulla tenetur civitas; cum tamen jure neque in vincula conjiciet, neque ad supplicium detinebit.

Sexto: quales Legatis honores sint deferendi, & quinam præstantiores habendi, solis civitatum pactis est definiendum.

De dissolutione vinculi civilis & Reipublicæ interitu.

I. De civili vinculo solvendo hæc breviter monenda, primo civilem nexum perpetuo solvi exilio, non vero temporario, neque relegatione quamvis perpetua: secundo

cundo nemini jus esse plenum, civitatem suam ipsa inconsulta deserendi, nisi legibus permittatur: tertio ubi per vim externam vel factionem contra legitimam authoritatem præpotentem immutata fuerit Reipublicæ forma, civibus dissentientibus saluti suæ alibi gentium melius consulere licebit: quarto in melius mutata Republica, eam nulla juris specie cives deserere possunt: quinto utcumque ab ipsius civibus immutetur Reipublicæ forma, manent omnia cum externis inita fœdera *realia*.

II. De civitatum interitu hæc vera videntur. Primo civitate penitus devicta, civibus quibusvis, provinciis item, sibi quantum possunt prospicere licet; sive alii se adjungere velint civitati, sive novam sibi in Provincia constituere. Civium quidem est pro Patria omnia subire pericula, neque temere de ejus salute spem deponere, si tamen fat Patriæ sit datum, neque tamen defendi possit, jure qua ratione possunt sibi, suisque prospiciunt. Secundo si quo casu insperato reviviscat civitas, quæ aliquandiu extincta jacebat, ei se adjungere tenentur cives omnes & provinciæ, nisi interea novo atque æquo fœdere teneantur. Quæ autem fœdera a civibus dissipatis aut a Provinciis, bona fide, dum antiqua civitas extincta fuit, cum exteris inita sunt, eorum firma manebit obligatio. Tertio quæ diu deleta fuit civitas, civitati victrici in Provinciæ modum subjecta, omnia amisit in cives profugos aut Provincias suas jura. Neque si in iisdem finibus, qui in civitate antiqua occupabantur, nova constituatur, ea prioris jura sibi arrogare poterit. Diversæ sæpe civitates populique, temporibus diversis, eosdem occupant agros; agrisque mutatis, eadem manet civitas; immo cum vel nullos prorsus habeat.

Manente civitate unus omnium debet esse animus, omnia pro Patria & facere & pati, quæ antiquissimæ sanctissimæque civitatis, qua continetur universum humanum genus, cujusque rector & parens est Deus, legibus non adversantur. *Cari sunt liberi, cari sunt conjuges, parentes, propinqui, amici, familiares, omnes tamen omnium caritates Patria una complexa est, pro qua vir bonus non dubitabit mortem oppetere, si ei sit profuturus.*

Si in superiori disputatione quidquam nobis incautis exciderit, quod videri possit non satis accuratum vel parum aptum ad fovendam pietatem, id jam revocamus ex animo, & pro non dicto habemus.

SECTIO QUARTA

De Imperfectione & obscuritate Legis Naturalis, & de Revelationis possibilitate, utilitate & necessitate.

In nullo argumento cum majori contentione versari solent Deistæ, quam in commendanda lege naturali, nosque ignaviæ arguunt & inconstantiæ, quod relicta hac simplicissima atque excellentissima vitæ regula vanarum Religionum defensionem suscipiamus. Legem hanc naturæ perfectam esse clamitant; esse illam divini throni assistricem sapientiam, nobis communicatam; ejus tabulas omnium hominum mentibus exhiberi integras, atque in tam perspicua luce, ut *qui percurrit, legerit eas*; ita esse easdem immutabiles, ut alia nulla præcepta illis adjici possint ex positiva Dei institutione: proindeque revelatas leges hoc ipso non solum inutiles esse & supervacaneas, sed omnino impossibiles. Hæc placita præsertim exposita & confirmata sunt ab Authore libri, cui titulus est *Christiana Religio mundo æqualis*, cujus pressit vestigia Scriptor libri non ita pridem in hac urbe editi, qui inscribitur *les Mœurs*. Omnis dictorum librorum doctrina, quantum ad rem nostram præsentem pertinet, ad tres sequentes propositiones commode revocari potest. Prima est: lex naturæ tam perfecta est, ejusque præcepta omnia tam evidentia & omnibus etiam rudibus sunt obvia, ut ad instituendam recte vitam, omnis revelatio inutilis & supervacanea sit, & solummodo ad procreandas lites accommodata: adeoque Revelatio, quamvis esset solumodo promulgatio externa ipsius legis naturalis, est Deo indigna. Secunda est: lex naturæ tam perfecta atque integra est, ut per illam unicuique hominum innotescant omnia officiorum suorum principia; ita ut Revelatione nihil doceri possint, in rebus ad

Religionem & mores pertinentibus, quod ratione non assequantur. Unde sequitur quodcumque supra rationem est, idem esse contra rationem; neque ullis posse homines devinciri officiis, nisi quæ ex præsentis suæ conditionis consideratione ratio detegere valeat. Tertia est: lex naturæ ita est completa & immutabilis, ut illius præceptis nulla adjici possint mandata *positiva*, quæ omnia sunt contraria bono publico & divina constantia indigna: ex qua sequitur Religionem, tum Christianam, tum Judaicam, quæ abundant præceptis positivis, divinas esse non posse & hominibus esse perniciosas. Quas propositiones tribus articulis refellemus. In primo statuemus legem naturalem, qualis inest in plerisque aut etiam in omnibus hominibus, nullo modo sufficere ad instituendos eos perfecte ad Religionem & bonam vitam: ex quo consequetur Revelationem valde expetendam esse, quamvis nihil contineret nisi præcepta naturalia, & esset quædam promulgatio clarior ipsius legis naturę. In secundo efficiemus legem naturalem, qualis per rationem promulgata est, multo minus dici posse perfectam, eo sensu, quod per eam innotescant omnes seu Dei perfectiones, seu inter nos & Deum aliaque entia rationalia relationes; ex quo efficietur supernaturalem dispensationem, quæ nobis aperiat rerum ordinem rationi impervium, quæque nos supernaturalibus devinciat officiis, esse possibilem. In tertio conficiemus legem naturalem non esse illo sensu immutabilem, ut nulla præceptis naturalibus adjici possint mandata positiva, atque hæc præcepta positiva multiplicem habere utilitatem: quæ tria continebunt generalem defensionem Religionis Christianæ, quæ non est tantum promulgatio legis naturæ, sed est essentialiter supernaturalis institutio, officia imponens supernaturalia, vires præbens supernaturales, & ad finem ducens supernaturalem; quæque confirmata est legibus positivis aptis ad honorificentissimum Dei cultum, hominumque sanctificationem.

ARTICULUS PRIMUS.

De summa utilitate Revelationis, quatenus est externa promulgatio legis naturæ.

PER legem naturalem, seu per legem *rationis*, vel intelligitur ratio cujusque hominis propria, seu illa collectio præceptorum, quam apud quemque promulgat propria sua conscientia, aut quam sibi proprio marte potest conficere; & hæc est accuratissima notio legis *rationis* quæ cuique non est lex, nisi quatenus facultatibus naturalibus, & communi institutione innotescit, aut cum morali diligentia innotescere potest. Vel intelligitur per legem *rationis*, ratio exculta Philosophorum excellentissimorum, seu ratio quasi communis generis humani, id est ea collectio præceptorum, quæ in variis ætatibus a diversis Philosophis inventa, videtur posse, doctrina & institutione, aliorum hominum animis inculcari. Negamus legem *rationis* ullo sensu perfectam esse, ut summa non sit & semper fuerit revelationis utilitas, & homines in summa non sint ejus *indigentia*.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex naturalis, quatenus per rationem cuique hominum innotescit, non est par & sufficiens ad eos instituendos perfecte ad Religionem & bonam vitam, ita ut inutilis censeri possit Revelatio.

PROBATIO.

LEGIS cujusque duplex pars est *præceptum*, quo indicatur quid faciendum sit, omittendumve; & *sanctio*, qua imponitur necessitas moralis parendi præcepto: in lege perfecta, utraque pars perfecta esse debet, & ratio cujusque hominis lex perfecta dici nequit, nisi clare de rebus ad Religionem & mores pertinentibus, saltem gravioribus, præcipiat; & ea simul proponat motiva, quæ aptiora sunt ad inclinandos homines ad præstandum legibus naturalibus obsequium. Sed sub neutro respectu ratio cujusque hominis lex perfecta dici potest.

1. Ratio cujusque hominis propria, non est perfecte præceptrix. Id primum apparet ex omnium sæculorum experientia,

tia, qua compertum habemus, nullum unquam omnes ad vitæ optimam institutionem necessarias veritates comprehendisse. Videmus barbaras & efferatas gentes in vitæ ratione parum a belluis abhorrere; atque apud omnes gentes ad civilem cultum deductas, quæ neque Moysem, neque Christum institutorem habuerunt, magna deprehendimus opinionum perversitatem. Etiam inter ipsos Philosophos nullum reperimus, qui universam de Deo & moribus doctrinam complexus, omnia vitæ & religionis præcepta docuerit; immo qui veris falsa non miscuerit. Exempla perversarum apud barbaras & ethnicas gentes opinionum recensere nimis longum foret (*a*). Ex tam constanti experientia concludit Cotta apud Ciceronem l. 3. de Natura Deor. rationem homines ducere non posse ad sapientiam. *Nam si consensu omnium Philosophorum*, ait, *sapientiam nemo assequitur, in summis malis omnes sumus, quibus vos optime consultum a Diis immortalibus dicitis. Nam ut nihil interest utrum nemo valeat, an nemo possit valere. Sic non intelligo quid intersit utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit*. Nos vero non eo usque progredimur, quia ad rem nostram necesse non est; quisque fortasse olim potuit & nunc potest ad sapientiæ & virtutis apicem pervenire; at saltem ex actuali omnium ignorantia & pravitate concludere licet, opem Dei supernaturalem & hominibus valde utilem, & homines in magna ejus *indigentia* extitisse.

Deinde quicunque attendere voluerit ad ingenium, indolemque multitudinis, puto, deprehendet, illam tot tantisque caussis avocari ab investigatione officiorum, ut nulla spes sit illam proprio marte in tali inquisitione multum profecturam. Afferenda est primum non levis attentio & in quærenda veritate sedula diligentia; multa quippe ponderanda sunt, quæ sit natura Dei, quæ hominis conditio, quæ inter seipsum & Deum aliosque homines relationes existant, quæ sit actionum humanarum efficientia, & ex hisce principiis officia religionis & vitæ per seriem quandoque argumentorum difficilem, colligenda sunt. Secundo, afferendum est ad considerationem rerum sanum rectumque judicium, liberum a præjudicatis opinionibus: ut in physicis rebus necesse est perpetuo errare eum, qui falsis imbutus principiis & acri parum præditus ingenio naturalium investigationem tentant: sic in moralibus errores innumeros vitare nunquam poterit, qui officiorum indagationem ratione debili & errori assueta, aut judicio præconceptis opinionibus vitiato, aggreditur. Tertio afferendus animus pacatus & magna constantia; nam quem immoderata rerum terrenarum cura sollicitat, aut æstus abripit cupiditatum, hic parum idoneus est philosophiæ studio. Libido caliginem mentibus offundit; universum statum interiorem immoderata sua vi perturbat; sensus omnes corrumpit; efficitque ut acclinis falsis animus meliora recuset, rationemque velut ingratam præceptricem aut accusatricem inimicam exhorreat.

Atqui hæc omnia ab hominum vulgo nullatenus speranda sunt. Paucissimi sunt, qui ad principia religionis & morum attendunt; qui satis ingeniosi sunt aut satis vacant, ut scientiæ sese dedere possint. Plerique contentionis omnis incapaces res extra sensum positas vix cum præceptore assequi valent. Sed pauciores sunt quibus rectum sit sanumque judicium, & qui bene utantur ratione in inquisitione veritatis. Corrumpunt enim judicium præconceptæ opiniones; quibus omnes ferme homines qui sedula & diligenti institutione caruerunt, ab ipsa pueritia mancipantur, & per totam vitam, quasi ad saxum, adhærescunt. *Simul atque in lucem editi & suscepti sumus*, ut Ciceronis verbis utar, *in omni continuo pravitate & in summa opinionum perversitate versamur; ut pœne cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat ... Cum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister*

[*a*] Vide Sextum Empiricum, Locke de intell. hum. l. 1. Bayle *Lettres sur la Comète & à un Prov. Lettres édifiantes, Voyages, &c.*

gister populus & omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque ipsa desciscimus (a). Denique quam pauci sunt, qui rei familiaris sollicitudine non detineantur, aut perversis cupiditatibus non avocentur ab hac veritatis inquisitione (*b*).

2. Lex naturalis, sumpta pro ratione cujusque hominis propria, non habet sanctiones perfectissimas, seu non proponit hominibus ea motiva, quæ satis potentia sint ad inclinandos homines ad præstandum obsequium præceptis naturalibus. Hoc etiam confirmare possumus omnium temporum experientia :) in quibus omnibus dicere potuit Juvenalis.

Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
Hoc monstrum puero, vel miranti sub aratro
Piscibus inventis, & fœtæ comparo mulæ. Sat. 13.

De hac hominum perversitate conquesti sunt in omni ætate Legislatores, Philosophi, Historici, Poetæ & Oratores. In hac eadem pravitate causæ fuæ arcem posuerunt Athei. Ad frænandam hanc eandem intemperantiam hominum inventæ sunt civitates & leges in ultionem criminum latæ. Videntur ergo satis constare experientia, rationem per se non esse optimam ad virtutem adhortatricem, seu non proponere hominibus motiva apta ad suspendendam vim immoderatam appetitus & causas ad vitium sollicitantes.

Idem constabit, si perpendere voluerimus naturam illarum sanctionum, quæ adjunctæ sunt legi naturali. Etenim inclinamur ad virtutem *sensu morali*, quo percipitur virtutis pulchritudo & fœditas

 vitiis

[*a*] *Rien n' obscurcit tant les idèes de vertu, que la nature avoit gravèes dans nos ames en nous formant, que les faux dogmes & les loix d' Etat, qui sont contraires à la puretè de la loi naturelle. On a trouvè en naissant ces loix toutes ètablies, elles sont munies du sceau respectable de la Religion & de l' autoritè souveraine: le moyen de soupçonner, que ce qu' elles ordonnent soit un crime, ou ce qu' elles dèfendent une vertu? Que de peuples meme policès ont poussès la barbarie par principe de religion jusqu' à immoler des hommes à la Divinitè. Tant que le crime passe pour un attentat contra la police ètablie, il ne tire pas à consequence, & rarement le criminel se croit-il innocent. Mais est-il accreditè par une loi ou par un usage universellement reçu, c' est alors qu' il entame les cœurs par l' endroit le plus important, ne se contentant pas de leur enlever leur innocence, mais ce qui est mille fois pis encore, les rendant incapables de repentir.* Les Mœurs, p. 21. *Nonne hæc olim fuit conditio populorum omnium, & etiamnum eorum quos lux Evangelii non collustravit.*

[*b*] *Il y a, dit l' Auteur des mœurs, dans le cœur deux règions distinctes; l' une est une isle un peu plus qu' à fleur d'eau; l' autre est l' eau meme qui baigne l' isle. La premiere a une surface plane, dure & blanche comme seroit une table du plus beau marbre de Paros. C' est sur cette surface que sont gravès les saints prèceptes de la loi naturelle. Près de ces caractères est un enfant dans une attitude respectueuse, les yeux fixes sur l' inscription, qu' il lit & relit à haute voix : c' est le Gènie de l' isle, on l' appelle l' amour de la vertu. Pour l' eau dont l' isle est environnèe, elle est sujette à de frequens flux & reflux; le plus doux zephir suffit pour l'agiter; elle se trouble, mugit & se gonfle. Alors elle surmonte l' inscription, l' on ne voit plus les caractères, l' on n' entend plus lire le Genie. Mais du sein de l' orange renait bientôt le calme, la surface de l' isle sort du gouffre plus blanche que jamais, le Gènie reprend son emploi.* Utinam ut belle conficta, sic ad veritatem esset hæc imago composita. Suntne ergo mentis tabulis insculpta clare sanctæ legis naturalis præcepta? Vigetne in animis Genius virtutis, ad leges inscriptas attentus, easdemque perpetuo relegens? An ea plerorumque hominum tranquillitas interior est, ut sæpe ne levissima aura passionum animos commoveat? An ullo tempore maxima pars vacat ab ambitione, a cupiditate gloriæ, ab invidia, ab odio, a spiritu vindictæ, ab avaritia & libidine? Unde ergo tanta & tam constans, tam confessa & deplorata ab omnibus plerorumque cœcitas & depravatio?

vitiis; *conscientia delicti*, quæ angit malos, vel *innocentiæ*, quæ remunerat pios ac bonos viros; & *ratione*, qua percipitur felix virtutis ad promovenda nostra commoda efficientia & contraria vitii natura. At 1. sensus moralis honesti & decori, quamvis a nullo prorsus absit, tamen minimam vim in plerisque hominibus habere experimur; in illis solummodo mirabiles sui amores virtus excitat, qui divino munere nati ingenui, optimam sortiti sunt institutionem, qui se cupiditatibus liberos servarunt. Majorem quidem habent vim illi metus naturales & ægritudines, quibus avocamur a vitiis: sed etiam ad hæc naturæ monita, nescio quomodo, obsurdescimus; atque illis terroribus potius pœnas luimus post admissa facinora, quam a patrandis criminibus cohibemur. Ex altera parte illæ causæ, quibus ad vitia sæpissime sollicitamur, sensus omnes tangunt, alta voce vocant & invitant, continuis assultibus fatigant: ut ait Seneca ep. 59. *Vitia de mercede sollicitant, avaritia pecuniam promittit: luxuria multa & varias voluptates, ambitio purpuram & plausum, & ex hoc potentiam, & quidquid potentia ponit.* Immo tanta est cupiditatum vis, ut non tam invitare, quam homines abripere videantur; illarum enim æstu plerique sic perturbantur, ut naturali quadam cedant inclinatione, quam ii solum, qui in virtutis palæstra sunt exercitati, sistere norunt. Videamus jam quod & quale præsidium habeat virtus in *ratione*. Docet quidem *ratio* per virtutem tutissimum esse iter ad felicitatem, neque dubium ullo modo esse potest diligenti rerum æstimatori, quin homines boni majori, quam improbi, potiantur solida felicitate. At quam sæpe contingit, ut virtus careat justissima mercede sua? Quam sæpe accidit, ut ipsa sua simplicitas atque candor, bonis causæ sint ærumnarum & ruinæ fortunarum suarum? Dum ex altera parte scelere consequuntur improbi utilitates suas; unoque facinore eam opum vim & potentiam comparant, quibus in tuto collocentur. Hos animadvertit ratio imbecilla, passionibus plerumque delinita, nunquam earum satis severa judex; lucroque appetitus apponitur. Apparent quoque rationi virtutis præmia incerta & remota; virtus laudatur & alget: adest ante oculos criminis merces, semperque improbi illam spectant ut malarum suarum actionum certissimam consequentiam. Virtus ergo in nulla re sufficiens habere præsidium videtur.

Objicies 1. Lex naturalis seu ratio hominibus data est a Deo ad eorum vitam regendam, neque frustra a Deo sapienti & bono data fuit. Atqui nisi esset perfecta & contineret omnia præcepta ad institutionem optimam vitæ pertinentia, non responderet huic fini. (*a*)

Respondeo 1. Argumenta metaphysica contra facta clarissima nullam habere vim. Eodem plane ratiocinio concludere liceret, nullos homines nasci cum membris ad functiones suas inutilibus; verbi gratia nullos nasci surdos vel cæcos. Nam oculus datus est a Deo ad res videndas; neque vane a Deo sapienti & bono datus est. Conficeres etiam nullum esse in mundo malum neque physicum neque morale; quia hæc nobis non consentire videntur cum Dei summa bonitate.

Respondeo 2. distinguo majorem. Lex naturalis a Deo hominibus recens conditis data, natura adhuc integra & incorrupta, erat perfecta & apta ad perfectam vitæ informationem, esto. Lex naturalis ut in præsenti conditione naturæ hu-

[*a*] *Le Legislateur supreme veut que l'homme soit vertueux dans toute sa conduite, qu'il observe les préceptes de la loi naturelle; & c'est pour l'éclairer sur ces devoirs qu'il a orné son ame d'une portion de sa sagesse divine. Or peut-on supposer que les moyens ne soient pas suffisans pour la fin? N'est-ce pas faire injure à la sagesse de Dieu? Dès-lors que les hommes sont obligés à pratiquer la loi naturelle, il faut supposer qu'ils la connoissent. Que diroit'on d'un Prince féroce qui voudroit qu'on suivit ses intentions, sans se donner la peine de les rendre publiques? Les Monarques les plus despotiques ne portent pas le caprice jusque-là. Y auroit-il donc deux justices, l'une pour Dieu, l'autre pour les hommes? ou Dieu le plus tendre des peres sera t-il moins équitable qu'un tyran?* Les mœurs.

humanæ cuique homini per facultates naturales innotescit, nego. Confitemur igitur libentissime Deum dedisse homini legem relative ad conditionem suam perfectam aptam ad perfectam ejus informationem. Certum quoque videtur primam Dei progeniem non fuisse cœcam, neque surdam, sed certum est quoque rationem cujusque hominis illam perfectionem jam non habere. Certum est aliquos nasci cœcos & surdos. Quid igitur concludendum, nisi hominem ex eo statu, in quo primitus conditus est, aliquo modo excidisse. Non est hæc duplicis status distinctio *petitio principii*, sed conclusio evidentissima ex duabus præmissis, quarum primam accipimus a Deistis, altera in experientia posita est.

At, inquies, distinctio hæc duplicis status non elevat omnem difficultatem neque Deum absolvit. Nam est Dei voluntas etiam in hoc præsenti statu, ut homines omnia præcepta servent, quæ ipsis imposita primitus fuerunt; ad eadem officia obligantur. Jam vero estne Dei boni, eadem omnia exigere ab hominibus ægrotantibus & graviter læsis, quæ sani solummodo præstare potuerunt, (*a*)

Duo in hac objectione nobis imputantur, quæ apud nos dogmata nullo modo sunt, & de quibus putamus pronuntiandum non esse. Primum est, quod Deus ab hominibus male sanis illa omnia exigat, quæ ab hominibus sanis exigebat. Sine dubio creditor æquus est parens optimus, non vult metere ubi non seminavit, usuram talenti commodati tantummodo repetet, si amplius voluerit & vires dabit ampliores. Secundum est, quod naturalia officia, quæ homines olim præstabant, nunc non possint præstare, a qua assertione puto etiam abstinendum, quia nescimus quousque laudabiles hominum conatus, quos Deus adjuvare paratus est, pertingere possunt. Hoc certum est homines esse in summa difficultate veritatis inveniendæ & virtutis exercendæ; hancque difficultatem tantam fuisse, ut vix ulli extiterint olim sapientes & bene morati viri. Hæc tanta difficultas sufficit, ut dicere possimus legem rationis esse imperfectam & homines esse in magna *indigentia* opis alicujus supernaturalis. Si Deus hominem ad terram aridam incolendam damnasset, quæ fruges non nisi maximo labore exercita funderet, cujus laboris homines impatientes vesci noxiis potius herbis sponte nascentibus eligerent; nonne hæc hominis conditio deterior esset quam nunc existit; nonne in summa indigentia essent divinæ opis; summumque æstimaretur beneficium, quidquid hunc laborem minueret?

Objicies 2. Lex omnis naturalis paucissimis veritatibus simplicissimis continetur, scil. notitia existentiæ & perfectionum Dei, & quod ad praxim attinet, scire oportet honorandum, diligendumque esse rerum omnium parentem Deum, & benevolentia prosequenda esse omnia entia rationalia cum quibus est nobis juris communio. At hæc duo principia omnibus obvia & nota sunt, in omnibus mentibus sunt uniformia (*b*).

Rr 2 Re-

[*a*] *La distinction des deux états ne leve point la difficulté, elle ne sauve point la sagesse, la justice & la bonté de Dieu. Que les hommes ayent merité tant qu' on voudra ce prétendu aveuglement: au moins depuis qu' ils l' ont encouru, la pratique de leurs devoirs leur est devenue impossible. Cependant l' obligation ne cesse pas. Est-ce toujours un Etre infiniment bon, infiniment juste, qui continue toujours d' exiger d' eux memes devoirs? J' ai chargé mon valet d' un message: au lieu de m' obéir, il s' est amusé à se balancer sur une escarpolette, & il s' est rompu la jambe. Il a fait une faute, je puis avec justice la lui faire ressentir, mais si j' exige de lui qu' il fasse d' autres messages avant que sa jambe lui ait été remise, de quelle épithète me qualifierez-vous?* Les mœurs ibid.

[*b*] *On ne voit pas ce qui manque à la Religion naturelle; elle renferme la connoissance de tout ce qu' il importe à tous les hommes de sçavoir & de pratiquer. Car qu'y a-t-il d' essentiel en ce genre? c' est de sçavoir qu' il existe un Dieu, d' avoir une idée de ses souveraines perfections: & à l' égard de ce qu' il faut pratiquer, toute la morale se réduit à aimer Dieu, soi-meme & le prochain. Or la Religion naturelle nous enseigne tous ces points clairement, & uniformement. L' existence de Dieu*

Respondeo 1. Hæc principia paucissima, præsertim ea quæ spectant naturam divinam, ante propagationem Religionis christianæ non esse visa Ciceroni tam obvia, tamque uniformia in omnium mentibus. Sic enim orditur libros suos de natura Deor. *Cum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis, Brute, (quod tu minime ignoras) & perobscura quæstio est de natura Deorum: quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiæ esse scientiam: prudenterque academicos a rebus tam incertis assensionem cohibuisse* (*b*).

2. Fatemur omnia legis naturalis præcepta, quæ vitam spectant, contineri in illo principio, quod benevolentia generali omnia entia rationalia complecti debeamus, sed continentur tanquam conclusiones in principiis. Non simul cum ipso principio intuitive apprehenduntur, sed evolvenda sunt per argumentationem & per difficilem quandoque consectariorum seriem. Pauca etiam sunt eaque obvia Matheseos axiomata, ex quibus immensa deducitur disciplina a vulgi intelligentia longe disjuncta. Nisi etiam moralis disciplina haberet difficultatem aliquam, tantam laudem non comparavissent Socrates & alii, qui in ea explicanda ingenium exercuerunt. *Ex philosophis, inquit Cicero, Tusc. qu. l. 3. nonne optimus & gravissimus quisque confitetur, multa se ignorare; multa sibi etiam atque etiam esse discenda?* Si Philosophi optimi & gravissimi tantas in investigandis veritatibus difficultates experiantur, quanto magis abest rudis plebs ab hac officiorum perfecta comprehensione?

3. Fortasse homines veritatis detegendæ cupidi & vacui a præjudiciis poterunt invenire illas omnes veritates in quibus vita præsertim vertitur. Attamen ideo dicimus hoc a multitudine non esse expectandum, quia leves sunt plerumque homines, quia desides, quia impatientes laboris & contentionis, quia pravis sunt imbuti opinionibus. *Multis signis, inquit Cicero de amic. natura declarat quid velit ... Obsurdescimus tamen nescio quomodo nec audimus. Mihi autem, inquit idem, non modo ad sapientiam cæci videmur, sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni videantur hebetes & obtusi: Sicut in luce solis vespertilionum oculi, habet Aristoteles ita in rebus clarissimis mens humana. Mihi semper, inquit Plato in Epinomide, semper visum est & etiam nunc videtur alias omnes artes non admodum difficiles esse; hominum vero ad rectam vitam institutionem omnium longe difficillimam: & l. 2. de leg. dicit raro evenire, ut vel in senectute homines sapiant, rectasque habeant rerum notiones.*

Et profecto etiamsi summi inter Ethnicos Philosophi & propemodum omnes contra rationem sententiam non dixissent; ea quæ ubique olim obtinuit rerum divinarum ignorantia, vanissimæ paganorum religiones & infamia instituta summæ temeritatis Deistas arguunt. Quippe si officia religionis tam essent in aperto constituta, ut facile & sine labore ab omnibus etiam rudibus perfecte cognoscerentur; quomodo, quæso, factum est, ut tam ridiculas circa Deos opiniones tenuerint? Ut ne fortuito quidem in rationabilem Dei cultum inciderint, sed spiritus immortalis loco, sol, luna, astra, fluvii & quæcumque inanima divinos acceperint honores

est une de ces verités qu' on ne met guères en question que dans les Ecoles. L' idée de ses souveraines perfections est à peu de chose près la meme dans tout les esprits. Enfin tous les hommes, pour peu qu' ils reflèchissent ou qu' ils raisonnent, conviendront qu' il faut aimer soi-meme, aimer le prochain. La Religion naturelle n'est donc pas aussi imparfaite qu' on voudroit la représenter. Les moeurs ibid.

[*a*] *Il y a de dangereux Sophistes, qui font de Dieu une image bien étrange: il y a des impios qui reconnoissent une divinité oisive & dèdaigneuse, qui de crainte de troubler son repes n' entre pas dans le dètail des affaires de ce bas monde, qui ne se tient pas offensée des injustices des hommes, ni honorée par leurs hommages.* Les moeurs ibid.

res? Qui factum est, ut bobus, crocodylis & vilissimis animalibus condita fuerint Templa splendidissima? Sua etiam habuerint delubra, non solum virtutes; sed fortuna, sed febris, sed metus & ipsa impudentia? In cultu externo quam multi ritus ridiculi sacerdotum ministerio perficiebantur? Quam vana augurum & aruspicum disciplina & omnis veterum divinatio? quam multa scelera & flagitia diebus festis admissa erant & religione publica consecrata? Hic litabatur humano sanguine; illic scortationibus & impudicitiis numen colebatur, vel bacchantum furoribus. Neque apud unum aut alterum populum hæc impura instituta obtinuerunt, sed apud omnes propemodum; non tantum apud barbaras & efferatas gentes, sed apud excultissimas in quibus scientiæ & artes floruerunt; neque solum ad breve tempus, sed ab antiquissima ætate: nam Ethnica superstitio apud omnes populos, quantumvis temporis & loci longinquitate divisos, invaluit. Sola illa gens quæ Deum verum habuit appropinquantem sibi, a quo acceptam legem gloriatur, a communi contagione libera, recte de Deo & officiis sensisse deprehenditur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Generis humani, in omnem errorem & pravitatem prolapsi, reformationi Philosophia præsidere non potuit.

PROBATIO.

NAM 1. Philosophia duce nunquam confici potuit præceptorum perfecta collectio. 2. Illa ipsa qualiscunque præceptorum summa, quam ex Philosophorum scriptis conficere licuit, nunquam potuit humana doctrina & institutione apud vulgus promulgari.

I. Philosophia quidem in summam redigere omnia præcepta religionis & vitæ non potuit, ob has evidentissimas causas.

Primo. Quia Philosophorum nulla schola totam veritatem tenuit: illæ quæ de disciplina morali optime meritæ sunt, ut academia, lyceum, porticus, in absurdissimas opiniones abierunt. Multi numerantur divini Platonis, Aristotelis & Zenonis etiam in rebus moralibus errores (*a*). Neque facile alicui fuisset veritatem sparsam per singulos in summam redigere. *Facile est docere, ut ait Lactantius l. 7. div. instit. pene universam veritatem per Philosophos & sectas esse divisam ... nullamque sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt; non tantum elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus; is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens, potest.*

Secundo Philosophi clarissimi plerumque anxi & dubii extiterunt circa ipsa religionis & morum fundamenta. Audivimus jam supra Ciceronem dicentem: cum multa sunt in Philosophia nequaquam satis explicata; tum perdifficilem & perob-

(*a*) Plato uxorum communitatem commendabat; concubitus vagos seu fornicationem permittebat; infantium expositionem tam crudelem & a parentali affectione tam abhorrentem, non modo non improbavit, sed commendavit quidem, ubi non essent bene conformati; in festis Bacchi ebrietatem non damnat. Aristoteles tam obscure de Deo scripsit, ut Atheus a multis habitus sit; quam ineptis argumentis confirmat novam suam opinionem de mundi æternitate? partuum abactiones non condemnat, neque in infantes crudelitatem; turpes & lascivas Deorum imagines approbat. Stoici maxime erant in scriptis obscœni; ipsis Deus igneus erat; plerique fatalem rerum concatenationem defendebant, fornicationem probabant universi, ipse etiam Epictetus: incestum etiam a natura maxime abhorrentem Patris & Filiæ, Matris & Filii concubitum, non horrebant: quam absurda sunt hæc eorum dogmata? Paria sunt peccata, est aliquid quo sapiens antecedat Deum, quia Deus naturæ beneficio, non suo sapiens est: Deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit ætate: si cui virtus animusque in corpore præsens, hic Deos æquat.

perobscuram quæstionem esse de natura Deorum. Idem Philosophus differens de altero vitæ moralis principio, videlicet animi immortalitate: *ea quæ vis, inquit Tusc. l. 1. ut potero explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint & fixa quæ dixero; sed ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura sequens: ultra enim quo progrediar, quam ut verisimile videam, non habeo*. Ibidem scribit: *Nescio quomodo dum lego (ea quibus conficitur immortalitas animi) assentior; cum posui librum & mecum ipse de immortalitate animorum cœpi cogitare, assensio omnis illa elabitur. Credebam facile*, ait Seneca, *opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium magis, quam probantium*. Ipse Socrates, qui in morali philosophia totam ætatem consumpserat, in ultimo quem habuit ad amicos sermone dubitanter de vita futura locutus est, quod Tertulliano occasionem præbuit hæc scribendi. *Adeo omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis*. Jam vero confitente ipso Cicerone, *nisi hæc pro certis habeantur necesse est homines in maximarum rerum ignoratione versari, quibus sublatis (vel in dubium vocatis) nulla potest esse pietas, nulla sanctitas, nulla religio; & perturbatio vitæ sequitur, magnaque confusio; fides etiam & societas humani generis & una excellentissima virtus justitia tollitur*.

Tertio, quia Philosophi neque cognoverunt, neque potuerunt cognoscere omnem veritatem ad perfectam religionis & morum informationem pertinentem. Quid enim ad religionem tantum attinet, quantum cognitio viæ & modi, quo peccata expiari possint, & placari infensum sceleribus numen? quæ quæstio in tota philosophia est momenti majoris & ad hominis tranquillitatem & salutem? Cum quis in civitate aliquid adversus leges admisit, de re nulla tam sollicitus est & esse debet, quam ut primum discat, quæ pœna legis violationi adjuncta sit; deinde quæ via ad veniam obtinendam minuendamve pœnam pateat: sic quoque in civitate Dei, quam novimus legibus æquis temperatam esse, nihil tantum interest hominum peccatorum (& omnes sumus) quam scire quæ impendeant nostris capitibus a justo judice infligenda mala, & quomodo possint averti. At dum malum aperiebat ratio, minitabatque conscientia, remedium nullum afferebat philosophia. Docebat quidem illa Deum bonum non solum erga bonos, sed erga malos quoque; quandoquidem patientem eum & in puniendis sceleribus tardum observabat: verum ut patientem, bonum & misericordem, sic sapientem, justum, sanctumque demonstrabat; misericordiam nihil posse detrahere justitiæ, neque posse exerceri nisi juxta sapientiæ & sanctitatis leges incommutabiles. Pœnitentia nunquam visa est philosophis neque videri debuit expiatio criminis sufficiens ad ulciscendum legum divinarum contemptum, ad vindicandam imperii divini majestatem, ad manifestationem divinæ sanctitatis, uti alio loco fusius conficiemus. Hincque sine dubio ad sacra omnis generis & expiatoria sacrificia veteres ubique confugerunt, & ipso humano sanguine litaverunt, rati pœnitentiæ esse aliquid adjiciendum. Quæ tamen sacrificia sapientiores haud multum probabant & parum apta putabant expiandis sceleribus, expectandumque ducebant, donec ipse Deus significaret hominibus quo cultu vellet honorari.

2. Quamvis Philosophi conficere potuissent collectionem perfectam præceptorum, eam apud vulgus per disputationem philosophicam promulgare nunquam potuissent.

Primo. Quia homines erudiendi philosophiæ addiscendæ nequaquam apti sunt. Oportet philosophiæ auditores esse veritatis studiosos, nam doceri non possunt, qui nolunt discere: esse quoque attentos, alicujus contentionis capaces, in prosequenda veritate constantes; esse etiam præditos acuto satis ingenio, rectoque judicio, ut una cum præceptoribus religionis & vitæ moralis principia & officia evolvere valeant. Atqui experimur homines primum esse a doctrina alienos, tædet eos discere; deinde esse leves, nec attendere rebus clarissimis quæque incurrunt quodammodo in oculos; eosdem esse omnis contentionis

inca-

incapaces, nec habere satis otii, ut vacare possint addiscendæ philosophiæ; paucos tandem pollere ingenio satis acuto, sanoque judicio, ut Philosophorum rationes capere possint. Præterea vivendi scientia in omni ætate & in omni conditione vitæ necessaria est; institutione ergo a prima pueritia authoritative inculcanda est, & ut habet Lactantius inst. div. l. 3. c. 16. *abjiciendæ est omnis philosophia; quia non studendum est sapientiæ, quod fine & modo careat; sed sapiendum est & quidem mature. Non enim nobis altera vita conceditur, ut cum in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: in hac utrumque fieri necesse est: cito inveniri debet ut cito suscipi possit, nequid pereat ex vita, cujus finis incertus est.* (*a*)

Secundo. Ut Philosophi docere possent humanum genus omnem veritatem, requirebatur, ut plurimi essent Philosophi generis humani vere amantes, qui cæteros docere ea studerent, quæ philosophia duce cognovissent: pauci tanto operi pares non extitissent. Jam vero paucissimi semper fuere veri Philosophi, qui religionis & morum legibus investigandis serio allaborarint; qui superstitionibus & præjudiciis popularibus non sint obsecuti. Sapientissimis non tantopere cordi fuit generis humani ad veritatem institutio, ut ad hanc procurandam molestias & labores in se voluerint suscipere. Socrates, Plato, Cicero, quibus nihil divinius novit ethnica antiquitas, quos privatim irridebant Deos, colebant publice: docebantque uno ore, in iis quæ de religione constituta sunt, nihil esse immutandum, neminemque sanæ mentis id unquam suscepturum (*b*). Immo apud ipsos receptum fuit, expedire *falli in religione civitates* (*c*). Hinc cum Cicero multa in libris suis adversus religiones paganorum scripsisset, monet illa non esse vulgo disputanda, ne susceptas religiones disputatio talis immutet. Mirari se cum Catone, ait de div. l. 2. quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret: jubet tamen ut in religione instituta pontificum & aruspicum serventur. An idonei censeri possunt veritatis magistri illi Philosophi *qui illam in injustitia detinebant, quique cum cognovissent* Deum non sicuti Deum glorificaverunt, sed ea fecerunt, quæ faciebant illi, quos stultissimos confitebantur.

Tertio. Oportebat Philosophos doctores gau-

[a] Sequerentur tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est quod paucis hominibus Dei cognitio, saltem accurata, inesset: idque tum ob tardum multorum ingenium, qui ad sciendum naturaliter indispositi sunt, tum ob necessitatem rei familiaris, tum denique ob pigritiam. Secundum inconveniens est, quod illi qui ad prædictæ veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter veritatis profunditatem, tum propter multa quæ præexiguntur; tum quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima æstuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admisceatur propter debilitatem intellectus nostri in judicando & phantasmatum permixtionem; & ideo apud eos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt etiam verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & præcipuè cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. S. Thomas l. 1. contra Gent. c. 4.

[*b*] Socrates probabat illud oraculi delphici responsum; *Deos ex instituto civitatis colendos esse*, & morti proximus rogavit familiares suos, ut Esculapio gallum quem voverat pro se sacrarent. Cui consentit Cicero l. 2. de leg. a Patribus acceptos Deos placuit coli ... illud ex institutis pontificum & aruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo.

[*c*] Expedire existimabat Scævola Pontifex maximus, falli in religione civitates. S. Aug. de civ. Dei l. 4. c. 10. Varro de religionibus loquens evidenter dicit multa esse vera, quæ vulgo sciri non sit utile; multaque quæ tametsi falsa sint aliter existimare populum expediat. Hic certe totum consilium prodidit sapientium per quos civitates & populi regerentur. *Ibidem*.

gaudere quadam apud vulgus authoritate ex virtute & doctrina: nisi enim apud plebem in honore haberentur, suspicerenturque ut singulares viri; & hæc eorum reverentia frangeret vim sensuum, cupiditatum, præjudicatarum opinionum & malæ consuetudinis, paucissimi illis docentibus præbuissent benignas aures, quamvis aperta & clara protulissent. At quæ Philosophorum apud plebem authoritas esse potuit? Inter se perpetuo divisi de omni re litigabant: & præterea sua vivendi ratione præceptis omnem vim adimebant. Vitia hominum carpebant vitiis ipsi mancipati, quod illis exprobrat Tullius Tusc. l. 2. *Hæc eadem (morum regulas) num censes apud ipsos Philosophos valere nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, ut ratio postulat; qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet; qui obtemperet ipse sibi & decretis suis pareat? videre licet multos libidinum servos, &c.*

PROPOSITIO TERTIA.

Legis naturalis externa per revelationem promulmulgatio aptissima via est ad homines erudiendos & ad virtutem excitandos; proindeque hominibus utilissima.

PROBATIO.

I. PER revelationem externam *clarius*, *brevius* & *perfectius* doceri possunt homines rudes ea quæ pertinent ad religionem & bonam vitam: immo vero fides sola via est apta erudiendis rudibus. Nam experientia constat præcepta vivendi facilius mentibus hominum inculcari, ut articulos fidei, quam ut scientificas conclusiones: multos ubique invenimus qui fide imbuti veritatibus receptis ex authoritate constanter adhærent; paucissimos qui in philosophia versari per caussas didicerunt; pauciores qui proprio studio valeant ratione veritatem consequi. Non solum in rebus ad religionem pertinentibus, sed in omni vita civili homines fide ducuntur:, pauca perfecte norunt, plura credunt: nulli ferme sunt, qui suum adhibeant judicium & qui id non habeant ratum, quod judicatum vident ab iis quos maxime probant: & ubi judicandum est, magis sunt a natura comparati ad recta de factis ferenda judicia, quam ad argumentorum vim explorandam: certitudinis moralis, quam metaphysicæ, meliores æstimatores.

Præterea revelatio medetur illis omnibus incommmodis supra enumeratis. Ideo vulgus hominum incapax est addiscendæ philosophiæ, quia rude caret ingenio satis acuto, quia caret otio, quia leve præceptionibus Philosophorum raro aures benignas accommodat; quia pervicax ad quamcumque disciplinam fuerit fortuito delatum, illi quasi affixum saxo adhærescit. Jam vero testante Deo, non est opus inquisitione neque acri & perspicaci ingenio, neque multo otio; quia per revelationem sine labore ea innotescunt omnia etiam pueris, quæ nonnisi post adultam ætatem & post longa studia consequuntur Philosophi. Ad divinam vocem arrectas aures habere homines solent, atque eorum animis impressa manent mandata cœlestia, dum elabuntur humana. Denique præceptionibus divinis mentem submittimus, neque contumaciter cum omnipotente contendere audemus.

Immo ipsi Philosophi in externa promulgatione legum naturalium sine dubio multa invenirent adjumenta scientiæ & veritatis adminicula. Nam Philosophi quocumque polleant ingenio, non apprehendunt intuitive omnia præcepta naturalia, sed eadem ratiocinando concludunt: proindeque illud omne quod investigationem veri feliciter promovere potest aut ab errore revocare, maximæ utilitatis est. Atqui complexio legum naturalium per revelationem promulgata multum juvaret etiam perspicacissimos: primo oculis exhibendo eas veritates ad quarum demonstrationem mentem conferre deberent. Sic v. g. si haberemus solummodo enuntiata theorematum in libris Mathematicorum contentorum sine ullis demonstrationibus, facilius certe mathematica disciplina inveniretur, quam si illis careremus enuntiatis. Idem de morali disciplina verum est; & quia hac caruerunt veteres Phi-

Philosophi, *errarunt velut mari magno, ut habet Lactantius, nec quo ferrentur intelligebant; quia nec viam cernebant, nec ducem sequebantur*. Recentiores Deistæ perfectiorem complexionem legum naturalium confecerunt; an quia Pythagoram, Socratem, Platonem vincunt ingenio & gravitate? An non potius propter illam ipsam revelationis lucem, quam ingrati aspernantur? Secundo si veteres habuissent præceptorum collectionem, quam a Deo accepissent, non fuissent profecto in rebus maximi momenti tam dissentientes, tantisque implicati erroribus. Tertio vox divina omnem sustulisset anxietatem & dubitationem, quam in animis Philosophorum relinquere videtur ratio, etiam circa res gravissimas, easque maxime confirmatas.

II. Per revelationem externam non solum clarius, brevius & sine erroris admixtione docemur præcepta vitæ & religionis; sed additur etiam præceptis authoritas, qua fortius ad obsequendum inclinentur homines. Sic quamvis quisque investigare posset omnem moralem disciplinam; multo tamen idem efficacius commoveretur ad officia exequenda, si eadem illi a Deo ipso externe injungerentur & miraculorum splendore confirmarentur [a]. Et vero, quod maximum est, per divinam revelationem in clariori luce constituti possunt futura virtutis præmia & vitio destinata supplicia. Nam etsi ratione confici possit manere animos post mortem & experturos esse pro meritis bona vel mala; tamen quoniam imperfecte apprehenditur futuræ vitæ conditio & sibi fingunt homines quidquid velint, non satis solent futurorum bonorum vel malorum expectatione commoveri. Sed si Deo admonente intelligamus paratum esse bonis regum, ubi admissi ad intuitivum Dei conspectum consecuturi sumus immensum & inennarrabile gloriæ pondus; & ex altera parte impios horrenda manere supplicia, vermem nunquam moriturum, ignem inextinguibilem: quis dubitet, quin majorem habituræ sint vim ad impellendos homines ad virtutem vel coercendos a flagitiis hæ expressæ denuntiationes, quam fictæ camporum Elysiorum & Stygis imagines?

Propter hanc revelationis utilitatem maximam videmus summos Philosophos illam ardentibus votis expetiisse & etiam aliquibus spem affulsisse tanti a Deo muneris. Certe Plato in Epinomide postquam docuit pietate nihil majus inter homines esse, subjungit: *docere eam neminem posse nisi Deus, quasi dux & magister præiverit*. In ejusdem Platonis Alcib. 2. postquam docuit Socrates justitiam ac sapientiam apud homines sana mente præditos in summo pretio esse, sapientes vero ac justos illos esse, qui intelligunt quid faciendum, dicendumque sit apud Deos & apud homines; tum fatetur ignorare homines quid Diis gratum sit: ideoque concludit *nihil tutius atque consultius esse, quam quiescere & expectare donec aliquis didicerit, quo animo & erga Deos & erga homines esse oporteat*. Sic etiam in Phædone, qui dialogus est de immortalitate animæ; postquam Simmias dixit idem sibi videri quod Socrati, nempe de hujusmodi rebus certam ratamque cognitionem habere aut plane esse impossibile, aut supra modum esse difficile; monet humanarum rationum quæ melior sit, id est, quæ minus refutari possit, eam eligendam atque tuendam: *nisi quis firmiore quodam vehiculo, aut verbo quodam divino transvehi possit*.

Objicies. Si aliquam afferre posset hominibus utilitatem revelatio vel ad *certiorem* vel ad *faciliorem* officiorum cognitionem. Atqui tum certius, tum facilius ratione, quam quovis alio modo cognoscuntur. *Certius* quidem: quia certitudo quam parit ratio, est metaphysica & demonstrationi innititur: certitudo quam parit authoritas est ad summum moralis; sed illa hanc vincit. Præterea ea est natura certitudinis moralis, ut perpetuo minuatur donec tandem evanescat. Nam ut observa-

[a] Dei præcepta quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrænatus; paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem.... Nam quis hæc Philosophorum aut unquam præstitit, aut præstare, si velit, potest. *Lact. De falsa sap. l. 2.*

vit C. Lockius *l.* 4. *de intell. hum. c.* 16. etsi instrumenti apographum signatum testibus fide dignis in foro fidem faciat, tamen exemplum apographi, quacumque confirmatum authoritate, nullius est ponderis. Sic quoque homini, cujus probitas comperta est, dicenti se vidisse, fidem facile addimus; sed si referat se ab alio accepisse, minus firma est assensio. Deinde *facilior* quoque via est ad veritatem per rationem, quam per authoritatem: nempe difficilius est dijudicare revelationem veram a falsa, quam natura duce pervenire ad veritatem; idque ob multiplicem causam: imprimis ob varietatem prætensarum revelationum, cum nulla gens unquam fuerit quæ Diis acceptam religionem suam non retulerit. Immo hæc varietas sufficiens argumentum videtur ad refellendas quascunque probationes, cum ostendat plebem ad res miras cum summa credulitate suscipiendas propensam semper fuisse, & extitisse in omni ætate veteratores, qui populos in religionibus fallerent. Deinde in omni religione per traditionem propagata multa in dies immutantur, tolli solent vetera instituta, ut novis locus fiat: adeoque longe major est illius labor, qui præcepta vivendi ex authoritate, potius quam ex ratione accipere velit.

Respondeo nego minorem, quoad utramque partem.

1. Fatemur quidem quod si præcepta morum & religionis forent per se evidentia & eorum veritas intuitive apprehenderetur, illa tunc certius cognosci non posse; sed quia paucissimi homines ea pollent ingenii facultate, ut illas sibi possint conficere demonstrationes, manet revelationis summa utilitas respectu multitudinis. Manet etiam respectu sapientum, quamvis in minori sint illius indigentia: quia externa promulgatio præceptorum naturalium, confirmata miraculorum & prophetiarum splendore, confirmat animos jam veritate per rationem imbutos, efficitque magis constantes, dubiis & suspicionibus minus obnoxios: est lucis quoddam augmentum, quia hæc externa promulgatio magis *authoritativa* est, quam ea quæ fit per rationem; & cum omnes sensus feriat, attentionem majorem provocat.

Deinde, quod spectat moralem certitudinem, constat in vita civili eam eamdem vim habere ad persuadendos homines, quam habet certitudo metaphysica, immo esse ingeniis hominum magis accommodatam. Adhibemus fidem sensibus & testimoniis hominum sine ulla errandi formidine. Cui enim philosophico principio firmius adhæremus quam factis positis in consensione omnium? Prius dubitaremus de æqualitate trium angulorum in triangulo & duorum rectorum, quam de existentia Henrici quarti & ejus infelici exitu. Sic quamvis immortalitas animi optimis rationibus fuerit a Platone & aliis demonstrata, tamen Cicero scripsit, quod multi experiuntur. *Dum lego, assentior, cum posui librum, omnis illa assensio elabitur*. Atque ad persuadendum quemcunque hominem, non solum rudem, sed etiam philosophum, nullum esset argumentum magis accommodatum quam mortui sepultique amici frequens apparitio, & de rebus hujus & alterius vitæ sermo gravis & constans, in iis circunstantiis cum omnes sensus sine ulla perturbatione essent liberrimi. Quocunque igitur nomine vocetur certitudo quam parit ratio, & illa quam pariunt sensus & consensio hominum, certum est hanc illi nullo modo quoad vim & efficaciam ad persuadendum concedere.

Ad id quod additur ex Lockio respondemus, recte esse constitutum ut non valeat exemplum apographi, licet valeat ipsum apographum; non quia certi esse non possumus exemplum esse accurate descriptum, sed quia nulla ratio est cur non adeatur ipsum instrumentum: rejici debet testimonium magis remotum, cum aliud minus remotum haberi possit. Sed si aliquo casu instrumentum ipsum primum interiisset, sine dubio apographum locum ipsius instrumenti teneret, ex quo postea alia apographa valerent. Sic in religione tradita, cum vetustate consumpta sunt prima instrumenta, regula juris non vetat, quin valeant antiquissima & fide dignissima apographa & ex illis nova descripta.

2. Val-

2. Valde absurdum est asserere homines *facilius* invenire posse per rationem vitæ præcepta, quam eadem per revelationem accepta magistrorum institutione addiscere: cum experimur nullos plane priori modo informari; totum genus humanum institutione a parentibus, magistris & publica fide accepta, ubique erudiri: videtur ex eo sequi homines facile institui, difficile philosophari. At extiterunt in omni ætate impostores, qui populos fallerent, & idcirco probandi sunt spiritus utrum ex Deo sint; atque hoc examen difficilius est, quam ipsam veritatem per rationem invenire? Nequaquam: non est difficilius primo maxime rudibus & ad omne examen ineptis, his enim omnia æqualiter sunt difficilia; & summa eorum felicitas est, si forte nascendi hoc summum acceperint a divina providentia beneficium, ut cum lacte suscipiant veritatem, cujus inveniendæ pares non fuissent. Aliis supra horum condi. tionem positis facilius est factum dijudicare, quam philosophica disputatione veritatem invenire; quia experimur hos ad ratiocinia quamvis ineptos, tamen bene contexere narrationem facti, cujus ipsi testes fuerunt, & recte judicare de aliorum relationibus. Quod spectat prudentiores & doctiores, qui solent præsidere cæterorum hominum religionibus, & opinionibus, nullum dubium esse potest, quin summas inveniant utilitates in religione revelata propter rationem multiplicem supra allatam. Uno verbo sit facilis, quantum velis, exploratio veritatis, revelatio divina eandem veritatem exponens & confirmans, afferet sine dubio adjumenta scientiæ & consequenter erit valde utilis.

At, inquis, religio traditione propagata immutari potest, libri quibus continetur possunt interpolari & adulterari. Hoc e numero rerum possibilium est; sed ex hac generali observatione non sequitur quamcumque religionem revera mutationi obnoxia fuisse corruptos. Si postulent a nobis Deistæ, ut librorum sacrorum vindicemus integritatem, non feremus ægre, id nobis sine dubio incumbit: sed ex vanissima suspicione contra nos concludere, uti solent, temeritatem habet maximam.

At quomodo vulgus hominum, qui neque sermonem, in quo scripti fuerunt libri sacri, intelligunt, sensum verum certo poterunt expromere, cum translationibus uti cogantur? Poterunt novisse illas translationes accuratas esse ex consensione omnium sæculorum & publica fide, ex consensione ipsorum Deistarum, qui hoc serio negare non audent.

Sed populus semper avidus fuit novarum revelationum: esto. Ergo nulla vera: quam ridicula conclusio! Unde orta est hæc populi ad recipiendam revelationem propensio, nisi ex conscientia suæ ignorantię & sensus illius indigentiæ, in qua erant constituti; aut ex antiquissima traditione accepta a communibus parentibus, qua sciebant Deum olim cum hominibus locutum esse. Generalis hujus effectus generalis aliqua causa assignari debet, & præter illas duas vix aliquam, quæ communis sit, poteris invenire. Sed si illa omnium hominum olim credulitas orta sit ex sensu suæ ignorantiæ & indigentiæ summæ, in qua erant revelatæ religionis. Ergo contra communem hominum sensum negant Deistæ revelationem esse utilem & deprecantur munus ab omnibus expetitum. Vel si omnes olim crediderint Deum curare res humanas & homines alloqui non dedignari ex veteri traditione: ergo manebit existentia revelationis confirmata unanimi totius humani generis fide & persuasione, nedum propterea haberi possit incredibilis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De revelata Religione quatenus est dispensatio supernaturalis.

Religio Christiana non est solummodo promulgatio externa legis naturæ, quæ nos docet clare ac sine ambiguitate, cum magno compendio, sine ullius erroris admixtione & cum summa authoritate omnia principia & officia Religionis ac vitæ moralis: sed est etiam supernaturalis dispensatio, quæ novum aperit rerum ordinem rationi investigabilem, institutum ad reparationem humani generis per peccatum lapsi & depressi, procedentem authoritate Christi Mediatoris & Spiritus sancti ministerio; quæque propter nova hæc beneficia ordini naturali superaddita homines fortius de-

vincit officiis amoris, gratitudinis, fiduciæ, devotionis, cæterisque omnibus, etiam erga hos patronos suos. Non pertinet ad præsens nostrum institutum hanc dispensationem fusius evolvere aut defendere: animus est solummodo generatim ostendere ejusmodi supernaturalem dispensationem non esse impossibilē nec inutilem dici posse.

PROPOSITIO.

Revelatio considerata ut nova dispensatio & manifestatio Mysterii supra rationis captum positi possibilis est & exoptanda.

PROBATIO.

NAm si revelatio hoc sensu intellecta esset impossibilis, vel quia Religio naturalis ea omnia complecteretur quæ sciri possunt, tum de Dei natura, tum de hominis conditione, tum de divinis in hominem consiliis; & proinde nulla esset revelationis materies: vel quia Deus non potest nos docere de rebus incognitis, aliter quam per rationem & argumentationem ex primis principiis; sicque omnis revelatio externa esset quoad modum impossibilis; vel qua talis revelatio humano generi inutilis foret, & propterea divina sapientia indigna: atqui

1. Absurdum est dicere Religionem naturalem, quatenus per rationem humanam innotescit, complecti ea omnia quæ sciri possunt, vel circa Dei naturam, infinitasque ejus perfectiones, vel circa hominis conditionem, seu primævam, seu præsentem, seu futuram, vel circa divinæ in nos Providentiæ consilia, ut satis patet. Docet Religio Christiana esse in divina natura distinctiones personales; hominem primitus immortalem conditum fuisse, auctum gratiæ donis indebitis, atque ad interiorem in statu supernaturali cum Deo conjunctionem destinatum fuisse; eundem nunc nasci filium iræ ejusque facultates passas esse gravem mutationem, neque pristinam excellentiam propriis viribus recuperare posse, quemque in magno esse periculo æternæ damnationis. Hæc omnia impossibilia esse non demonstrant Deistæ, & revelationis supernaturalis materies esse possunt.

2. Revelatio divina continens mysteria inscrutabilia, quoad modum non est impossibilis; quia infinitis modis Author naturæ suam nobis mentem manifestare potest: vel clara voce sicut Moysi ex rubo ardente: sicut Judæis in Sina monte Legem dedisse credimus. Potest etiam prodigiis & virtutibus oculis ipsis obviam facere voluntatem suam. Potest denique qui nos variis imbuit cognitionibus, & intuitivam concessit primorum principiorum cognitionem, eodem modo illustrare mentes hominum circa eas res, quæ jam ipsi impervıæ sunt: neque Creator naturæ caret illa illuminandi facultate, neque humanus intellectus illustrationis istius incapax est.

3. Revelatio illa non foret inutilis, ac consequenter indigna divina majestate; nam illud non est inutile quod hominem perficit, & novis excitat ad pietatem momentis: sed ex revelatione qua homo illustraretur circa eas res quarum notitiam assequi ratione non valet, profecto sapientior & perfectior evaderet, atque ex ampliore divinæ naturæ & suæ conditionis cognitione nova exorirentur motiva pietatis. Ergo ex nulla parte revelatio considerata ut nova dispensatio supra rationem impossibilis est, aut divina majestate indigna.

Objicies. Illa dispensatio plane inutilis est, sine qua recte vivitur; quæ negligi potest, & tamen ad virtutem pervenitur; atqui sine revelata Religione per solam legem naturalem cognosci possunt omnia necessaria præcepta ad institutionem Religionis & vitæ. Revelatio mysterii absconditi nullum novum imponit hominibus officium necessarium ad rectam vitæ institutionem.

Respondeo, nego minorem: non est hæc recens seu nova adversus Religionem revelatam argumentatio, legimus apud S. Augustinum Paganos ita disputasse adversus Christianos. „ *Invenis multos*, ait enaratione in Ps. 31. *propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Bene vivere opus est? Quid mihi precepturus est Christus? Ut bene vivam? Jam bene vivo. Quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inveniatur in vita mea aliquid quod reprehendatur*

datur, *& qui reprehenderit faciat Christianum*. Sed profecto in re gravissimi momenti multum aliena est a ratione hæc in propriis suis meritis securitas; ea est authoritas Dei, ut ad ejus verba aut etiam quamcumque revelationis suspicionem arrectas aures semper habere debeamus, neque ullo modo circa ea quæ ad cultum Dei pertinent nobis licet esse incuriosis; etiamsi non cerneremus cujus essent utilitatis ea, quæ cœlitus dicuntur revelata. Verum si vel leviter attendamus ad illam revelationem quam Judæi & Christiani sibi factam esse asserunt, deprehendemus vel primo intuitu illam multa continere quæ maximi sunt momenti, & quorum incuriosi sine crimine esse non possumus. Novum nobis aperit ista revelatio divinæ Providentiæ ordinem, nostrarumque rerum procurationem a Deo Patre commissam esse docet duobus quasi Administris *Filio Dei Mediatori* & *Spiritui Sanctificatori*; a quibus multa & innumera fluxerunt in homines beneficia, quique jam promovent eorum salutem. Consequenter ad hanc novam & ignotam antea supernaturalem Dei Providentiam jubentur Christiani baptisari non solum in nomine *Patris*, sed etiam in nomine *Filii* & *Spiritus sancti*, novisque erga has duas personas devinciuntur officiis. Jam vero hæc officia maximi sunt momenti nec sine magna temeritate aut etiam impietate contemni possunt: non enim sunt illa positiva quædam præcepta, instituta arbitraria voluntate, sed post supernaturalis ordinis manifestationem æque in *rerum naturis* & *convenientiis* posita sunt, ac aliud quodcumque naturale officium. Sicuti ratione naturali nobis revelatur illa habitudo seu relatio quam cum Deo rerum omnium Parente ac Domino habemus, atque ex hac relatione exoriuntur omnia officia Religionis naturalis: sic quoque per revelationem christianam innotescunt novæ relationes, ex quibus eodem plane modo nascuntur *christiana officia*. Statim atque constat *Filium Dei* esse hominum apud Deum *Mediatorem*, *Spiritum* ejus *sanctum* esse hominum *sanctificatorem*, non magis quærendum est, cur in nomine *Filii* & *Spiritus sancti* baptizemur, aut cur erga istas personas reverentiæ, amoris, gratitudinis, & timoris & spei sensus foveamus, vel cur in cultu externo habeamus rationem illarum duarum personarum, quam quærendum est, cur iisdem officiis prosequamur rerum omnium parentem Deum. Hæc posteriora ad legem naturalem semper pertinuerunt; quia relationes, in quibus posita sunt, semper fuerunt lumine naturali perspectæ: illa vero nova post factam revelationem æque fundata sunt in *rerum convenientiis*, tamque reus est læsæ divinæ majestatis, qui officia hęc revelatione cognita contempserit aut illa explorare neglexerit, quam ille qui religionis naturalis officia discere, aut ad ea mores componere recusaverit.

Præterea si vera sit Christiana religio, Christus est unus Dei & hominum mediator; solius Spiritus Sancti auxiliis recte vivere possumus; soli fidei & mediis a Christo institutis illa auxilia adjuncta sunt, proindeque nihil tam temerarium est, quam has novas dispensationes, nisi falsæ demonstrentur, non curare. Ista brevius hic attingimus, quod de mysteriis alius erit dicendi locus.

ARTICULUS TERTIUS.

De revelatione, quatenus est positiva constitutio.

Religio Christiana spectari potest, ut constitutio *positiva*, quæ originem dedit novæ societati, quæ *Ecclesia* dicitur, ab omni alia legibus peculiaribus, cultu externo & ministerio publico distinctæ: cujus præsertim institutionis positivæ præsidio diffusa est per omnes nationes Evangelii prædicatio & per omnia sæcula propagata. Habetne revelata religio sub hac forma quidquam divina constantia indignum? Nullam ne hominibus afferre poterit utilitatem?

PROPOSITIO.

Revelatio considerata ut positiva constitutio & ut complexio legum positivarum, non modo possibilis est, sed hominibus utilissima esse potest.

PROBATIO.

NAM 1. positiva præcepta multum conferre possunt ad decentiam & uniformitatem cultus externi, qui pars religio-

ligionis naturalis est: cultus etenim externus sine ritibus & ceremoniis perfici nequit; nec decenter & uniformiter perfici ab hominibus potest, nisi in iisdem ritibus & ceremoniis homines consentientes sint. Si igitur ordo in divino officio, si consociatio hominum in præstandis Deo solemnibus deceat & res optanda sit; ergo ad hunc finem præcepta positiva dari possunt: præsertim cum cultus externus aliter determinari convenienter nequeat. Si ille relinqueretur proprio cujusque hominis arbitrio, tot essent colendi ritus, quot homines. Nec etiam religiones populorum magistratuum determinationi permittere satius fuisset: tum quia nec in optimas aut numini acceptissimas ipsi incidissent: tum eorum in hac re constitutiones non receptæ fuissent cum eadem reverentia, qua divinæ recipiuntur; nec cum eo studio & alacritate perficerentur: certe magnum est incitamentum, cogitare nos non modo in divino cultu honorare Deum, sed etiam illum colere eo modo, qui ipsi acceptissimus sit.

2. Præcepta positiva conducere multum possunt ad fovendos internos religionis sensus, ad excitandam & promovendam virtutem; idque duplici ratione: primo avocando a tentationibus, si videlicet ea præceptis positivis prohibeantur quibus plerumque abutimur; & propter hanc rationem sine dubio multæ datæ olim sunt judæis præceptiones positivæ. Profecto si parens bonus suos liberos possit interdicere quibus prævidet abusuros, quidni etiam supremus hominum parens ac magister eadem gaudebit authoritate? Secundo præcepta positiva excitant pietatis sensus, illisque obtemperando ad arduas virtutes erudimur. Si homines perfecti essent, si laboris patientes, si ad præstanda officia prompti, hæc auxilia externa supervacanea essent: sed quia e contrario leves sunt & obliviosi, certis regulis indigent, quibus de officiis perpetuo moneantur; quia minimis franguntur difficultatibus, necesse est ut assuescant virtutum exercitationibus & ad pugnam erudiantur. Jam vero melius est uti Deo institutore, quam suopte ingenio vel alieno.

3. Multum conferre possunt præcepta positiva ad imprimendum animis nostris vividum divinæ authoritatis sensum, hocque titulo nobis a Deo imponi. Nam præcepta positiva eo ipso quod in rerum naturis fundata non sint, ut sunt moralia præcepta, significant fortius & efficacius supremi numinis imperandi jus, nostramque dependentiam; & hujus dependentiæ sensum efficacius excitant: atque nobis subministrando oportunitatem agendi ex nullo alio nisi pietatis motivo, illam in Deum pietatem fovent & augent.

Et verò opinio Deistarum, asserentium leges positivas inutiles esse hominibus & Deo indignas, contraria est sensui omnium hominum: nam videmus omnes populos, qui religiones suas Diis acceptas retulerunt, servasse multa positiva præcepta. Ex quo certe efficitur tum eos qui religiones illas invenerunt, tum eos qui easdem susceperunt, nunquam dubitasse quin Deus illa jubere possit & sint hominibus utiles.

Objicies 1. Deus in agendo sequitur necessario æternum rerum ordinem; æterna sapientia divinæ voluntatis regula est a qua nequit deflectere: hæc Deo ostendit quædam natura bona esse, & ideo jubenda; quædam mala esse, & ideo prohibenda; alia esse indifferentia, nec jubenda nec prohibenda. Atqui si Deus injungeret hominibus præcepta positiva non sequeretur hunc rerum ordinem, sed ageret arbitrarie & tyrannice: imperium exerceret nulla alia nisi imperitandi causa, quod in hominibus culpari solet & alienum duci a sapientia, bonitate & justitia.

Nego minorem: Aliquis dici potest agere *arbitrarie* diverso sensu, qui multiplex sensus sedulo notandus est. 1. Agere arbitrarie sæpe significat, agere contra rerum æternum ordinem: sic principem agere arbitrarie dicimus cum aliquid contra jus statuit: sine dubio Deus non potest hoc sensu agere arbitrarie. 2. Agere arbitrarie significat agere temere, inconsiderate, sine consilio: hoc etiam sensu Deus agere non potest arbitrarie. 3. Significat agere ex propria sui arbitrii determinatione, quando rerum naturæ regulæ esse nequeunt: v. g. ex duobus mediis ad finem aliquem obtinendum æque aptis unum præ altero libere & arbitrarie eligimus. Hoc ultimo sensu Deum agere ex arbitrio contendimus, sicque sese determinasse

ad

ad creandum mundum; ad creandum in illo præcise temporis puncto, vel in illo spatii immensi, si quod sit, loco. Non tamen in hisce casibus Deum egisse inconsiderate aut sine consilio dici potest: est generalis agendi ratio, licet nulla sit particularis ratio agendi hoc vel illo modo, id est, possunt esse rationes determinantes ad speciem actus, licet nullæ sint determinantes ad individuum: res indifferentes factæ ex præscripto divino possunt conferre ad exercitationem virtutis, ad fovendos pietatis sensus, ad decentiam & uniformitatem cultus externi, ad conservandam factorum memoriam; & hæc generalis ratio est, cur res indifferentes a Deo jubeantur. Sed penes divinum arbitrium est hunc vel illum ritum ad hos fines instituere.

Objicies 2. Religio vera quæ Deo grata est & homini necessaria, fundatur in æternis rerum relationibus, non in rebus indifferentibus: immutabilis est, non varia aut aliquando inventa: debet esse objectum rationis & omnibus creaturis ratione utentibus obvia. Atqui si religio poneretur in rebus indifferentibus non esset res sempiterna & immutabilis, non esset objectum rationis, sed in arbitrio divino posita mutabilis esset, nec nisi per revelationem posset innotescere. (*a*)

Respondeo veram religionem fundatam esse in rerum naturis, ideoque sempiternam esse & immutabilem, Deum non posse ei derogare vel obrogare; hominem ejus observantem necessario Deo gratum esse. Proindeque positiva præcepta per se partes religionis neque necessariæ nec essentiales sunt, nec injungi possunt, nisi ad confirmandam legem naturalem excitandosque homines ad exercitium virtutis; nec possunt sine impietate ritus aliqui anteferri officiis naturalibus. (*b*) Consequenter concedimus eam religionem falsam esse in qua ceremoniæ quædam locum virtutum tenerent, & non tanquam media ad virtutem spectarentur. At tamen quamvis religio non consistat necessario in præstandis positivis præceptis, tamen illa exequi religio jubet, quia ad obtemperandum divinis mandatis lege devincimur naturæ. Ex quo etiam sequitur religionem veram semper objectum esse rationis: homines nullis devinciuntur institutis positivis, quamdiu eadem sine culpa ignorant: ubi norunt, ad ea ratione obligantur.

Objicies 3. Institutiones positivæ pugnant cum divina bonitate: 1. Per positiva præcepta hominum minuitur felicitas; quia per illa cohiberetur libertas naturalis, in qua magna ex parte sita est felicitas. 2. Manifestum est per injunctionem novorum præceptorum nec necessariorum homines majori periculo peccandi exponi.

Respondeo 1. Institutiones positivas coercendo libertatem hominum non minuere eorum felicitatem: nam præcepta positiva communiter facilia sunt, eaque homines diligentius observant quam ea quæ pertinent ad legem naturalem: quotidie etenim videmus eos, qui officiis naturalibus male funguntur, positivis tamen constanter adhærere. Præterea nedum positiva præcepta hominis felicitati noceant, illam e contrario certam magis & majorem efficiunt: scilicet ubi sunt virtutis adjumenta, vel promovent commoda & utilitates naturales: tunc enim non libertas in qua posita felicitas est, sed licentia tollitur, quæ ærumnarum mater est. Insuper quamvis libertatis cupidissimi simus, tamen ex ejus exercitio non tam multæ & magnæ oriuntur jucunditates, quam ex exer-

(*a*) *Mais qu' est-ce que la vertu? C' est la fidelitè constante à remplir les obligations que la* raison *nous dicte. Vous me demandez peut-être encore, quel sont ces devoirs? quelle est la Loi qui les prescrit? Je rèpons que la Loi qui les prescrit est la volontè* immutable *de Dieu, à quoi la droite raison nous avertit de nous conformer & que c' est dans cette conformitè que consiste la vertu. Toute Loi qui a commencè dans le tems & qui peut cesser d' être en vigueur, n' est point celle qui constitue la vertu: le Crèateur n' avoit pas astraint les hommes au noveau joug qu' elle impose, mais il les avoit certainement crèès pour etre vertueux.* Les Mœurs.

(*b*) Euntes discite quid est: misericordiam volo & non sacrificium. *Matth.* 9. & 12. Si ergo offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. *Ibid.* c. 5. v. 23.

exercitio libertatis juxta divinam voluntatem, propter conscientiam suæ erga Deum devotionis, & opinionem divinæ erga se benevolentiæ.

2. Negamus etiam quod per positiva præcepta homines in deteriori conditione constituantur propter majus peccandi periculum: nam ex eadem argumentandi ratione sequeretur pejorem esse sortem hominum doctorum quam rudium: quia nempe illi cernunt multa acutius pluribusque devinciuntur officiis: proindeque doctrinam esse inter mala recensendam. Sed revera nedum deterior evadat propter positiva præcepta hominum conditio, e contrario multa suppeditant virtutis adjumenta, in qua sola posita est vera hominis præstantia. Si officia plura sint, sunt etiam ex præstatione officiorum multæ & magnæ percipiendæ utilitates; si peccato locus sit, est etiam merito; si pœnis magis obnoxii ex variis virtutum adminiculis efficiamur, ubi illam non amplectimur, majora etiam præmia divinis præceptis obtemperando & facilius etiam consequi possumus. Uno verbo cum illa præcepta positiva apta sint, uti ostendimus, ad exercendos homines ad virtutem, non possunt esse hominibus noxia, nisi quoque pietas & virtus deteriorem efficiant eorum conditionem.

Objicies 4. Positiva præcepta apta tantum sunt ad præfocandam veram virtutem: nam 1. per ea animus a præceptis naturalibus & a vera virtute avocatur: sicut corpus onustum cibis deficit, ita mens occupata ritibus & vanis cæremoniis minus cogitat de iis quæ sunt necessaria & officii naturalis, quibus tamen totam mentem debemus. Secundo, Præcepta positiva superstitioni homines obnoxios efficiunt, & ad illam semper inclinant: quia ubi ratio sola dux vitæ non est, sed quidam ritus in se plane indifferentes in religionem introducuntur, homines proni fiunt ad eos perpetuo multiplicandos; neque unquam consistunt donec superstitiosis ritibus omnino occupentur: præterea cum videbunt illas cęremonias a Deo ipso institutas, existimabunt eas esse bonas natura sua & ad religionem essentialem pertinere; ex qua opinione infinita sequuntur incommoda, odia & dissensiones privatorum, aliquando etiam bella civilia.

Nego antecedens. Et ad primam rationem dico quidem fieri posse ut nimio rituum numero mens a magis necessariis officiis abducatur; eosdem ritus noxios esse posse quando apti non sunt ad significandos sensus religionis, illosve excitandos; vel cum non sunt accommodati conditioni eorum quibus præscribuntur. Sed ex eo quod positivæ institutiones esse possint noxiæ, possintque multiplicitate sua vel natura ab officiis magis necessariis avocare, non sequitur omnes ritus vanos esse: in illis circumstantiis ceremoniæ nocent non quia positivæ, sed quia multiplices & superfluæ, vel quia non sunt idoneæ. Certe pars magna naturalis religionis in cultu externo posita est: aliis hominibus nostros in Deum sensus oportet testari & exemplis accendere ad cultum divinum: quod cum nequeat fieri sine ceremoniis seu externis signis, manifestum est illas esse plane necessarias; & propterea ubi Deus non præscripsit hos ritus, videmus homines tales sibi constituisse.

Ad secundam rationem dico, homines abuti sæpius positivis institutionibus, sed rebus etiam optimis abutuntur; proindeque satis non est probare homines abuti institutionibus positivis & ad superstitionem esse propensos; sed demonstrandum est positiva mandata ad superstitionem homines inclinare. Jam vero certum est hanc non esse naturalem efficientiam præceptorum positivorum. Superstitio quippe consistit vel in tribuendo ceremoniis propriam aliquam & interiorem excellentiam vel in iis recipiendis tanquam divinis, quæ humanæ sunt; vel tandem in nimio rerum indifferentium studio. Atqui certe ex eo quod positiva instituta sanciat Deus, non idcirco docemur illis aliquam tribuere propriam excellentiam, quam retineant ubi absunt veræ virtutes; neque docemur humanis adhærere inventis, vel illa nimio studio prosequi ad injuriam legis naturalis. Quomodo ergo præcepta positiva ad superstitionem inclinent non intelligimus: observare positiva præcepta ex pietate, quia jussa sunt a Deo, non hominis superstitiosi, sed sapientis est, legique naturæ obsequentis.

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
quæ in hoc primo Volumine continentur.

A

D

Jus

L

M

N

Possi-

Q

R

Re-



F I N I S.

8



